This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LIBRARY OF THE

eland Stanford Junior University

[illegible]

STANFORD UNIVERSITY
LIBRARY

DOMITII VLPIANI

QVAE VVLGO VOCANTVR

FRAGMENTA

SIVE EX

VLPIANI

LIBRO SINGVLARI REGVLARVM

EXCERPTA.

ACCEDVNT EIVSDEM INSTITVTIONVM RELIQVIAE EX CODICE VINDOBONENSI.

SEPARATIM

EX 'IVRISPRVDENTIAE ANTEIVSTINIANAE RELIQVIARVM'

EDITIONE QVINTA EDIDIT

PH. E. HVSCHKE.

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLXXXVI.

878.9
U44

LIBRARY
OF THE
LELAND STANFORD JUNIOR
UNIVERSITY.

A7128

Paginarum numeri sunt editionis quintae 'Iurisprudentiae anteiustinianae reliquiarum'.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

DOMITIVS VLPIANVS.

DE VLPIANI FRAGMENTIS, QVAE VVLGO DICVNTVR, PRAEMONITIO.

67] 'Ulpiani fragmenta' quae vulgo dicuntur, uno codice Vaticano,[1] seculo ferme decimo in Gallia satis mendose scripto, servata nobis esse, post multas varietates hodie auctoribus Hugone et Savinio fere ab omnibus recte probatur.[2] Hoc in codice binis columnis scripto, quae versus plerumque triginta quinque eosque fere viginti sex vel paulo plurium litterarum continent, occupant fol. 190^b. col. β. a v. 9. usque ad fol. 202^b β. col. v. 7. Inscriptum ibi est libello: INCIP. TITVLI EX CORPORE VLPIANI, quo corporis nomine iam Ulpiani aetate usitato (L. 52. §. 2. D. de leg. 3) et postea maxime in iurisconsultorum libris pervulgari Theodosiano aevo amplius quoddam volumen, lectionibus in iudiciis recitandis inserviens, quo omnes vel complures eiusdem ICti vel imperatoris libri tanquam unius membra corporis continerentur, appellari solitum esse, ex L. 3. Th. C. de resp. prud. (1, 4) et Nov. Valent. III. Lib. II. tit. 35 pr. patet. Sed iam diu constat, haec fragmenta unius tantum libri esse; pertinent enim, ut ex collatis eorum tit. 5. §§. 6. 7. et tit. 26. §. 1. cum Collat. tit. 6. cap. 2. et tit. 16. cap. 4., item tit. 20. §. 6. cum L. 17. D. de testib. (22, 5) compertum est, ad Ulpiani librum singularem Regularum. Ulpianus eum librum scripserat imperante Caracalla (tit. 17. §. 2.), h. e. eodem circiter tempore, quo etiam Institutionum libros composuit (Collat. 16, 9. §. 3), inserviturus, ut videtur, priore libro, quo
68] gravissima iuris praecepta, tanquam fructum peracti studii breviter ac perspicue comprehenderat, eorum usibus, qui

---

[1]) De quo vid. Haenel. Leg. Rom. Visig. Praef. p. XLV. Sequitur quidem in eo Ulpianus Legem Romanam Visigothorum, neque vero pars eius fuit, ut olim quidam opinati sunt. de qua re vid. Haenel. l. c. p. XIV. [2]) Contrariam sententiam, Io. Tilium ex alio cod. admodum simili nunc deperdito haec fragmenta primum edidisse, unus tuetur G. E. Heimbachius Repert. Lips. 1843. p. 93. seq., quae sententia etsi vera esset, non multum id ad rem faceret.

36*

872.9
H11

LIBRARY
OF THE
LELAND STANFORD JUNIOR
UNIVERSITY.

A7128

Paginarum numeri sunt editionis quintae 'Iurisprudentiae anteiustinianae reliquiarum'.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

DOMITIVS VLPIANVS.

DE VLPIANI FRAGMENTIS, QVAE VVLGO DICVNTVR, PRAEMONITIO.

467] 'Ulpiani fragmenta' quae vulgo dicuntur, uno codice Vaticano[1] seculo fere decimo in Gallia satis mendose scripto, servata nobis esse, post multas varietates hodie auctoribus Hugone et Savinio fere ab omnibus recte probatur.[2] Hoc in codice binis columnis scripto, quae versus plerumque triginta quinque eosque fere viginti sex vel paulo plurium litterarum continent, occupant fol. 190^{b}. col. β. a v. 9. usque ad fol. 202^{b} β. col. v. 7. Inscriptum ibi est libello: INCIP. TITVLI EX CORPORE VLPIANI, quo corporis nomine iam Ulpiani aetate usitato (L. 52. §. 2. D. de leg. 3) et postea maxime in iurisconsultorum libris pervulgari Theodosiano aevo amplius quoddam volumen, lectionibus in iudiciis recitandis inserviens, quo omnes vel complures eiusdem ICti vel imperatoris libri tanquam unius membra corporis continerentur, appellari solitum esse, ex L. 3. Th. C. de resp. prud. (1, 4) et Nov. Valent. III. Lib. II. tit. 35 pr. patet. Sed iam diu constat, haec fragmenta unius tantum libri esse; pertinent enim, ut ex collatis eorum tit. 5. §§. 6. 7. et tit. 26. §. 1. cum Collat. tit. 6. cap. 2. et tit. 16. cap. 4., item tit. 20. §. 6. cum L. 17. D. de testib. (22, 5) compertum est, ad Ulpiani librum singularem Regularum. Ulpianus eum librum scripserat imperante Caracalla (tit. 17. §. 2.), h. e. eodem circiter tempore, quo etiam Institutionum libros composuit (Collat. 16, 9. §. 3), inserviturus, ut videtur, priore libro, quo
468] gravissima iuris praecepta, tanquam fructum peracti studii breviter ac perspicue comprehenderat, eorum usibus, qui

---

[1]) De quo vid. Haenel. Leg. Rom. Visig. Praef. p. XLV. Sequitur quidem in eo Ulpianus Legem Romanam Visigothorum, neque vero pars eius fuit, ut olim quidam opinati sunt. de qua re vid. Haenel. l. c. p. XIV. [2]) Contrariam sententiam, Io. Tilium ex alio cod. admodum simili nunc deperdito haec fragmenta primum edidisse, unus tuetur G. E. Heimbachius Repert. Lips. 1843. p. 93. seq., quae sententia etsi vera esset, non multum id ad rem faceret.

schola relicta forum adituri erant, dum posterioris planiore et uberiore explicatione iuri in scholis vel privatim operam daturis consultum ibat. Sed in disponendo Regularum libro et partim etiam in componendo Gaii Institutiones secutus deprehenditur ita, ut praemisso itidem de iuris fontibus loco et summam illam divisionem in ius, quod ad personas vel ad res vel ad actiones pertinet, earumque partium distributiones in universum retineret, et singula capita, quatenus Regularum diversa ratio patiebatur, similiter tractaret, auctis tamen quibusdam et interdum etiam novis materiis adiectis, velut de dotibus, de donationibus inter virum et uxorem, et in fine iuris, quod ad personas pertinet, de novo personarum iure ex lege Iulia et Papia Poppaea: qua re sane factum est, ut quaedam ad fori usum pernecessaria non desiderarentur, sed etiam ut perspicuus ille rerum distribuendarum et exponendarum ordo, quo Gaii Institutiones excellunt, admodum obscuraretur et deformaretur.

Quo tempore et qua ratione integer Ulpiani liber ad has lacinias redactus sit, non convenit inter viros doctos. Mommseni est sententia, non diu post Constantini tempora exstitisse hominem parum doctum et incredibiliter stupidum, qui Ulpiani librum, ut iuri, quo tum utebantur, magis conveniret, partim breviarit partim mutarit; itaque ea, quae ad nos pervenerint, non tam libri Ulpiani Regularum quam huius breviarii reliquias esse. Quae opinio mihi ideo admodum videtur veri dissimilis, quod nimis stupidum cogit ponere hominem; primum enim in usu fori, quem potissimum is spectasse putatur, quum ipsorum ICtorum libri desiderarentur, quemadmodum poterat non videre, nullam obscuri hominis breviarium auctoritatem esse habiturum? Deinde quod ius obsoletum quibusdam locis ex libro exsecasse dicitur, idem alibi reliquisse deprehenditur. Taceo, quod quaedam argumenta consulto omissi veteris iuris velut 27, 1. 20, 2. 10. 1, 21. tantum ex mendosis lectionibus colliguntur. Denique si quaedam eiusmodi omissa sunt, quod factum non nego, at sunt etiam multa, quae non obsoleverant, quae utraque, opinor, facilius ad casum natura sua ratione carentem, quam ad consilium hominis Epicureo casu non consultius referuntur. Itaque ratione ac consilio eum tantum usum putaverim, qui in ruina illa veteris iuris civilis, hoc est circa finem seculi quinti, primus ex 'Ulpiani corpore' hunc solum librum vel exscripserit vel quae tunc reliquae ex eo erant partes servaverit, ut inter cetera iurisprudentiae lumina, quae Valentinianus III. praedicaverat, et cetera aliquatenus servata iuris vel discendi vel docendi et respondendi praesidia Ulpiani quoque celeberrimum nomen et utilissimum opus retineretur.[1] [46

[1]) Vaticanum Ulpiani codicem primitus e codice 'corporis Ulpiani'

Ceterum illorum probo sententiam, qui variis casibus iam non definiendis, haud vero certa ratione ea, quae in Ulpiani libro desiderantur, periisse putant, ita tamen ut casui etiam librariorum fraudes vel unius alteriusve, qui librum transcribendum daret, parsimoniam quaedam minus necessaria a librario non exigentem adnumerari velim: similes enim iniurias etiam Gaii epitomam et Paulli Sententias passas esse constat. Hoc si tenemus, in critica exercenda non incerti et inter Ulpiani et breviatoris manum quasi suspensi titubabimus, sed ubique Ulpiano quid dignum, quid indignum sit, quaeremus.

Initio harum reliquiarum pauca et in fine multa eaque certe casu periisse, omnes consentiunt. De initio, ubi in C. Vat. hanc velut inscriptionem INCIP. TITVLI EX CORPORE VLPIANI 'Mores sunt tacitus consensus populi longa consuetudine inueteratus' excipit index titulorum, deinde versus, si illa 'mores . . . inueteratus' connumeras, bis septeni deni inverso ordine scripti sunt, bellissima est et satis certa Mommseni coniectura, hos in codice iam mutilo, unde Vaticanus manavit, primi folii binas paginas complesse, idque librarium cum solutum invenisset, infelici casu invertisse et sic transcripsisse. Sed duo addere licet: primum, illud folium in vetustiore codice corporis Ulpiani postremum quaternionis fuisse videri, in quo solito more pariter atque in primo adscriptum supra in exteriore margine esset CORP. VLP. ita ut hanc inscriptionem statim sequeretur initialis huius paginae scriptura 'mores sunt' etc.; hoc enim sine dubio movit librarium, tam ut hanc paginam quasi inscriptionem continentem pro anteriore haberet, quam ut verba illa 'mores . . . inueteratus', in cod., cum introductionem finirent, a sequentibus spatio distincta, deficiente ceteroqui titulo opusculi, pro lemmate quodam acciperet, quod post titulorum index apte scriberetur. Alterum est, illud ipsum folium ab
[470] inferiore parte abscissum fuisse; nam nec septemdecim versus Vat. codicis integrae paginae sufficiunt, ut iam Lachmannus recte iudicavit, et sic explicatur, quare utros-

---

manasse, quem grandem et inprimis versibus sat longis scriptum fuisse credere par est, eius rei adhuc aliud quoque vestigium superest in quodam vitiorum genere, in Vaticano cod., quod editores fugit, admodum frequenti, sed et eo multo antiquiore. Illud dico, quod saepe vocabula singula vel complura exciderunt, quae alieno loco nunc interdum multis (sed et brevibus) versibus distante inserta sunt, velut 2, 8. 3, 4. 5. 5, 2. 6, 6. 8, 7^{a}. 11, 3. 16, 1. 19, 6. 20, 3. 22, 16. 24^{a}. 24, 16. 25. 25, 4. 5. 10. 11. 14. 26, 7. 28, 13. 29, 1. Hoc enim, cum quae exciderant, initio e regione ad marginem suppleta esse putanda sint, vix fieri potuit, nisi antiquum illum codicem, in quo ita inserebantur, praelongos versus habuisse ponas.

que hos septenos denos versus (post §. 3. et 9.) modica lacuna sequitur. — In fine ea omnia perierunt, quae Gaius inde a 3, 55. usque ad finem Institutionum tractat. Titulorum rubricas, quas Vaticanus interserit, saltim non omnes nec ita, ut et quo loco nunc leguntur, ab ipso Ulpiano esse profectas, omnes concedunt; sed tamen in edendo eas retinere consentaneum erat. Contra indicem horum titulorum, quem ipsum et codicis scriptorem ex illis titulis confecisse et alieno loco paulo post initium posuisse a Mommseno probatum est, licet superiores editores omnes eum ante initium repetierint, non magis retinendum duxi, quam similiter pro istius aevi more confectos indices, qui Collationis codicibus praefixi leguntur.

De editionibus hoc praemonere sufficiet, post Io. Tilium, qui primus Parisiis a. 1549. haec fragmenta vulgavit, maxime Hugonem quinquies (a. 1788. 1811. 1814. 1822. 1834.) et Boeckingium quater (1831. 1836. 1845. 1855.) edendo, ut alios maxime F. A. Schillingium et Lachmannum, commentando, de emendandis iis meruisse, quorum laudem deinde philologus editor secutus est Io. Vahlenus (1856). Ipsius codicis Vat. accuratum apographum et paene simulacrum Hugo editionibus suis inde a tertia, multo exactius Boeckingius suae quartae addidit, cui etiam Mommseni accessit de Ulpiani Regulis disputatio. Qui praeterea Ulpiano profuerint, ex illarum editionum praefationibus cognosces.

De novissima Vahleni editione cum nuper in Fleckeiseni N. Jahrb. f. Phil. u. Päd. vol. LXXV. p. 365—377. referrem, simul in universum qua via ac ratione incedendum videatur, si quis emendatius hoc opusculum praestare velit, exposui, exemplisque crisis ad has leges revocatae compluribus sententiam meam firmavi. Quibus in legibus cum et haec fuerit, permulta vitia quia ex siglis vel notis male explicatis originem ducerent, ita ut haec origo flagitaret, sananda esse, quod etiam saepenumero a me factum est, iam, cum compererim, Boeckingium in sua editione non semel pronunciasse, eum codicem, ex quo Vaticanus fluxerit, non sibi videri notis refertum fuisse, faciendum mihi esse videtur, ut qua de causa contrariam opinionem secutus sim, paucis h. l. dicam. Primum igitur eam confirmant omnes librorum iuris civilis codices, qui ex remotiore antiquitate supersunt, velut Gaius Veronensis, Fragmenta Vaticana, Ulpiani Vindobonensia, Fragmentum de iure fisci. Deinde notas iuris nec senatus in gestis a. 438. ab Theodosiani Codicis exemplaribus abesse voluisset, nec Iustinianus earum in suis iuris libris usum severa poena sancita interdixisset, [47
nisi is usus admodum invaluisset; nec denique postea quoque P. Diaconus, Magno, Papias notarum collectiones et explicationes composuissent, nisi tunc quoque libri antiquiores superfuissent, hoc auxilio in transcribendo egentes.

Sed et Isidorus (Orig. 1, 22. §. 2) eius generis notas plurimas in antiquis libris inveniri propalam testatur. Denique ipsa commoditas scribendi et librariorum consuetudo cogunt paene ut credamus, vix ullo in libro iuris haec compendia non adhibita fuisse. Et haec quidem interim sufficient, quum Boeckingius suae sententiae argumenta adhuc nulla attulerit. Ceterum coniecturis in Fleckeiseni annalibus exempli causa propositis nunc ita usus sum, ut in notis brevitatis causa *Fll.* apponerem, si quis rationes earum in commentatione illa expositas requirere velit. Praeterea et C. Roederi emendandi Ulpiani conamina (1856) inspexi et quod ab eo mutuatus sum, nota *Roed.* significavi. De editione, ad quam mutata referrem, cum optio esset inter Boeckingianam et Vahlenianam, illam elegi, quam magis frequentari credebam, insignivique *Bg. ed.*

1. (*Perfecta lex est, quae uetat aliquid fieri, et si* [47]
factum sit, rescindit, qualis est lex . . . . . Imperfecta lex est, quae uetat aliquid fieri, et si factum sit, nec rescindit, nec poenam iniungit ei, qui contra legem fecit, qualis est
191 a α *lex Cincia, quae plus quam duo milia assium donari*)[1]
v. 23—fin. prohibet, 'exceptis (*personis*)[2] quibusdam (*uelut*)[2] cognatis, et si plus donatum sit, non rescind*i*t. **2.** Minus quam perfecta lex est, quae uetat aliquid fieri, et si factum sit, non rescind*i*t, sed poenam iniungit ei, qui contra legem fecit; qualis est lex Furia testament*a*ria, quae plus quam mile 'as*ses* legati nomine[3] mortisue causa prohibet capere praeter exceptas personas, et aduersus eum, qui plus ceperit, quadrupli poena*m* constituit.

---

[1]) *Sic fere praeeuntibus Cuiacio et Schillingio mancam sententiam restituendam censui. De re cf. L.* 5 *pr. C. de legib.* (1, 14). *Macrob. Somn. Scip.* 2, 17. *De lege Cincia Fragm. Vat.* 266 *seqq. Summam eius legis hac* 3. *ed. addidi, coniectam ex Schol. Iuven., qui ad* 7, 242 *seq. auctor est, nec histrionibus in theatro victoribus amplius quinque aureos, qui valent quingentos sestertios sive duo milia assium, dare licuisse. Ceterum Ulpianus cum ius civile etiam in hoc libro* (*cf. L.* 6. §. 1. *D. de iustit.* 1, 1) *in scriptum et non scriptum divisisset, primum videtur scripti iuris partes a legibus exordiens enumerasse* (= §§. 3—8. *I. de iure nat.* 1, 2), *deinde de natura legum egisse, ad quem locum haec pertinent, quae nobis servata sunt. Potest tamen etiam, ut hic locus statim legis plebisque sciti definitionem secutus sit; quod si statuis, in lacuna post* §. 3. *Ulpianus SCti, constitutionis principum, edictorum magistratuum et responsorum prudentium brevissimas definitiones ex Gai.* 1, 4—7. *retulisse et ita iure scripto absoluto ad ius non scriptum, quod ex moribus veniat, transitum fecisse dicendus erit.*
[2]) *Necessario supplevi, cum non tantum quidam cognati excepti fuerint. Cf. Fr. Vat.* 290—309. *Exaratum olim fuerit:* exceptis p̄sis quibusd. ūū. [3]) ascium legatū *Vat.* (*factum illud puta ex* as.; *nam et alias ex* lege as = lege aelia sentia *librarius fecit* lege ascia;

473] **3.** [1] *Lex* aut rogatur, id est fertur; | aut abrogatur, id 191
est prior lex tollitur; aut derogatur, id est pars prima*e* '(*le*- v. 1-
gis)[2] tollitur; aut subrogatur, id est adicitur aliquid primae legi; aut obrogat*ur*, id est mutatur aliquid ex prima lege. * * *[3]

4. [4] Mor*e*s sunt tacitus consensus populi, longa consue- 190
tudine inueteratus. v. 1.

TIT. I. DE LIBERTIS. 191

5. [5] Libertorum genera sunt tria, ciues Romani, Latini v. 9-
Iuniani, dediticiorum numero.

6. [6] Ciues Romani sunt liberti, qui legitime (*manumissi sunt*, *id est aut uindicta aut* '*legitimo*)[7] censu aut testamento, nullo iure inpediente.

7. Vindicta manumittuntur apud 'magistratum *populi Romani*, uelut consulem praet*o*r*e*mue *uel* proconsulem.[8]
8. [9] Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romae iussu dominorum inter ciues Romanos censum profitebantur.
9. Ut testamento manumissi liberi sint, lex duodecim tabularum facit, quae confirmat [10] (*testamento datas libertates his uerbis*: '*uti legassit suae rei*, *ita ius esto*'.

10. *Latini sunt liberti*, *qui non legitime*, *uelut inter*

---

hoc ex legatum, *quomodo lectum erat* legatino *sequente* m). assium legatum *edd. non modo concinne, sed ne recte quidem, cum etiam ex decem milium legato mile capere liceret. Cf. Gai.* 2, 225. 4, 23.
[1]) *Cf. L.* 102. *D. de verb. sign.* (50, 16). *Lactant. Inst.* 6, 8. *Fest. v. Rogat*, *Abrogare*, *Derogare*, *Obrogare*, *Exrogare p.* 282. 12. 69. 187. 82. [2]) *Auctore Cuiac. addidi.* prima (*omisso* e l. *quod fortasse legebatur* et) *Vat.* primae *edd.* [3]) *Lacuna in Vat. non indicata eiusdem mensurae cum ea, quae sequitur* §. 9. *Cf. praefat. In ea aut locum de legis natura continuaverat et perfecerat Ulp., aut ea*, *quae dixi ad* §. 1. *not.* 1., *tractaverat.* [4]) *Cf.* §. 9. *I. de iur. nat.* (1, 2). *Post h.* §. *personarum summae divisiones excidisse videntur.* [5]) *Cf. Gai.* 1, 12. [6]) *Cf. Gai.* 1, 17. 44. [7]) *Addidi FII. p.* 374. *Cf. Fr. Dosith.* 17. [8]) *Ex Lachm. cj. Bg. ed. Cf. L.* 4. *D. de vind.* (7, 1). magistratū p̄turimue. uelut consulē. pro consulem. *Vat. Alii alia finxerunt.* [9]) *Cf. Fr. Dosith.* 17. *Gai.* 1, 140. [10]) *De sequenti lacuna, in Vat. non indicata, quam ad sententiam restituimus, vid. praefat. et not.* 3. *Ad restituta cf. infra* 11, 14. *L.* 120. *D. de verb. sign.* (50, 16); *deinde ad* §. 10. *Gai.* 3, 56. 1, 22. *Fr. Dosith.* 4—6.

amicos, nullo iure impediente manumissi sunt, quos olim praetor tantum tuebatur in forma libertatis; nam ipso iure
191aβ *serui manebant.*) hodie autem ipso iure liberi sunt ex lege
v. 6. Iunia, '(*a*)[1] qua lege Latini '*Iuniani* nominati *sunt*[2] inter [47
amicos manumissi.

11. [3]Dediticiorum numero sunt, qui poenae causa uincti sunt a domino, quibusue stig*mat*a (*in*)scripta fuerunt, qui(*ue*) propter noxam torti nocentesque inuenti sunt, quiue traditi sunt, ut ferro aut cum bestiis depugnarent, 'uel (*ob eam rem in ludum uel*)[4] custodiam coniecti fuerunt, deinde quoquo modo manumissi sunt. idque lex A*elia* Sen*ti*a facit.

12. [5]Eadem lege cautum est, ut minor triginta annorum seruus uindicta manumissus ciu*i*s Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit. '(*pro*)inde[6] sine consilio manumissum 'e(*ius*) ae*ta*tis[7] seruum manere putat; testamento uero manumissum perinde haberi iubet, atque si domini uoluntate in libertate esset, ideoque Latinus fit. **13.** [8]Eadem lex eum dominum, qui minor uiginti annorum est, prohibet seruum[9] manumittere, praeterquam si causam apu*d* consilium probauerit. **13ª.** [10]In consilio autem adhibentur 'Roma*e qui-*
191bα *dem*[11] quinque senatores et quinque | equites Romani; in prouinci*i*s '(*uero*)[12] uiginti rec*i*peratores, ciues Romani.

14. [13]Ab eo domino, qui soluend*o* non est, seruus testament*o* liber esse iussus et heres institutus, etsi minor sit triginta annis, uel in ea causa sit, ut dediticius fieri debeat, ciu*i*s Romanus et heres *fi*t; si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit. quod si duo pluresue liberi heredesque esse iussi sint, primo loco scriptus liber et heres fit: quod et

---

[1]) *Geminando restitui.* [2]) sunt nominati* (*deleta puta* s = sunt) *Vat.* sunt nominati*m* *ed. Bg.* [3]) *Cf. Gai.* 1, 13. [4]) [*inue ludum*] uel *Bg. ed. Cf. Gai. l. c. Idcirco Ulpianus postea* fuerunt, *non* sunt *dixit, quia et hoc factum oportebat, ut aliquando post ferro vel cum bestiis depugnarent.* [5]) *Cf. Gai.* 1, 18. [6]) ideo *Vat.* (*factum puta ex* pīde). id *est Bg. ed.* [7]) *FlI. p.* 368. caesaris *Vat. scilicet ex* e' aetatis *factum.* lex Aelia Sentia *Bg. ed. ex M. Hertz. cj.* [8]) *Cf. Gai.* 1, 38. [9]) *Fortasse excidit* qqm = quoquo modo. *Cf. Gai.* 1, 41. *Fr. Dosith.* 18. *et supra* §. 11. [10]) *Cf. Gai.* 1, 20. [11]) romani (*pro* romae qd.) *Vat.* Romae *edd.* [12]) *Ex sequenti* u *geminando restitui. Cf. Gai.* 1, 20. [13]) *Cf. Gai.* 1, 21.

ipsum lex A*elia* S*enti*a facit. **15.** [1]Eadem le*x* in fraude*m* 'credito*rum uel*[2] patroni manumittere prohibet.

475] **16.** [3]Qui tantum in bonis, non etiam ex iu*re* Quiritium seruum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis tantum alicuius seruus est uelut hoc modo, si ciu*is* Romanus 'a ciue Romano[4] seruum emerit, isqu*e* traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. nam quamdiu horum quid '(*non*) fit,[5] is seruus in bonis quidem 'emptoris, *ex*[6] iu*re* Quiritium autem uenditoris est.

17. [7]Mulier, quae in tutela est, item pupillus et pupilla '(*nisi tutore auctore*)[8] manumittere non possunt.

18. [9]Communem seruum unus ex dominis manumittendo partem suam amittit, eaque adcrescit socio; maxime si eo modo manumiserit, quo, si proprium | haberet, ciuem Roma- 191 b β
num facturus esset. nam si inter amicos eum manumiserit, plerisque placet, eum nihil egisse. **19.** [10]Seruus, in quo alterius est ususfructus, alterius proprietas, a proprietatis domino manumissus liber non fit, sed seruus sine domino est.[11]

20. [12]Post mortem heredis aut ante institutionem heredis testamento libertas dari non potest, excepto testamento militis. **21.** Inter medias heredum institution*e*s libertas data utrisque adeuntibus non ualet;[13] solo autem priore adeunte iure antiquo[14] ualet. sed post legem Papiam Pop*pa*eam, quae partem non adeunt*is* caducam facit, si quidem primus heres 'uel ius

---

1) *Cf. Gai.* 1, 37. 47. 2) creditoris et *Vat.* (*factum ex* creditor. uel) *edd. Cf. Gai. l. c.* 3) *Cf. Gai.* 1, 21ᵇ. 35. *Fr. Dosith.* 9. — *Gai.* 2, 41. 204. 4) *Recte; nam si a peregrino, ex iure Qu. servus fit emptoris, quia tum iure rei nec mancipi censendus est. Cf. Fr. Vat.* 47. 5) fiat *Vat. edd. Superscriptum* n̄ *vocabulo* fit *errorem peperit; nam 'quamdiu' Ulpianus indicativo copulat; cf.* 2, 2. 10, 4. 26, 3. 6) emptoris ē.et (*male geminata* e) *Vat.* emptoris est, ex *edd.* 7) *Cf. Fr. Dosith.* 15. *infra* 11, 27. 8) *Restitui FlI. p.* 374. 9) *Cf. Fr. Dosith.* 10. *Paul.* 4, 12. §§. 1. 5. 10) *Cf. Fr. Dosith.* 11. 11) *Cave cum Mommseno putes, haec desiderari: 'donec manet ususfructus: quo finito Latinus efficitur'. Vid. L.* 1 *pr. C. comm. de man.* (7, 15) *et nos ad Fr. Dosith.* 11 *fin.*
12) *Cf. Gai.* 2, 230. 233. 13) *Quia pro parte tantum ante instituti et facti heredis (ab adita enim hereditate dies eius cedit) recte data est, nec pro parte competere potest.* 14) *i. e. accrescendi*

(*liberorum uel ius*)[1] antiquum habeat, ualere eam posse[2] placuit; quod si non habeat, non ualere constat, quod loco [47(non adeuntis legatarii patres heredes fiunt. sunt tamen, qui et hoc casu ualere 'eam[3] posse dicunt. **22.** [4]Qui testamento liber esse iussus est, mox, 'quam u*el*[5] unus ex heredibus adierit hereditatem, liber fit. **23.** [6]Iusta[7] libertas testamento potest dari his seruis, qui '(*et*)[8] testamenti faciendi et mortis tempore e*x* iu*re* Quiritium testator*is* fuerunt.

24. [9]Lex Fufia Caninia iubet, testamento ex tribus seruis non plures quam duos manumitti; '*a quattuor*[10] usque ad decem dimidiam partem manumittere concedit; a decem usque ad triginta tertiam partem, ut tamen adhuc quinque manumit-
192 a α tere liceat, | aeque ut ex priori numero; a triginta usque ad centum quartam part*em*, aeque ut decem ex superiori numer*o* liberari possint; a centum usque ad quingentos partem quintam, similiter ut ex ant*e*cedenti numer*o* uiginti quinque possint fieri liberi. et denique praec*i*pit, ne plures omnino quam centum ex cuiusquam testamento liberi fiant. **25.** [11]Eadem lex cauet, ut libertat*e*s seruis testamento nominatim dentur.

TIT. II. DE STATV LIBER*O* [VEL STATV LIBERIS].

1. [12]Qui sub conditione testamento liber esse iussus est, statu liber appellatur, [**2.**] '(*quia*)[13] 'quamdiu pend*e*t con-

---

1) [*uel ius liberorum*] uel ius *Bg. ed. De re cf.* 17, 3. *tit.* 18. 19, 17. 24, 12. *Gai.* 2, 206. 207. 286. 2) *Nam si liberos habeat, ita demum valet, si partem caducam vindicet.* 3) *FlI. p.* 369. eius (*factum ex geminata antecedente* e) eā *Vat.* eius *caus*am *Bg. ed.* 4) *Cf. L.* 23. §. 1. *L.* 25. *D. de manum. test.* (40, 4). 5) *Ex Marezolli cj.; cf. de* mox quam *L.* 13 *fin. D. quib. mod. ususfr.* (7, 4), *de* uel *L.* 23. §. 1. *cit. et Ulp. L.* 2 *pr. D. de statu lib.* (40, 7). quāuis (*male intellecto compendio* ū) *Vat.* quamuis *Bg. ed.*
6) *Cf. Gai.* 2, 267. *et infra* 24, 7. 7) *Ergo ut servus minor XXX annorum Latinus fiat ex lege Aelia Sentia* (1, 12), *sufficit, ut mortis tempore testatoris in bonis fuerit.* 8) *Ex Bg. cj. addidi.*
9) *Cf. Gai.* 1, 42—45. *Paul.* 4, 14. 10) et *Vat. edd. Sed hoc factum ex a* IV *cum librarius* V *vel* u *tanquam perperam geminatam abiecisset.* 11) *Cf. Gai.* 2, 239. 1, 45. *Paul.* 4, 14. §. 1. 12) *Cf. Gai.* 2, 200. *Fest. v. Statu liber p.* 314. *L.* 1 *pr. D. de statu lib.* (40, 7).
13) *Hanc vocem* (*non* Is) *addidi, quod ea cur facile excidere potuerit, ex sequenti facile intelligitur. Vat. hic habet supra lineam adscriptum* statu liber, *quod edd. novam* §. *incipientes receperunt.*

ditio, seruus heredis, '(*cum extitit*, statim liber *est.*)[1] **3.** [2]Statu liber seu alienetur ab herede, 'seu *usu capiatur*[3] ab aliquo, libertatis conditionem secum trahit. **4.** [4]Sub hac conditione liber esse iussus: SI DECEM MILIA HEREDI DEDERIT, etsi ab herede abalienatus sit, emptori dando pecuniam ad libertatem perueniet; idque lex duodecim tabularum iubet. **5.** [5]Si per heredem factum sit, quominus statu liber conditioni pareat, proinde fit liber, atque si condicio expleta fuisset. **6.** [6]'(*Set et*)[7] extraneo pecuniam dare iussus *et* liber esse si paratus sit dare, et is, cui iussus est dare, aut 'nolit[8] accipere, aut antequam acceperit, moriatur, proinde fit liber ac si pecuniam dedisset.

7. [9]Libertas et directo potest dari hoc modo LIBER ESTO, LIBER SIT, LIBERVM ESSE IVBEO, et per fideicommissum, ut puta ROGO, FIDEI COMMIT|TO HEREDIS MEI, -VT ST*I*C*H*VM 192 a β SERVVM 'MANVMITTAT. **8.** Is,[10] qui directo liber esse iussus est, 'testatoris *uel* orcinus[11] fit libert*us*; is autem, cui per fideicommissum data est libertas, non testatoris, sed manumissoris fit libertus. **9.** Cuius fidei committi potest ad rem aliquam pr*ae*standam, eiusdem etiam libertas fidei committi

---

[1]) *Haec quae supplevi, excidisse quondam h. l., quod similia statim sequerentur, et ad marginem primum adscripta, deinde amissis prioribus duabus vocibus* (c'extitit) *ob similitudinem sequentis* statim, *alieno loco mutata male intrusa esse, haecce argumento sunt: quod h. l. verbum desideratur* (*suppleverunt edd.:* [*est*]), *quod* statu liber (*ex* statim liber ẽ *factum*) *antecedenti versui superscriptum est* (*vid. not.* 13), *quod Ulpianus statu liberum existente condicione liberum esse, non potest non initio dixisse, denique quod is idem subiectum nunquam ita, ut hic* statu liber, *solet repetere. De eo, quod dixit* statim liber est, *vid. eundem Ulp. L.* 3 *pr. D. h. t.* (40, 7). *Videtur etiam mirum illud librarii* VEL STATV LIBERIS *in inscriptione tituli ex* VEL STATIM LIBERIS *natum esse, quod ex nostro loco effictum erat.* [2]) *Cf. L.* 2 *pr. D. h. t.* [3]) *Ex Roed. cj.* siue suscipiatur *Vat.* siue usucapiatur *Bg. ed.* [4]) *Cf. L.* 6. §§. 3. 7. *L.* 29. §. 1. *D. h. t.* [5]) *Cf. L.* 3. §. 1. *D. h. t.* [6]) *Cf. L.* 3. §. 10. *L.* 20. §. 3. *D. h. t.* [7]) *Geminavi ex antecedenti v.* [8]) nollet *Vat. Bg. ed.* [9]) *Cf. infra* 25, 2. 18. *Gai.* 2, 263. [10]) mittatis * * * * *: is *Vat. Post* manu *scriptum fuisse* mittat (*t*)es(*tatoris*) *tator* is, *Roed. vidit. Vid. not. seq. De re cf. Gai.* 2, 266. 267. [11]) horcinus (*pro* ūorcinus *ut opinor*) *Vat. Bg. ed.; v.* testatoris *huc ex antecedenti versu revocavi.*

potest. **10.** [1]Per fideicommissum libertas dari potest tam proprio seruo testatoris, quam heredis aut legatarii, uel [47 cuiuslibet extranei seruo. **11.** [2]Alieno seruo per fideicom- [47 missum data libertate si dominus eum iusto pretio non uendat, extinguitur libertas, quoniam nec pretii computatio pro libertate fieri potest. **12.** [3]Libertas sicut dari, ita et 'adimi (*tam*) *statim*[4] testamento quam codicillis testamento confirmatis potest; ut tamen eodem modo adimatur, 'quo et[5] data est.

TIT. III. DE LATINIS.

1. [6]Latini ius Quiritium consequuntur his modis: beneficio principali, liberis, iteratione, militia, naue, 'aedificio,[7] pistrino;[8] praeterea ex senatus consulto '*mulier*, quae sit ter enixa.[9] **2.** [10]Beneficio principali Latinus ciuitatem Romanam accipit, si ab imperatore ius Quiritium impetrauerit. **3.** [11]Liberis ius Quiritium consequitur Latinus, qui minor triginta annorum manumissionis tempore fuit: nam lege Iunia
192 b α cautum est, ut si ciuem Romanam uel Latinam uxorem | duxerit, testatione interposita, quod liberorum quaerendorum causa uxorem duxerit, postea filio filiaue nato nataue et anniculo facto, possit apud praetorem uel praesidem prouinciae causam probare et fieri ciuis Romanus, tam ipse quam filius filiaue eius et uxor; scilicet si et ipsa Latina sit; nam si uxor ciuis Romana sit, partus quoque ciuis Romanus est ex senatus consulto, quod auctore diuo *Hadriano* factum est. **4.** [12]Iteratione fit ciuis Romanus, qui post Latinitatem, quam acceperat maior triginta annorum[13] iterum iuste manumissus

---

1) *Cf. Gai.* 2, 264. 272. §. 2. *I. de sing. reb. per fid.* (2, 24). 2) *Cf. Gai.* 2, 265. 3) *Cf. infra* 24, 29. 4) adimitatē *Vat., ut* tā *geminandum sit;* statim *est, dum hoc ipsum testamentum, quo dedit, nuncupat; in* 24, 29. *et tit. I. de ademt. leg.* (2, 21) *idem dicitur v.* '*eodem*' (*testamento*), *quod fortasse etiam hic excidit, cf. Gai.* 1, 29 *init.* 5) quo modo *cj. Roed.* 6) *Cf. Gai.* 1, 28 *seq. Fortasse h. l. excidit:* '*Latini ciues Romani fiunt, cum aliquo modo ius Quiritium consequuntur.*' *Cf.* §. 2. 7) *Cf. Gai.* 1, 33. 8) *Cf. Gai.* 1, 34. 9) uulgo quae sit te renexa *Vat.* uulgo quaesitos tres enixa *Bg. ed. Cf. FlI. p.* 378. *et de re L.* 137. *D. de verb. sign.* (50, 16). *Paul.* 4, 9. §§. 1. 2. 3. 7. 8. 10) *Cf. Gai.* 3, 72. 73. 1, 95. 11) *Cf. Gai.* 1, 29. 30. 80. 12) *Cf. Gai.* 1, 35. 13) *Quod in edd.* 1. 2. *cum ceteris comma hic posueram, nunc omisi. Quanquam enim Ulpianus proxime de iterato eo, qui iam maior XXX ann. Latinus factus*

[479] est ab eo, cuius ex iu*re* Quiritium seruus fuit. sed huic concessum est ex senatus consult*o*, etiam liberi*s* ius Quiritium consequi.[1] **5.** [2]Militia ius Quiritium acc*i*pit Latinus, '(*si*) inter uigil*e*s Romae sex 'annis[3] militauerit, ex lege Vis*e*llia.[4] '*at* postea[5] ex senatus consult*o* concessum est ei, ut, si triennio inter uigil*e*s militauerit, ius Quiritium consequatur. **6.** [6]Nau*e* Latinus ciuitate*m* Romana*m* acc*i*pit, si non minore*m* quam dec*e*m miliu*m* modiorum nauem fabricauerit, et Roma*m* sex annis frumentum portauerit, ex edicto diui Claudi*i*. * * *

TIT. IV.[7] DE HIS QVI SVI IVRIS SVNT.

1. [8]Sui iuris sunt familiarum suarum princip*e*s, id est pater familiae, itemque mater familiae.

2. [9]Qui ma|tre quidem (*certa*), patre autem incerto nati 192b*β* sunt, spuri*i* adpellantur.

TIT. V. DE HIS QVI IN POTESTATE SVNT.

1. [10]In potestate sunt liberi parentum e*x* iusto matrimonio nati.

2. [11]Iustu*m* matrimonium est, si inter eos, qui nuptias contrahunt, conubium sit, et tam mascul*u*s pub*e*s quam femina '(*uiri*)[12] potens sit, et utrique consentiant, si sui iuris

---

erat, sensisse, maxime ex iis, quae in fine adicit, appareat; tamen non ita oratio eius interpungendo coercenda est, ut minorem manumissum et Latinum factum iteratione civitatem Rom. unquam adipisci posse negare videatur. Potest enim, si minor causa probata inter amicos liberatus postea maior factus iterum iuste manumittitur. Gai. 1, 35. [1]) *Cf. Gai.* 1, 31. [2]) *Cf. Gai.* 1, 32^b.
[3]) annos *Bg. ed. Idem postea* triennium. [4]) *a.* 24., *non ex Mommseni sententia* (*Jahrb. f. gem. Recht II. p.* 336. *coll. Ritschl. praef. ad indic. schol. Bonn. hib.* 1860. *p. V.*) *a. u.* 683., *quo tempore servi in hoc ministerio erant, qui militare dici non possunt. Nec ad antiquiores leges SCta fieri solita.* [5]) *Ex P. Fabri cj.* preterea *Vat.* (*ex* ptea *factum*). praeterea *edd. at*, *quo vix careas, huc revocavi ex* §. 4., *ubi Vat. inter* est *et* ex senatus *habet* ut, *quod edd. delent.* [6]) *Cf. Gai.* 1, 32^c. [7]) *Apparet, ex hac materia tantum frustula quaedam servata esse.* [8]) *Cf. Gai.* 1, 48. 50. *L.* 4. *D. de his qui sui* (1, 6). *L.* 195. §§. 2. 5. *D. de verb. sign.* (50, 16). [9]) *Cf. infra* 5, 7. *Fortasse hic excidit: 'Sui iuris aut fiunt, uelut emancipatione, aut nascuntur, uelut ii, qui post mortem patris uel patre incerto nati sunt.'* [10]) *Cf. Gai.* 1, 55. [11]) *Cf. Gai.* 1, 56. *pr. I. de nupt.* (1, 10). [12]) *Sigla* ui (= uiri) *hic exci-*

'*s*int,[1] aut etiam parentes eorum, si in potestate '*s*int.[1] [480]
3. [2] Conubium est uxoris iure ducendae facultas. **4.** [3] Conubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis; cum Latinis autem et peregrinis ita si concessum sit. **5.** [4] Cum seruis nullum est conubium. [5] **6.** Inter parentes et liberos 'infinite,[6] cuiuscumque gradus '(*sint*,)[7] conubium non est. inter cognatos autem ex transuerso gradu olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant:[8] nunc autem etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere; sed ta*ntum* fratris filia*m*, non etiam sororis filia*m*, aut amita*m* uel matertera*m*, quamuis eodem gradu si*n*t. ea*m* de*n*ique, *quae* nouerca uel priuigna uel nurus uel socrus nostra fuit, uxore*m* ducere non possumus. **7.** Si quis eam, quam non licet, uxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit ideoque liberi in potestate eius non fiunt, sed quasi uulgo concepti spur*ii* sunt.
193aα **8.** [9] Conubi*o* interueniente liberi semper patrem | se*qu*untur: non interueniente conubio matris condition*i* accedunt, excepto e*o*, 'q*uod*[10] ex peregrino et ciue Romana peregrinus nascitur, quoniam lex M*i*n*i*cia[11] ex alterutro peregrino nat*um* deterior*i*s parent*i*s condition*em* sequi iubet. **9.** [12] Ex ciue Romano et Latina Latinus nascitur, et ex libero et ancilla seruus; quoniam, cum his casibus 'conubia non sint,[13] partus sequi*tur* matrem. **10.** [14] In his, qui iure contract*o* matrimoni*o* nascuntur, conceptionis temp*us* s*pe*ctatur:[15] in his autem, qui non legitime concipiuntur, editionis; ueluti si

---

disse et in superiorem versum aberrasse videtur, ubi a *inter* tā *et* masculos *scriptum ei originem debere suspicor; certe nunquam* potens *solum hoc sensu legi.* [1]) *Ex Hugonis cj.* sunt *Vat. Bg. ed.* [2]) *Cf. Serv. ad Aen.* 1, 73. *Gai.* 1, 76. [3]) *Cf. Gai.* 1, 56. [4]) *Cf. Paul.* 2, 19. §. 6. [5]) §§. 6. 7. *etiam exstant in Collat.* 6, 2. §§. 1—3. *Cf. Gai.* 1, 59—64. §§. 1—3. 5—7. 10. *I. de nupt.* (1, 10). [6]) *Bg ed. uncinis inclusit.* [7]) *Ex Collat. supplevi; nam ob* s *antecedens h. l. excidit.* [8]) *Cf. Plutarch. Qu. Rom.* 6. [9]) *Cf. Gai.* 1, 67. 78. *L.* 24. *D. de statu hom.* (1, 5). [10]) *Scripsi.* qui *Vat. edd. antea quaedam suppleveram.* [11]) mensia *Vat. edd. etiam meae* 1. 2. *cf. Gai.* 1, 78. [12]) *Cf. Gai.* 1. 82. [13]) *Malim* conubium non sit. [14]) *Cf. Gai.* 1, 89—92. *L.* 18. 24. *D. de statu hom.* (1, 5). [15]) tēpore exceptat' *Vat.* tempore *disc*eptatur *Bg. ed. Scriptum sc. erat* temp̄. *Deinde aliud vitium peperit, quod litterae* st, sp *in exordio vocis levem ante se vocalem suscipere solent velut* istecum *pro* Stichum, especе *ex* specie, *et* x *ut saepe pro* s *posita.*

681] ancilla conceperit, deinde manumissa pariat, liberum parit; nam quoniam non legitime concepit, cum editionis tempore libera sit, partus quoque liber est. * * *

TIT. VI. DE DOTIBVS.

1. Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur. 2. [1]Dotem dicere potest mulier, quae nuptura est, et debitor mulieris, si iussu eius dicat; *item*[2] parens mulieris uirilis sexus, per uirilem sexum cognatione iunctus, uelut pater, auus paternus. dare, promittere dotem omnes possunt.

3. Dos aut profecticia dicitur, id est quam pater mulieris dedit; aut aduenticia, id est ea, qu*a*e a quouis alio data est.

4. [3]Mortua in matrimonio muliere dos a patre profecta
ad patrem reuertitur, quintis in sin|gulos liberos in infinitum 193a
relictis penes uirum. quod si pater non sit, apud maritum remanet. 5. Aduenticia autem dos semper penes maritum remanet, praeterquam si is, qui dedit, ut sibi redderetur, stipulatus 'fu*er*it;[4] quae dos specialiter recepticia dicitur.[5]

6. [6]Diuortio facto si quidem sui iuris sit mulier, ipsa habet 'rei uxoriae actione*m*,[7] id est dotis repetitionem; quodsi in potestate patris sit, pater adiuncta filiae persona habet 'actionem;[8] nec interest, aduenticia sit dos, an profecticia. 7. [9]Post diuortium defuncta muliere heredi eius actio non aliter datur, quam si moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit.

8. [10]Dos si pondere, numer*o*, mensura contineatur, annua, bima, trima die redd*i*tur; nisi si ut praesens reddatur,
[682] conuenerit. reliqu*a*e dotes statim redduntur.

---

1) *Cf. Gai. epit.* 2, 9. §. 3. *L.* 41 *pr. D. de iur. dot.* (23, 3). 2) *ex Schillingii cj. pro* institutus *Vat. Sed fortasse post* dicat *excidit nota* a(uctore) t(utore). 3) *Cf. Fr. Vat.* 108. 4) fuit *Vat. Bg. ed.* 5) *Cf. L.* 31. §. 2. *D. de mort. c. don.* (39, 6). 6) *Cf. Fr. Vat.* 116. 119. 7) actionem *Vat. Bg. ed.; sed* reuera, *qualiter librarius compendium* r. u. *male explicuit, quinto abhinc versu post* actionem *positum, corrigendum et huc revocandum fuit. Cf. Hugo ad h. l. et Fll. p.* 373. 8) actionem rei uxoriae *Bg. ed. Vid. not.* 7. *De re cf. L.* 2. *C. sol. matrim.* (5, 18). 9) *Cf. Fr. Vat.* 112. 334. *L.* 57. *D. sol. matr.* (24, 3). *L. un.* §. 4. *C. de rei uxor. act.* (5, 13). 10) *Cf. Zeitschr. f. gesch. RW. XIV. p.* 44. *L.* 14—19. *D. de pact. dot.* (23, 4). *L.* 1. §. 2. *D. de dote prael.* (33, 4). *L. un.* §. 7. *C. de rei ux. act.* (5, 13).

9. [1]Retentiones ex dote fiunt (*aut propter liberos,*) aut propter mores, aut propter inpensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas.

10. [2]Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris aut patris, cuius in potestate est, diuortium factum sit; tunc enim singulorum liberorum nomine sext*ae* retinentur ex dote; non plures tamen quam tres. **11.** 'Sext*arum*[3] 'retentione, *si matrim*onium *re*petit*um sit*, dos,[4] quae semel functa est,
193 b α amplius fungi non potest, nisi | 'aliud[5] matrimonium sit.

12. Morum nomine, grauiorum quidem 'sextae retinentur;[6] leuiorum autem octaua. grauiores[7] mores sunt 'adulteri*a*[8] tantum; leuiores omnes reliqui. **13.** Mariti mor*es* puniuntur in ea quidem dote, quae 'annua die[9] reddi debet,

---

1) *Cf. Fr. Vat.* 120. *L. un.* §. 5. *C. de rei uxor. act.* (5, 13).
2) *Cf. Cic. Top.* 4. *Paul. Inst. II. apud Boeth. lib. II in Cic. Top.* 4. §. 18. *supra p.* 546. *et in Top.* 17. §. 66. *p.* 378. *Or. ubi pro* sextans *legendum est* sextas. *Fr. Vat.* 105—107. 3) sexte in *Vat.* sextae in *Bg. ed. signo novae §i non hic sed postea ante v.* dos *posito. Librarius discrimen ante oculos habuisse videtur, quod post ponebant inter id quod in exceptione et quod in petitione est. Cf. Schol. Bas.* 11, 1, 7. *p.* 563. 4) retentione sunt, non inpetitione dox *Vat.* retentione sunt, non in petitione. §. 11. Dos *ed. Bg. Alii alia commenti sunt. De nostra ratione vid. Fll. p.* 376. *De re cf. L.* 33. *D. de ritu nupt.* (23, 2). *L.* 19. 42. §. 3. *D. sol. matr.* (24, 3). *L.* 14. §. 9. *D. ad l. Iul. de adult.* (48, 5). *Fr. Vat.* 107. 5) alium *Vat. ed. Bg.* 6) *Ita Vat:* sexta retinetur *edd. pleraeque, etiam Bg. Male; nam ut taceam, omnino consentaneum fuisse, graviores mores ut maiore poena ferirentur quam in sextae ab octava differentia inest, cum graviores mores sint adulteria, quae complura fieri possunt et idcirco puniuntur, quia liberos uxor hoc modo ut marito subiiciat, committere videtur* (*L.* 6. §. 1. *ad leg. Iul. de adult.* 48, 5), *ex liberorum lege* (*cf. libr. meum Verf. d. Serv. Tull. p.* 214. 663) *etiam plures sextae ob graviores mores retineri possunt, itaque fieri poterat, ut maritus valde impudicam uxorem omnino dote privaret* (*Valer. Max.* 8, 2. §. 3). 7) *Fortasse post* gra-uiores *excidit* uxoris. 8) adulterio *Vat. Noli corrigere cum aliis* adulterium; *cf. not.* 6. 9) a die *Vat.* (*cf. P. Diacon. et Pap.* A. TP. = annuo (anni) tempore). *Significat vero tribus pensionibus, cuique annua die praestituta; ut* 'annua die' *dicitur L.* 30. §. 2. *D. de leg.* 1. *et* (*si non est a Triboniano mutata*) *L.* 1. §. 2. *D. de dote praeleg.* (33, 4) *et postea* senum mensum die. *Cf. Cuiac. obs.* 7, 21. ad die*m ed. Bg.; sed hoc plerumque de die diligenter observata dicitur.*

ita (*ut*) propter maiores mores praesentem dotem reddat,
483] propter minores senum mensum die. in ea autem, quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus iubetur reddere, quantum in illa dote, qua*e* *t*riennio redditur, 'repraesen*t*atio[1] facit.

14. [2]*Im*pensarum species sunt tres: aut enim necessariae dicuntur, aut util*es*, aut uoluptuos*ae*. **15.** Necessariae sunt impens*ae*, quibus non factis do*s* deterior futura est, uelut si quis ruinosas aedes refecerit. **16.** Vtiles sunt, quibus non factis quidem deterior do*s* non fuerit, factis autem fructuosior effecta est, ueluti si '(*uir*)[3] uineta et oliueta fecerit. **17.** Voluptuos*ae* sunt, quibus neque omissis deterior do*s* 'fuerit,[4] neque factis fruct*uos*ior effecta est; quo*d* euenit in uiridiariis et pict*u*ris similibusque rebus. * * *[5]

[6]TIT. VII. DE IVRE DONATIONVM INTER VIRVM ET VXOREM.

1. [7]Inter uirum et uxorem donatio non ualet, nisi certis ex causis, id est mortis causa, diuorti*i* causa, serui manumittendi gratia. Hoc amplius principalibus con|stitutionibus con- 193bβ
cessum est mulieri in hoc donare uiro suo, ut is ab imperatore lato clauo uel equo publico similiue honore honoretur.

2. [8]Si 'marito *uxor*[9] diuorti*i* causa res *a*mouerit, rerum quoque amotarum actione tenebitur.

3. Si maritus pro muliere se obligauerit uel in rem eius inpenderit, diuortio facto eo nomine cauere sibi solet stipulatione tribunicia.[10]

---

1) repensatio (*factum ex* rep̄sentatio *ratione sequentis* repensarum *pro Im*pensarum) *Vat. ed. Bg.* 2) *Ad* §§. 14—17. *cf. L.* 79. *D. de verb. sign.* (50, 16). *Tit. D. de impens. in res dot.* (25, 1). *L. un.* §. 5. *C. de rei uxor. act.* (5, 13). 3) *Supplevi. Excidit ob sequens* uineta. *Cf.* 5, 2. *not.* 12. *De exemplo Cic. agrar.* 2. §§. 48. 67. *Appian. de b. c.* 1, 18. 4) fieret *Vat. Bg. ed.* 5) *Duo tantum desiderari videntur, quando ob impensas retineri possit, definitio et retentionum ob res donatas et ob res amotas expositio.* 6) *Ulpianus in his, quae sequuntur, non proprias materias tractasse sed materiam de dote ad finem perduxisse putandus est, addens ad retentionum ius, quae in singulis earum speciebus praeterea scitu digna erant.* 7) *Cf. Paul.* 2, 23. §§. 1. 2. 6. *L.* 1. 9. 11. 40. 42. *D. de don. int. vir.* (24, 1). *L.* 21. 22. *C. eod.* (5, 16). 8) *Cf. tit. D. rer. amot.* (25, 2). 9) maritus (*pro* marito uc. *vid. Fl. p.* 373.) *Vat. edd.* 10) *Puta, tribunos pl. a maritis dotem*

4. [1] In potestate parentum sunt etiam hi liberi, quorum [48 causa probata est,[2] per errorem contracto matrimonio inter disparis condicionis personas: nam '*senatus consulto* (*si*)ue[3] ciuis Romanus Latinam aut peregrinam uel eam, quae dediticiorum numero est, quasi (*ciuem Romanam*) per ignorantiam uxorem duxerit, siue ciuis Romana per errorem peregrino uel ei, qui dediticiorum numero est, (*aut quasi ciui Romano*) aut etiam quasi Latino ex lege A*elia* S*ent*ia nu*p*ta fuerit, '(*liberorum nomine*, *qui ex eo matrimonio procreati fuerint*,)[4] causa probata, ciuitas R*omana* datur tam liberis quam parentibus, praeter eos, qui dediticiorum numero sunt; et ex eo fiunt in potestate parentum liberi.

TIT. VIII. DE ADOPTIONIBVS.

1. [5] Non tantum naturales liberi in potestate parentum sunt, sed etiam adoptiui. **2.** [6] Adoptio fit aut per populum, aut per praetorem uel praesidem prouinciae. Illa adoptio, quae per populum fit, specialiter arrogatio dicitur. **3.** Per populum qui sui iuris sunt arrogantur; per praetorem autem
194 a α filii familiae | a parentibus dantur in adoptione*m*. **4.** [7] Arrogatio Romae d*um*la*xat* fit; adoptio autem etiam in prouinci*is* apud praesid*es*. **5.** [8] Per praetorem uel praesidem prouinciae adoptari tam masculi quam feminae, et tam puberes quam inpuberes possunt. per populum uero '[Romanum][9] feminae '(*ne*) nunc quidem[10] arrogant*ur*; pupilli autem, 'q*ui* (*olim*)

---

reddere iussis appellatos, nisi hac stipulatione eis caveretur, se auxilium laturos esse ostendisse. 1) *Intercalatis titulis de nuptiis et de dotibus* (5, 2—7, 3) *iam continuatur materia, quae* 5, 1. *coepta erat. Cf. Gai.* 1, 65—75. *Collat.* 16, 2. §. 5. 3. §§. 7. 15. 2) *Fortasse excidit 'sive ex lege Aelia Sentia sive'.* 3) seu *Vat. edd., sed hoc natum puto ex* s̄c̄s̄ū. *Nam nec* seu *et* siue *facile componit Ulpianus, nec poterat simpliciter dicere, civitatem causa probata dari, quasi a praetore vel praeside daretur.* 4) *Necessario supplevi, quae ob similitudinem voc. 'fuerit' et 'fuerint' excidisse apparet.* 5) *Cf. Gai.* 1, 97. 6) *Cf. Gai.* 1, 98. 99. 7) *Cf. Gai.* 1, 100. 8) *Cf. Gai.* 1, 101. 102. *L.* 21. *D. de adopt.* (1, 7). *L.* 8. *C. eod.* (8, 48). 9) *Cum antea semper tantum 'per populum' dictum sit*, Romanum *ex* uero *natum puto*, *quod forte* ūro *scriptum erat.* 10) non *antea superscripto* quidem *Vat.* quidem non *ed. Bg. 'ne' ob praecedens* femi-nae *periisse videtur*, *post quod voc. in Vat. est lacuna.*

485] *item*[1] non poterant arrogari, nunc '*causa cognita*[2] possunt ex constitutione diui Antonini 'Pii. **6.** Qui[3] generare non 'potest,[4] uelut spado, utroque modo 'potest[5] adoptare; idem iuris est in persona *caelibis*. **7.** [6]Item is, qui filium non habet, in locum nepot*is* adoptare potest. **7ª.** [7]Feminae uero neutro modo possunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in potestate habent. **8.** [8]Si pater familiae arrogandum se dederit, liberi quoque eius quasi nepotes in potestate fiunt arrogatoris.

TIT. IX. DE HIS QVI IN MANV SVNT.

[9]* * * **1.** Farreo 'conuenit uxor[10] in manum certis uerbis et testibus x praesentibus et sollemni sacrificio facto, in quo pan*is* quoque farre*us* adhibetur. * * *

---

[1]) quidem *Vat.* quondam *ed. Bg. Scriptum a primo puto* q́olim item, *inde factum* qdem item, *denique insequentis corruptelae* (*not.* 2.) *ratione habita conflatum* quidem. [2]) aūt *Vat.* autem *ed. Bg. Sed cum scriptum esset* c̄c̄ (= causa cognita), *quod ab* ā, *ut in Vat. reperitur, vix discerni potest, scriptor eius codicis, unde Vat. est transcriptus, id explicuit* aut, *insequens vero librarius inde item ut* 22, 31. *fecit* aūt (= autem), *ut ad antecedens* quidem *referretur. Ceterum apparet, Ulpianum simpliciter dicere non potuisse, nunc ex const. D. Pii pupillos arrogari posse. De re cf.* §. 3. *I. de adopt.* (1, 11). [3]) Hi qui *Vat. edd. Cf. FII. p.* 375. *et Kämmerer Beiträge zur Gesch. d. R. R. p.* 36. *Ad* §. 6. *cf. Gai.* 1, 103. 104. *L.* 30. 40. §. 2. *D. de adopt.* (1, 7). [4]) possunt *Vat. edd.* (*Sed hoc ex* potest *factum ex priore illa corruptela* Hi qui). *Cf. Roeder p.* 45. [5]) *Vat.* possunt *edd.* [6]) *Cf.* §. 5. *I. de adopt.* (1, 11). [7]) *Hanc sententiam Vat. et edd. in fine tituli* (§. 8ª.) *locant. Sed hoc loco eam excidisse et ad marginem suppletam, cum nesciretur, quo pertineret, ad calcem reiectam esse, certo argumento sunt voc.* uero *et sententiarum ordo tam naturalis quam Gaianus* (1, 103. 104), *quem nunc ita Ulpianus secutus deprehenditur, ut etiam finalis* §. 8. *respondeat Gai.* 1, 107. [8]) *Cf. Gai.* 1, 107. [9]) *Lacunam h. l. esse* (*cf. Gai.* 1, 108—111.), *ipse scriptor eius codicis, unde noster est transcriptus, videtur spatio vacuo significasse, quo non relicto, vix sequens inductus esset, ut sententiam illam fugitivam* (*not.* 7.) *eo transferret. De confarreatione cf. Gai.* 1, 112. [10]) conuenitur *Vat. ed. Bg. Cf. FII. p.* 373.

TIT. X. QVI IN POTESTATE (MANV) MANCIPIOVE SVNT QVEMADMODVM EO IVRE LIBERENTVR.

1. [1]Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. sed [48
194 a β filius quidem ter mancipatus, ter manumissus | sui iuris fit; id e*ni*m lex duodecim tabularum iubet his uerbis: 'si pater filium ter 'uenund*u*uit,[2] filius a patre liber esto.' ceteri autem liberi praeter filium, tam masculi quam feminae, una mancipatione manumissioneque sui iuris fiunt. 2. [3]Morte patris filius et filia sui iuris fiunt: morte autem aui nepotes ita demum sui iuris fiunt, si post mortem aui in potestate patris futuri non sunt, uelut si moriente auo pater eorum aut etiam decessit aut de potestate dimissus est: nam si mortis aui tempore pater eorum in potestate eius sit, mortuo auo in patris sui potestate fiunt. 3. [4]Si patri uel filio aqua et igni interdictum sit, patria potestas tollitur, quia peregrinus fit is, cui aqua et igni interdictum est; 'neque autem[5] peregrinus ciuem Romanum, neque ciuis Romanus peregrinum in potestate habere potest. 4. [6]Si pater ab hostibus captus sit, quamuis seruus hostium fiat, tamen cum reuersus fuerit, omnia pristina iura rec*i*pit iure postliminii. sed quamdiu aput hostes est, patria potestas 'eius in filio[7] interim pendebit; et cum reuersus fuerit ab hostibus, in potestate filium habebit; si uero ibi
194 b α decesserit, sui iuris filius erit. Filius quoque | si captus fuerit ab hostibus, similiter propter ius postliminii patria potestas interim pendebit. 5. [8]In potestate parentum esse desinunt et hi, qui flamin*es* Di*a*l*es* inaúgurantur, et quae uirgines Vest*ae* capiuntur. * * *[9]

TIT. XI. DE TVTELIS.

1. [10]Tutores constituuntur tam masculis quam feminis: sed masculis quidem inpuberibus dumtaxat propter aetat*is*

---

1) *Cf. Gai.* 1, 132. 134. 2) uenundauit *Vat.* VENVNDABIT *ed. Bg. Sed fut.* 1. *non est huius loci.* 3) *Cf. Gai.* 1, 127. 4) *Cf. Gai.* 1, 128. 5) *Malim* neque enim. 6) *Cf. Gai.* 1, 129. 7) in filio eius *Vat. edd.* 8) *Cf. Gai.* 1, 130. 9) *Periit locus, qui in manu mancipiove sunt quemadmodum eo iure liberentur. Cf. Gai.* 1, 136—141. 10) *Cf. Gai.* 1, 144. 189. 190.

infirmitatem; feminis autem (*tam*) inpuberibus quam puberibus et propter sexus infirmitatem et propter forensium rerum ignora*n*tia*m*.

487] **2.** [1]Tutor*e*s aut legitimi sunt, aut senatus consultis constituti, aut moribus introducti.

3. [2]Legitimi tutores sunt, 'qui*cunque*[3] ex lege aliqua descendunt; per eminentiam autem legitimi dicuntur 'lege duodecim tabularum introduc*ti*,[4] seu p*r*opalam, quales sunt agn*a*ti, seu per consequentiam, quales sunt patroni. **4.** [5]Agn*a*ti sunt a patre cognati uirilis sexus, per uirilem sexum descendentes, eiusdem familiae, uelut *a* (*patre fratres*,) patrui, fratris filii, fratres patruel*e*s.[6]

* * *[7] **5.** Qui liberum caput, mancipatum sibi uel a parente uel a *c*oemptionatore, manumisit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur.[8]

6. [9]Legitimi tutores alii tutela*m* in iure cedere possunt. **7.** [10]Is, cui tutela in iure cessa est, cessic*i*us tutor appellatur; qui siue mortuus fuerit, siue capite minutus, | siue alii 194b
tutela*m* p*o*rro cesserit, redit ad legitimum tutorem tutela. sed et si legitimus decesserit aut capite minutus fuerit, cessicia quoque tutela extinguitur. **8.** [11]Quantum ad agnatos per-

---

[1]) *Cf. Gai.* 1, 188. [2]) *Cf. Gai.* 1, 155. [3]) *Omittitur in Vat.* 'qui' *suppleverunt edd. Sed mihi persuasum est, voces* qui ex, *quae versu abhinc tertio post leguntur, hinc eo translatas et ex* quicq *corruptas esse ad similitudinem illorum* ex lege aliqua; *neque enim solum* 'qui' *nostro loco sufficit, neque* ex lege introduci *eo sensu, qui hic desideratur, recte dicitur.* [4]) qui ex lege duodecim tabularum introducuntur *Vat. edd. et* κακοφωνίᾳ *illa* dicuntur — introducuntur, *et praesente modo plane inepto vitium prodente, quod vocabulis* qui ex *huc male translatis originem debet.* [5]) *Cf. Gai.* 1, 156. *et infra* 26, 1. [6]) ueluti patrui fratres. filii fratres patruelis *Vat.* ueluti patrui, fratres, filii fratris, patrueles *ed. Bg. Ulpianum nec* patruos *ante* fratres, *nec* fratres *simpliciter, nec* filii fratris (*pro* fratris filii), *nec* patrueles *tantum* (*quales etiam sorores sunt*) *dicere potuisse, palam est. Sed et vitium ex similitudine voc.* patre fratres *et* patrui fratris *facile oriri potuisse apparet. Cf. comparem locum* §. 1. *I. de legit. agn. succ.* (3, 2). [7]) *Perierunt, quae Gai.* 1, 164. 165. *tradiderat, et locus de legitima parentis tutela.* [8]) *Cf. Gai.* 1, 166. *Sed et de hac tutela Ulpianum plura dixisse puto. Cf. Gai.* 1, 172. [9]) *Cf. Gai.* 1, 168. [10]) *Cf. Gai.* 1, 169. 170. [11]) *Cf. Gai.* 1, 171.

tinet, *h*odie 'cessicia tutela[1] non procedit, quoniam permissum erat in iure cedere tutela*m* feminarum tantum, non etiam [48
masculorum; feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sust*ul*it, excepta tutela patronorum.

[2]**9.** Legitima tutela capitis diminutione amittitur. **10.** Capitis minutionis[3] species sunt tres, maxima, media, minima. **11.** Maxima capitis diminutio est, per quam et ciuitas et libertas amittitur, ueluti cum incensus aliquis uen*i*erit, aut 'mulier, quod[4] alieno seruo se iunxerit, denuntiante domino *eius* ancilla facta fuerit ex senatus consulto Claudiano. **12.** Media capitis diminutio dicitur, per quam, sola ciuitate amissa, libertas retinetur; quod fit in eo, cui aqua et igni interdicitur. **13.** Minima capitis diminutio est, per quam, et ciuitate et libertate salua, status dumtaxat homin*i*s mutatur; quod fit adoptione et in manu*m* con*uen*tione.

14. Testamento quoque nominatim tutor*es* dati confirmantur eadem lege duodecim tabularum his uerbis: 'uti legassit super[5] pecunia tutela*ue* suae rei, ita ius esto': qui tutores da*t*iu*i* appellantur. **15.** (*A parentibus*)[6] dari testamento tutor*es* possunt liberis, qui in potestate sunt. **16.** [7]Testamento tutores dari possunt hi, cum quibus testamenti
195 a α faciendi ius est, praeter | Latinum Iunianum; nam Latinus habet quidem testamenti factione*m*, sed tamen tutor dari non potest; id enim lex Iunia prohibet. **17.** Si capite diminutus fuerit[8] tutor testamento datus, non amittit tutelam; sed si abdicauerit se tutela, desinit esse tutor.[9] abdicare '(*se*) *t*utela[10] est dicere, nolle se tutorem esse; in iure cedere autem

---

1) cessi atutela *Vat.* cessio tutelae *ex Schillingii cj. ed. Bg.* 2) *Ad* §§. 9—13. *cf. Gai.* 1, 158—163. 3) *Cave corrigendum putes* diminutionis; *similiter in voc. dimidiae et mediae partis variare amat Ulpianus velut* 26, 2. 29, 1. 4) qđ mulier *Vat.* quod mulier *edd.* 5) familia *addit Bg. ed. Sed vid. Rhein. Mus. f. Jurispr. VII. p.* 61. 6) *Supplevi. Cf. FlI. p.* 375. *Gai.* 1, 144. *Fr. Vat.* 229. 7) *Cf. L.* 21. *D. de test. tut.* (26, 1). *Gai.* 1, 23. *Fr. Vat.* 172. 193. 221. — *Infra* 20, 8. 8) *Sc. minima capitis diminutione; ut L.* 7 *pr. D. de cap. min.* (4, 5). *Cf.* §. 4. *I. quib. mod. tut. fin.* (1, 22). 9) *Cf. Cic. ad Attic.* 6, 1. §. 3. 10) aūt. (*corrige* tūt.) *Vat.* autem *edd. Sed et* tutela *desideratur, et duplex* autem *offendit;* '*se*' *periit propter* abdica-re.

189] tutela*m* testamento datus non potest;[1] nam et legitimus in iure cedere potest, abdicare se non potest.

18. [2]Lex Atilia iubet, mulieribus pupillisue non habentibus tutor*es* dari a praetore et maiore parte tribunorum pleb*is*, quos tutor*es* Atilianos appellamus. sed quia lex Atilia Romae tantum locum habet, lege Iulia et Titia prospectum est, ut in prouinci*is* quoque similiter a praesidibus earum dentur tutores. **19.** [3]Lex Iunia tutore*m* fieri iubet Latinae uel Latiui inpuberis eum, cuius 'ea i*sue*[4] ante manumissionem *ex* iu*re* Quiritium fuit. **20.** [5]Ex lege Iulia de maritandis ordinibus tutor datur a praetore urbis ei mulieri uirginiue, quam ex hac ipsa lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam promittendamue, si legitimum tutorem pupillum habeat. sed postea senatus censuit, ut etiam in prouinci*is* quoque similiter a praesidibus earum ex eadem causa tutores dentur. **21.**
[6]Pr*ae*terea etiam iu locum muti furiosiue tutoris 'al|ium[7] 195 a β
dandum esse tutorem ad dotem constituendam, senatus censuit. **22.** [8]*Generali*ter[9] ex senatus consulto tutor datur mulieri ei, cuius tutor abest, praeterquam si patronus sit, qui abest: nam in locum patroni absent*is* 'a li*ber*(*ta tutor*)[10] peti non potest, nisi ad hereditatem adeundam et nuptias contra*h*endas. idemque 'permis*sum* et[11] in pupillo patroni filio. **23.** [12]Hoc amplius senatus censuit, ut si tutor pupilli pupill*ae*ue suspectus a tutela submotus fuerit uel etiam iusta de causa excusatus, in locum eius tutor alius (*detur*).

24. [13]Moribus tutor datur mulieri pupilloue, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere uult, ut auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest),

---

1) *Ad sequens* nam *subaudi: non idem igitur valet abdicatio et in iure cessio tutelae.* 2) *Cf. Gai.* 1, 185. 3) *Cf. Gai.* 1, 167. 4) etā *Vat.* etiam *edd. Cf. FlI. p.* 375. 5) *Cf. Gai.* 1, 178. 183. 6) *Cf. Gai.* 1, 180. 7) alterum (*quasi scriptum fuisset* alŧum) *Vat. edd. Cf. Roed. ad h. l.* 8) *Cf. Gai.* 1, 173—177. 9) Item *Vat. edd. Vid. FlI. p.* 375. 10) aliter *Vat. edd. Cf. FlI. p.* 368. *Quae supplevi, fortasse exciderunt, quod* ta *acceptum* tutore auctore *non magis quam repetitum* tutor *huius loci esse visum est.* 11) permisit (*ex* permis̄set) *Vat. edd. Cf. Gai.* 1, 177. 12) *Cf. Gai.* 1, 182. 13) *Cf. Gai.* 1, 184.

qui 'praetorius[1] tutor dic*it*ur, quia 'a[2] praetore urbis dari [4 consueuit.

25. [3]Pupillorum pupillarumque tutores et negotia gerunt et auctoritatem interponunt; mulierum autem tutores auctoritatem dumtaxat interponunt.

26. [4]Si plures '*sint*[5] tutores, omnes in omni re debent auctoritate*m* ac*c*ommodare, praeter eos, qui *testamento*[6] dati sunt; nam ex his uel unius auctoritas sufficit.

27. [7]Tutoris auctoritas necessaria est mulieribus quidem in his rebus: si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si ciuile negotium gerant, si libertae suae permittant in con-
195 b α tubernio alieni serui morari,[8] | si rem 'mancipi a*b*alienent.[9] pupillis autem hoc amplius etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus est.

28. [10]Liberantur tutela masculi quidem pubertate: puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habit*u* corporis pub*e*s apparet, id est qui generare possit; Proc*u*leiani autem eum, qui quattuordecim annos exple*ui*t; uerum 'Prisc*o* uisum,[11] *e*um puberem esse, in quem utrumque concurrit, et habitus corporis, et numerus annorum. **28a.** [12]Feminae autem tutela (*liberantur trium liberorum iure*; *libertae tantum*, *quae in patroni tutela sunt*, *quattuor liberorum iure ab ea*)[13] liberantur.

TIT. XII. DE CVRATORIBVS.

1. Curatores aut legitimi sunt, id est qui ex lege duodecim

---

[1]) praetorianus *Vat. ed. Bg.: qui dictus foret a praetorio. Sed* -an- *est* a *pro sigla habitum, quod huc aberravit, restituendum postea ante* praetore. [2]) *Om. Vat.* [*a*] *ed. Bg. Cf. not.* 1.
[3]) *Cf. Gai.* 1, 190. 191. [4]) *Cf. L. ult. C. de auct. praest.* (5, 59). *Cic. pro Flacco* 34, 84. [5]) sunt *Vat. edd.* [6]) *Per inquisitionem datos* (*L. ult. C. cit.*) *consulto videtur omisisse, quia de his et antea non egerat.* [7]) *Cf. Gai.* 1, 192. 2, 80. 85. 112. 118. 3, 91. 107. 108. 176. *Fr. Vat.* 45. 259. *supra* 1, 7. 11, 22. 24. 25. [8]) *Ut ancilla addicatur servi domino ex SC. Claudiano. Paul.* 2, 21a. §. 6.
[9]) mancipia alienent *Vat.* mancipi alienent *edd.* [10]) *Cf. Gai.* 1, 196.
[11]) priscus (*ex* priscoūs) *Vat. ed. Bg. Placeret Schillingii cj.:* plerisque uisum est, *si nota* p̄risq. = plerisque *haberet auctorem.*
[12]) *Cf. Gai.* 1, 194. *infra* 29, 3. [13]) *Haec fere eaque tantum ut ὁμοιοτέλευτα a librario ad finem properante omissa esse puto.*

[491] tabularum dantur,[1] aut honorarii, id est qui a praetore constituuntur. **2.** Lex duodecim tabularum furiosum, itemque prodigum, cui bonis[2] interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum.[3] **3.** A praetore constitu*i*tur curator, quem ipse praetor uoluerit, libertinis prod*i*gis, itemque ingenuis, qui ex testamento parent*is* hered*e*s facti male dissipant bona: his enim ex lege curator dari non poterat, cum ingenuus quidem non ab intestato, sed ex testamento heres factus si*t* patri; libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse uidetur, cum seruilis cognati*o* nulla sit. **4.** Praeterea '(*praetor ex lege Plaetoria*)[4] dat curatorem 'etiam ei,[5] qui nuper pub*e*s factus idonee negotia sua tueri non potest. * * *

TIT. XIII. DE C*A*EL*IB*E ORBO ET SO|LITARIO PATRE.[6] 195bβ

1. [7]Lege Iulia prohibentur uxores ducere senatores quidem liberique eorum libertinas et qu*ae* ips*ae* quarumue pater materue artem ludic*r*am fecerit; **2.** [8]'i*i*dem (*et*)[9] ceteri autem ingenui prohibentur '(*uxorem*)[10] ducere '(*palam*) corpore quaestum facientem, (*et*)[11] lenam, et a lenone lenaue

[1]) *Itaque huius legis ea interpretatio facta est, ut praetor ex iis daret, quos lex curatores esse iussisset. Cf.* §. 3. *I. h. t.* (1, 23) *ibiq. Schrad. et seq.* §. 3. *verba:* quem ipse praetor uoluerit. [2]) *Fortasse excidit* '*paternis et auitis*', *cf. Paul.* 3, 4ª. §. 7. *Quia enim lex iis tantum bonis, quae ipsa familiae nomine dederat, sibi videbatur familiae nomine interdicere posse, ideo legitima interdictio non pertinebat ad bona, quae aut non a patre avoque aut non ex lege ad prodigum pervenerant; cf.* §. 3. [3]) *Tacet de gentilibus, qui exoleverant. Cf. Collat.* 16, 4. §. 4. [4]) *Vid. FlI. p.* 374. *Cf. Capitolin. Marc.* 10. *pr. I. de curat.* (1, 23) *ibique Schrader. Ceterum haec lex olim* L. PL. *notata videtur fuisse, quam notam notarum collectores male vel* locus publicus *vel* lex plebeia *explicant.* [5]) ei etiam (*olim fuerit* et. ei) *Vat. edd.*
[6]) *Cf. Fitting in Zeitschr. f. R. G. XI. p.* 435. [7]) *Cf.* 16, 2. *L.* 44 *pr. D. de rit. nupt.* (23, 2). *L.* 28. *C. de nupt.* (5, 4). [8]) *Cf. L.* 44. §. 8. *L.* 43. *D. de ritu nupt.* (23, 2). [9]) item *Vat. edd. Cf. FlI. p.* 367. *Quae in Vat. et edd. sequuntur verba* corpore quaestum facientem (*amisso in fine posito voc.* et) *perperam huc transposita, auctore Mommseno, suo loco ante voc.* lenam *restitui.* [10]) *Excidit ob antecedens* prohibent-ur; *cf. not.* 10 *ad* 9, 1. [11]) *Hoc sensu flagitante* (*cf. L.* 43 *pr. cit.*) *tanto facilius suppletur, quod hinc demum apparet, qui factum sit, ut librarius verba* corpore

manumissam, et in adulterio deprehensa*m*, et iudicio publico [49] damnata*m*, et quae arte*m* ludic*r*am fecerit: adicit 'Mauricianum senatus *consul*tum[1] a senatu damnatam. * * *

TIT. XIV. DE POENA LEGIS IVLIAE.

1. Feminis lex Iulia a morte uiri anni tribuit uacationem, a diuortio sex 'mens*um*:[2] lex autem Papia a morte uiri biennii, a repudio anni et sex mens*um*.[2] * * *

TIT. XV. DE DECIMIS.

1. Vir et uxor inter se matrimonii nomine decimam capere possunt. quod si ex alio matrimonio liberos superstites habeant, praeter decimam, quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunt. **2.** Item communis filius filiaue post nominum diem[3] amissus amissaue unam decimam adicit; duo autem post no*minum* die*m* amissi duas decimas adiciunt. **3.** Praeter decimam etiam usumfructum tertiae part*is* bonorum '(*uir*) et uxor[4] capere possunt, et quandoque liberos habuerint, eiusdem part*is* proprietatem; hoc amplius mulier, praeter decimam, dotem 're-legatam[5] sibi.

196aα ### TIT. XVI. DE SOLIDI CAPACITATE | INTER VIRVM ET VXOREM.

1. [6]Aliquando uir et uxor inter se solidum capere possunt, uelut si uterque vel alteruter eorum nondum eius aeta*tis* s*i*nt, 'a[7] qua lex liberos ex*i*git, id est si[8] uir minor anno-

---

quaestum facientem *h. l. omitteret; scilicet confundens* palam *cum* lenam *statim ad hanc vocem aberraverat.* [1]) mauricianis et (*pro* mauricianusct, *ut puto*) *Vat.* Mauricianus et *edd. Vid. FII. p.* 367. *Fortasse hoc est SC., quod laudatur L.* 43. §. 10. *D. de ritu nupt.* (23, 2). *Sed multi Maurici primo seculo in honoribus fuere.*
[2]) menses *Vat.* mensum *ed. Bg.* [3]) *Qui erat pueris nonus, puellis octavus. Fest. ep. v.* '*Lustrici*' *p.* 120. *Macrob. Sat.* 1, 16. *Cf. etiam leg. Flav. Malac.* 56. [4]) eius *Vat. natum ex* etue = et uxor; uir *ex geminato* ū *vocabuli* bonorū *feci; cf. not.* 3 *ad* 6, 16. coniuges *ed. Bg. Cf. FII. p.* 373. [5]) potest (*factum sc. ex* pe *pro* re) legatam *Vat.* (*capere*) potest legatam *ed. Bg. Cf. FII. p.* 373.
[6]) *Cf. Tertull. apol.* 4. *de monog.* 16. *Sozom. hist. eccl.* 1, 9. *F. A. Schilling Bemerk. p.* 300. [7]) aut *Vat. sc. male explicata* a.
[8]) aut *inserit Bg., quod non est huius loci.*

rum XXV sit, aut uxor annorum XX minor; item si utrique
[493] lege Papia finit*o*s annos in matrimonio excesserint, id est uir LX annos, uxor L; item si cognati inter se co*i*eri*n*t usque ad sextum gradum.[1] **1ª.** [2]Libera inter eos testamenti factio est, si ius liberorum a principe inpetrauerint; 'aut si uir '(*rei publicae causa*)[3] absit, et donec abest et intra annum, postquam abesse desierit;[4] aut si filium filiamue communem habeant, aut quattuordecim annorum filium uel filiam duo*decim* amiserint; uel si duos trim*o*s, uel tres post no*m*inum diem amiserint, ut intra annum tamen et sex menses etiam unus cuiuscumque aetatis inpub*es* amissus solidi capiendi ius praest*et*. item si post mortem uiri intra decem menses uxor ex eo peper*er*it, solidum ex bonis eius capit.

2. Aliquando nihil inter se capiunt: id est, si contra legem Iuliam Papiamque Pop*pa*eam contraxerint matrimonium, uerbi gratia si famosa*m* '*ingenuus*[5] uxorem duxerit, aut libertinam senat*or*.

---

1) *Qui hic sequuntur duo versus in Vat. et edd.* aut si uir absit, et donec abest et intra annum postquam abesse desierit, *eos fugitivos esse ex eo loco* §. *sequentis, cui eos restituimus* (*vid. not.* 4.), *duo evincunt; primum incipiens* aut, *quo non hic*, *at seq.* §*o singula membra distinguuntur, deinde quod hic casus est non tantum 'solidi capacitatis', sed liberae testamenti factionis. Nam cum illa complectatur eas causas*, *quae fere extra voluntatem positae sint*, *hac Ulpianus ceteras comprehendit*, *quae a voluntate ac merito pendebant*, *ut iis is, qui ultimum iudicium ordinaturus erat, liberam testamenti factionem nancisceretur. Quarum differentia causarum interdum etiam in eo cernebatur, quod in priore genere capientis condicio, ut puta minoris XXV vel XX annorum, tempore delatae hereditatis, in altero defuncti meritum tempore testamenti conditi aestimabatur* (*cf. Mommsen ad Bgii Ulp. p.* 108). *Ergo in nostra specie, si vir antequam reip. causa peregre profectus erat nec ratione eius profectionis testamentum fecerat, vel ab uxore heres institutus erat, non proficiebat alterutri, quod absentiae tempore alteruter decederet. Secus in contrario casu.*

2) Item *supplet geminando antecedens* (desier)it *Schilling.; ego malim* Magis (m̄g, *quod ob olim autecedens* gradum *facile excidere potuit*). 3) *Recte haec excidisse* (*ob notam* r.p.c.) *iudicarunt J. Gothofr. et alii, licet L.* 35—38. *D. quib. ex caus. mai.* (4, 6) *alio spectaverint. Cf. Heinecc. ad L. Pap. Popp.* 2, 15. §. 5.

4) *Haec h. l. ob* ὁμοιοτέλευτον inpetrauerint — desierit, *excidisse videntur. Cf. not.* 17 *ad* 16, 1. 5) quis (*postquam* in = m *ad-*

3. Qui intra sexagesimum uel quae intra quinquagesimum [49
annum neutri leg*i* paruerit, licet ipsis legibus post hanc
196aβ aetat*em* liberatus esset, perpetuis tamen poenis 'tene|tur[1]
ex senatus consult*o* 'Persiciano.[2] **4.** [3]Sed Claudiano senatus consult*o* maior sexagenario si minorem quinquagenaria duxerit, perinde 'habe*ri* *iu*betur,[4] ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem. quod si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit, '(*id*)[5] inpar matrimonium appellatur e*t* senatus consult*o* Calui*s*iano[6] iubetur non proficere ad capiendas hereditates et legata '(*aut*) dote*m*.[7] itaque mortua muliere do*s* caduca erit.[8] * * *

TIT. XVII. DE CADVCIS.

1. [9]Quod quis sibi testamento relict*um*, ita ut iur*e* ciuili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, 'ueluti[10] cecid*er*it ab eo: uerbi gratia si *ca*elibi uel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum uel *ca*elebs legi paru*er*it, uel Latinus ius Quiritium consecutus sit; aut si ex parte heres scriptus uel legatarius ante apertas tabulas decesserit uel 'peregrinus[11] factus sit. * * *[12] **2.** Hodie

---

haeserat voci famosa) *Vat. edd. Sed vid. tit.* 13. *et FlI. p.* 375.
[1]) tenebitur *Vat. edd.* [2]) *Emendavit Perizonius, ut sit a Persico cos. a.* 34. perniciano *Vat. edd. Ceterum cf. L.* 27. *C. de nupt.* (5, 4). [3]) *Novae §i signum, quod editores posuerunt post* duxisset uxorem, *non animadvertentes scilicet, ante omnia vetus et novum ius ab Ulpiano discerni, huc transtuli. De re cf. Sueton. Claud.* 23. [4]) habebitur *Vat. edd.* [5]) *Geminando restitui. De re cf. L.* 12. *C. de legit. her.* (6, 58). [6]) *Correxit Perizon.* caluitiano (*ut* 25, 14. pecatiano) *Vat. edd.* [7]) dotes *Vat.* (*et*) dotes *ed. Bg. Vid. FlI. p.* 375. [8]) *Quam alioqui mortis causa pater vel vir capiebat; cf. supra* 6, 4. *Itaque nunc ex testamento ad patres, ceterum ad populum pertinebat.* [9]) *Cf. infra* 28, 7. 19, 17. 22, 2. 3. *Gai.* 2, 111. 144. 286. *Fr. de i. fisci* 3. *L. un.* §. 5. *C. de caduc.* (6, 51). [10]) *An* uelut q. (quod)? [11]) pereger (*factum puta ex nota* peregr.) *Vat. ed. Bg.* [12]) *Non potest Ulpianus non dixisse, quid lex Papia de caducis caverit. Et hic tantum excidisse* ὁμοιοτέλευτον *puto, velut hocce: 'Caduca iure antiquo quidem ad coheredes vel collegatarios pertinebant iure accrescendi, aut legata in hereditate remanebant. Ex lege Papia autem translata sunt ad heredes patres vel legatarios patres certo ordine in caducis vindicandis constituto, ut si heres vel legatarius pater non esset vel non vin-*

[495] ex constitutione imperatoris Antonini[1] omnia caduca fisco uindicantur; sed seruato iure antiquo liberis et parentibus. **3.** [2]Caduca cum suo on*e*re fiunt: ideoque libertat*es* et 'legat*a* (*uel*)[3] fideicommissa ab eo data, ex cuius persona hereditas caduca facta est, salua sunt: 'set[4] et legata et fideicommissa cum suo onere fiunt caduca. | * * *

TIT. XVIII. QVI HABEANT IVS ANTIQVVM IN CADVCIS. 196bα

1. [5]Item liberis et parentibus testator*i*s usque ad tertium gradum lex Papia ius antiquum dedit, ut heredibus illis institutis, quod quis ex eo testamento non capit, ad hos pertineat aut totum aut ex parte, prout pertinere possit. * * *

TIT. XIX. DE 'DOMINIIS[6] ET ADQVISITIONIBVS RERVM.

1. [7]Omnes res aut manc*i*pi sunt aut nec manc*i*pi. manc*i*pi res sunt praedia in Italico solo, *tam* rustic*a*, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus; item iura praediorum rusticorum, uelut uia, iter, actus, aqu*a*eductus; item serui et quadruped*es*, quae dorso colloue domantur, uelut boues, muli, equi, asini. ceter*ae* res nec mancipi sunt. elefanti et cameli quamuis collo dorsoue domentur, nec manc*i*pi sunt, quoniam bestiarum numero sunt.

2. [8]Singularum rerum domini*um* nobis adquiritur mancipatione, traditione, 'usucapione, in iure cessione,[9] adiudicatione, lege.

---

dicaret, caducum ad populum deferretur. Et eiusdem bona esse iubentur, si nemo defuncto heres f a c t u s s i t.' Nec hoc impedit, quo minus Mommseni probemus sententiam, §um 2. locum mutavisse, restituendamque esse, ut idem censet, ante tit. XVIII., vel quod verisimilius est, post eum.

1) *Post a.* 212. *Cf. Dio* 77, 9.

2) *Cf. supra* 1, 21. *L. un. C. de caduc.* (6, 51). *L.* 9. *D. de SC. Silan.* (29, 5). *L.* 60. §. 1. *D. de cond. et dem.* (35, 1). *L.* 2. §. 2. *D. si quis aliq. test.* (29, 6). *L.* 14. *D. de i. fisci* (49, 14).

3) legato (*ex* legatau) *Vat.* 'legata (*et*)' *ed. Bg.*

4) *Ex Cuiac. cj.* scilicet *Vat.* (*notam* scl *sibi videre librarius visus*) *edd.*

5) *Cf.* 1, 21. 25, 17. *L.* 29 *fin. D. de leg.* 2. *L. un. pr. C. de caduc.* (6, 51).

6) *Vat.* DOMINIO *ed. Bg.*

7) *Cf. Gai.* 2, 15—17. 1, 120.

8) *Cf. Gai.* 2, 45. *Varr. de re r.* 2, 10. §. 4. *Cic. Top.* 5.

9) *Vahlen. ed.* in iure cessione usucapione *Vat. ed. Bg. Transposita esse, quia alterum utrum aliquando exciderat, ut permulta in Vat., ostendunt* §§. 8. 9.

3. [1]Mancipatio propria species alienationis est rerum [496
mancipi; eaque fit certis uerbis, libripende et quinque test*ibus*
praesent*ibus*. **4.** [2]Mancipatio locum habet inter ciues Romanos et Latinos 'coloniari*os*[3] Latin*o*sque Iunian*o*s eosque peregrin*o*s, quibus commer*c*ium datum est. **5.** Commer*c*ium
196bβ est emendi uendundique inuicem | ius. **6.** [4]Res mobil*e*s non
nisi praesentes mancipari possunt, et non plures 'simul[5]
quam quo*t* manu capi possunt; immobil*e*s autem etiam plures,
et quae diuersis locis sunt, mancipari possunt.

7. [6]Traditio '*aeque*[7] propria est alienatio rerum nec
mancipi. *h*arum '(*enim*)[8] rerum domini*um* ipsa traditione adprehendimus, scilicet si ex iusta causa traditae 's*i*nt[9] nobis.

8. [10]Usucapione domini*um* adipiscimur tam man*c*ipi rerum, quam nec man*c*ipi. usucapio est autem dominii adeptio
per continuationem possessionis anni uel biennii: rerum mobilium anni, immobilium biennii.

9. [11]In iure cessio quoque communis alienatio est et mancipi rerum et nec man*c*ipi. quae fit per tres personas, in iure
cedent*i*s, uindicant*i*s, addicent*i*s: **10.** in iure cedit dominus;
uindicat is, cui ced*i*tur; addicit praetor. **11.** [12]In iure cedi
res etiam incorporal*e*s possunt, uelut ususfructus et hereditas
et tutela legitima libertae. [13]**12.** Hereditas in iure ceditur
uel antequam adeatur, uel posteaquam adita fuerit: **13.**
antequam adeatur, in iure cedi potest ab herede legitim*o*;
posteaquam adita est, tam a legitimo quam ab eo, qui testamento heres scriptus est. **14.** Si antequam adeatur, hereditas in iure cessa sit, proinde heres fit, cui cessa est, ac si
ipse heres legitimus esset; quod si postea*q*uam adita fuerit,
in iure cessa sit, is, qui cess*i*t, permanet heres, et ob id cre-
197aα ditoribus defuncti manet | obligatus; debita uero pereunt, id
est debitores defuncti liberantur; (**15.**) res autem corporales, [49

---

1) *Cf. Gai.* 1, 119. 2, 22. 2) *Cf. Varro l. c. Boëth. ad Cic. Top.* 5. 3) colonarios *Vat. ed. Bg.* 4) *Cf. Gai.* 1, 121. 5) *Ex sequenti versu, ubi Vat. et edd. post* plures *habent, huc revocavi.* 6) *Cf. Gai.* 2, 19. 20. 65. 7) *Supplevi in lacuna Vat. trium litterarum* (aeq̄) *FlI. p.* 373. 8) *Feci ex omissa praecedente* m. 9) sunt *Vat. ed. Bg.* 10) *Cf. Cic. Top.* 4, 23. *cum Boëth. Gai.* 2, 42—44. 11) *Cf. Gai.* 2, 24. 12) *Cf. Gai.* 2, 14. 29—38. *supra* 11, 6—8. 13) *Ad* §§. 12—15. *cf. Gai.* 2, 34—37. 3, 85—87.

qua*s*i singulae in iure cess*ae* es*s*ent, transeunt ad eum, cui cessa est hereditas.

16. [1]Adiudicatione dominium nanciscimur per formulam familiae herciscundae, quae locum habet inter *c*oheredes; et per formulam communi diuidundo, cui locus est inter socios; et per formulam finium regundorum, quae est inter uicinos. nam si iudex uni ex '*co*heredibus[2] aut sociis aut uicinis rem aliquam adiudicauerit, statim illi adquiritur, siue mancipi siue nec mancipi sit.

17. Lege nobis adquiritur uelut caducum uel erept*o*rium[3] ex lege Papia Pop*pa*ea, item legatum ex lege duodecim tabularum, siue manc*i*pi res sint[4] siue nec manc*i*pi.

18. [5]Adquiritur autem nobis etiam per eas personas, quas in potestate, manu mancipioue habemus. itaque si 'quid e*ae*[6] mancipio 'puta[7] acceperi*n*t, aut traditum eis sit, uel stipula*tae*[8] fuerint, ad nos pertinet; [**19.**] item si heredes institutae[9] sint legatumue eis sit, et hereditatem iussu nostro adeuntes nobis adquirunt, et legatum ad nos pertinet. **20.** [10]Si seruus alterius in bonis, alterius ex iu*re* Quiritium sit, ex omnibus causis adqui*ri*t ei, cuius in bonis est. **21.** [11]Is, quem bona fide possidemus, siue liber siue alienus seruus sit, nobis adquirit ex duabus causis tantum, id est, quod ex re nostra et quod ex operis suis adquirit: extra has autem causas aut si*bi* adquirit, si liber sit, aut domino, si alienus seruus sit. eadem sunt | et in eo seruo, in quo tantum usumfructum 197 a β
habemus. * * *

TIT. XX. DE TESTAMENTIS.

1. [12]Testamentum est ment*i*s nostrae iusta conte*sta*tio in id sollemniter fac*ta*, ut post mortem nostram ualeat. **2.** [13]Te-
[illegible] stamentorum genera fuerunt tria, unum, quod calatis comiti*i*s,

---

1) *Cf.* §§. 4—7. *I. de off. iud.* (4, 17). *Gai.* 4, 39. 42. 2) heredibus *Vat. edd.* 3) *Vid. Gloss. Pith. v. 'ereptoria' collata simili voc. 'occupatorius' et tit. D. de his quae ut ind.* (34, 9). 4) *Malim* sit. 5) *Cf. Gai.* 2, 86 *seq.* 3, 163. 6) quidem *Vat.* quid *ed. Bg.* 7) *Omisit Bg. per errorem.* 8) stipulati *Vat. edd.* 9) instituti *Vat. edd.* 10) *Cf. Gai.* 2, 88. 1, 54. 11) *Cf. Gai.* 2, 92. 91. 12) *Cf. pr. I. de testam.* (2, 10) *ibiq. Schrader.* 13) *Cf. Gai.* 2 101 *seq.* §. 1. *I. de testam.* (2, 10).

alterum, quod in procinctu, tertium, quod per *a*es *e*t libram appellatum 'est. *sed ill*is[1] duobus testamentis abolitis hodie solum in usu est, quod per *a*es *e*t libram fit, id est per mancipationem imaginariam. in quo testamento libr*i*pens ad*h*ibetur et familiae emptor et non minus quam quinque testes, cum quibus testamenti factio est. **3.** [2]Qui in potestate testatoris est aut familiae emptoris, test*i*s a*ut* libr*i*pens adhiberi non potest, quoniam familiae mancipatio inter testatorem et familiae empto*rem* fit, et[3] domestici testes adhibendi non sunt. **4.** Ob id '(*et*)[4] filio '(*familiae*)[5] famili*am* emente pater eius test*is* esse non potest; [**5.**] (*et*)[6] ex duobus fratribus, qui in e*ius*dem patris potestate sunt, alter familiae emptor, alter test*is* esse non potest, quoniam quod unus ex his mancipio acc*i*pit, adquirit patri, cui filius suus test*is* esse non debet. **6.** '(*At*) pater[7] et (*filius*), qui in potestate eius est, i*tem* duo fratres, qui in eius*dem* patris potestate sunt, testes utrique, uel alter test*is*, alter libr*i*pens fieri possunt, alio familia*m* emente; quoniam nihil nocet ex una dom*o* plures testes
197 b α alieno negotio adhiberi. **7.** [8]Mutus, | surdus, furiosus,[9] pupillus, femina neque familiae emptor esse, neque test*is* libr*i*pensue fieri potest. **8.** Latinus Iunianus et familiae emptor et test*is* et libr*i*pens fieri potest, quoniam cum eo testamenti factio est.

9. [10]In testamento, quod per *a*es *e*t libram fit, duae res aguntur, familiae mancipatio et nuncupatio testamenti.[11] nuncupatur testamentum in hunc modum: tabulas testamenti test*a*tor tenens ita dicit: HAEC VT IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR; ITAQVE VOS, QV*I*RIT*E*S, TESTIMONIVM '(*MIHI*) PERHIBETOTE.[12] quae [49
nuncupatio et testatio uocatur.

---

[1]) ē his (*quod prodiit ex* ēs'illis) *Vat.* est. his *ed. Bg.* [2]) *Cf. Gai.* 2, 105. 107. §. 9. *I. de testam.* (2, 10). [3]) et ob id *Vat. edd. Sed* ob id *hic molestum transferendum erat ad initium §i seq., ubi desiderabatur.* [4]) 'et' *in transpositione perierat.* [5]) *Geminando addidi. Cf. Roed. ad h. l. et FlI. p.* 375. [6]) *Fere geminando addidi.* [7]) *Hic locus exstat paucis mutatis in L.* 17. *D. de test.* (22, 5). [8]) *Cf.* §. 6. *I. de testam.* (2, 10). [9]) *An excidit* 'seruus, peregrinus'? [10]) *Cf. Gai.* 2, 104. 149. [11]) *De familia mancipanda expositio h. l. excidisse videtur.* [12]) p̄bitote *Vat., quem ex Gai.* 2, 104. *correxi. Certe una tantum tam solemnium*

10. [1]Filius familiae testamentum facere non potest, quoniam nihil suum habet, ut testari de eo possit. sed diuus Augustus 'mor*ib*us[2] constituit, ut filius familiae miles de eo peculio, quod in castris adquisiuit, testamentum facere possit. **11.** [3]Qui de statu suo incertus est ('fac *e*o,[4] quod patre peregre mortuo ignorat, se sui iuris esse) testamentum facere non potest. **12.** [5]Inpub*e*s, licet sui iuris sit, facere testamentum non potest, quoniam nondum plenum iudicium animi habet. **13.** [6]Mutus, surdus, furiosus, itemque prodigus, cui lege bo*n*is interdictum est, testamentum facere non possunt: mutus, quoniam uerba nuncupationis loqui non potest; surdus, quoniam uerba familiae emptoris exaudire | non potest; furiosus, quoniam mentem non habet, ut testari de ea re[7] possit; prodigus, quoniam commercio illi interdictum est, et ob id familia*m* mancipare non potest. **14.** [8]Latinus Iunianus, item is, qui dediticiorum numero est, testamentum facere non 197bβ
[500] potest: [**15.**] Latinus quidem, quoniam nominatim lege Iunia prohibitus est; is autem, qui dediticiorum numer*o* est, quoniam nec quasi ciu*i*s Romanus testari potest, cum sit peregrinus, nec quasi peregrinus, quoniam nullius cert*ae* ciui-

---

verborum enunciatio probari potest, nec vitiis librariorum quicquam tribuendum. PRAEBITOTE *ed. Bg.* 1) *Cf. pr. I. quib. n. e. perm. fac. test.* (2, 12). 2) marcus *Vat.* [Marcus] *ed. Bg.* 'moribus constituit' *idem est, quod ab ipso Ulp. L.* 2. §. 2. *D. fam. erc.* (10, 2) *dicitur 'per constitutiones' et in pr. I. cit. 'ex auctoritate D. Augusti' hoc ius militantibus filiisfam. datum esse, qui scilicet pro morum legumque regimine suo commendando hoc ius et, sequentibus hoc exemplum ceteris imperatoribus, etiam assidue per multas speciales constitutiones dando ac tuendo effecit, ut longa consuetudine inveteraret (cf. supra init.* 4.), *et ita moribus induxit.* 3) *Cf. L.* 14. 15. *D. qui testam. fac.* (28, 1). *L.* 6. §. 8. *D. de iniusto* (28, 3). *L.* 9. *D. de iure cod.* (29, 7). 4) *Cf. FlI. p.* 373. (*ubi pro* 'tus' *lege* 'to'). facto *Vat.* factus *ed. Bg., quem disputantem, hanc unam eiusmodi incertitudinis speciem esse, et regulae Catonianae nescio quam similitudinem huc trahentem me non intelligere fateor. Alia exempla facile fingi possunt, velut eius, qui mortuo avo patrem suum emancipatum ignorat, et quod exstat in L.* 14. *cit. Sed et vox* factus *h. l. admodum languet.* 5) *Cf. Gai.* 2, 113. *Paul.* 3, 4ª. §. 1. 6) *Cf.* §§. 2. 3. *I. quib. n. e. perm.* (2, 12). *Paul.* 3, 4ª. §§. 6 *seq.* 7) *Qua de agitur. Cf. FlI. p.* 368. 8) *Cf. Gai.* 1, 23. 25. 3, 75.

tatis ci*uis est*, ut *secun*du*m* leg*e*s ciuitatis suae testetur. **16.** [1]Feminae post duodecimum annum *a*etatis testamenta facere possunt, tutore auctore, donec in tutela s*u*nt. **17.** [2]Seruus publicus 'po*puli* R*omani pro peculii* p*a*rte dimidia[3] testamenti faciendi hab*et* ius.

TIT. XXI. QVEMADMODVM HERES INSTITVI DEBEAT.

1. [4]Heres institui recte potest his uerbis: TITIVS HERES ESTO, TITIVS HERES SIT, TITIVM HEREDEM ESSE IVBEO; illa autem institutio HEREDEM INSTITVO, HEREDEM FACIO plerisque inprobata est. * * *

TIT. XXII. QVI HEREDES INSTITVI POSSVNT.

1. [5]Heredes institui possunt, qui testamenti factione*m* cum testatore habent. **2.** [6]Dediticiorum numer*o* heres institui non potest, quia peregrinus est, cum quo testamenti factio non est. **3.** [7]'(*Latinus Iunianus heres institui potest; et*)[8]
198 a α si quidem mortis testatoris tempore uel in|tra diem cretionis ciuis Romanus sit, heres esse potest; quodsi Latinus manserit, lege Iunia capere hereditatem prohibetur. idem iuris est in persona c*a*el*i*bis propter legem Iulia*m*. **4.** [9]Incerta persona heres institui non potest, uelut hoc modo: QVISQVIS PRIMVS AD FVNVS MEVM VENERIT, HERES ESTO; quoniam certum consilium debet esse testantis. **5.** [10]Nec 'munici-
pi*um*,[11] nec municip*es* heredes institui possunt, quoniam in- [5(

---

1) *Cf. Gai.* 2, 113. 118. 2) *Cf. L.* 3. *D. de manumiss. q. servis* (40, 3). *Plin. ep.* 8, 16. 3) p̄toriani pertes dimidiā *Vat.* populi Romani partis dimidiae *ed. Bg. Mihi olim scriptum fuisse videtur* p.r.ppeculi; *ut ex* peculi *totidem ductibus prodierit* riani, *cum librarius his antecedentis notae* (*mutilatae antea ut* 1, 7.) *explicationem contineri putaret, quam similiter explicuit* 24, 28. 4) *Cf. Gai.* 2, 117. 5) *Cf. L.* 16. *D. qui testam. fac.* (28, 1). §. 24. *I. de legat.* (2, 20). 6) *Cf. Gai.* 1, 25. 2, 110. 218. 7) *Cf. supra* 17, 1. *Gai.* 1, 23. 2, 110. 275. 286. 8) *Supplevi; exciderunt priora ob simile* non est — potest, '*et*', *ut saepe, pone* est. '*Latinus Iunianus*' *tantum supplent edd.* 9) *Cf. infra* 24, 18. *Gai.* 2, 287. 10) *Cf. Plin. ep.* 5, 7. *Capitolin. in Gord. III. circa med. Tacit. Ann.* 4, 43. *L. un. pr.* §. 1. *D. de libert. univ.* (38, 3). *L.* 12. *C. de hered. inst.* (6, 24). *L.* 26. 27 *pr. D. ad SC. Treb.* (36, 1); *infra* 24, 28. 11) municipia *Vat. edd.*, *cui neque* municipes *aequipollent* (*cf. L.* 3. *D. de reb. dub.* (34, 5), *neque respondet* incertum corpus.

certum corpus est, *e*t neque cernere uniuersi, neque pro h*e*rede *g*erere possunt, ut heredes fiant: senatus consulto tamen concessum est, ut a libertis suis heredes institui possint. Sed fideicommissa hereditas municipibus restitui potest; 'denique[1] hoc senatus consulto prospectum est. **6.** [2]Deos heredes instituere non possumus praeter eos, quos 'senatus consult*is*[3] constitutionibus*ue* principum instituere concessum est, sicuti Iouem T*a*rpeium, Apoll*i*nem Did*y*m*a*eum 'Mileti,[4] Martem in Gallia, Mineruam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Efesiam, Matrem deorum 'Sip*y*len*e*m,[5] quae Sm*y*rn*a*e colitur, et C*a*elestem 'S*e*len*e*n de*a*m Carthaginis.[6]

[7]**7.** Seruos hered*e*s instituere possumus, nostros cum libertate, alienos sine libertate, commun*e*s cum libertate uel sine libertate. **8.** [8]Eum seruum, qui tantum in bonis noster est, nec cum libertate heredem instituere | possumus, quia 198 a β
Latinitat*em* consequitur, quod non proficit ad hereditatem capiendam. **9.** [9]Alien*o*s seru*o*s heredes instituere possumus eos tan*tum*, quorùm cum domini*s* testamenti factione*m* habemus. **10.** [10]Communis seruus cum libertate recte quidem heres instituitur quasi proprius 'pro parte nostra;[11] sine libertate autem quasi alienus propter socii partem. **11.** Pro-
[502] prius seruus cum libertate heres institutus si quidem in eadem causa permanserit, ex testamento liber et heres fit, id est necessarius; [**12**] quod si ab ipso testatore uiuente manumissus uel alienatus sit, suo arbitrio uel iussu emptoris hereditatem adire potest. sed si sine libertate sit institutus, omnino

---

1) *Malim* deque. 2) *Cf. Dio* 55, 2. *Corp. inscr. Gr.* 3286. 3385. 3386. 2824. 2826. 2843. 2848. *FlI. p.* 369 *seq.* 3) senatus consulto *Vat. edd.* 4) *Ex Mommseni cj.* sicuti *Vat. edd. Cf. FlI. p.* 369. 5) sipelensim *Vat.* Sipylensem *ed. Bg. Cf. FlI. l. c.* 6) salinensem carthaginis *Vat. ed. Bg. Cf. Herodian.* 5, 6. *FlI. l. c.* Sidonensem *Lachm. cj. etiam ea de causa reiicienda, quod nec proprie haec dea sic appellabatur et suspicio inde oreretur, quasi Sidone* (*ut Minerva Ilii etc.*) *hoc privilegium haberet.* deam Carthaginis *pro* Carthagini (*cf. FlI. l. c.*) *nunc ea maxime de causa praefero, quod Ulpianus variare orationem amat et quod hoc numen saepe proprie dea nuncupatur.* 7) *Ad* §§. 7—13. *cf. Gai.* 2, 185 *seq. pr.* §§. 1—3. *I. de hered. inst.* (2, 14). 8) *Cf. lib. meum 'Gaius' p.* 58. 9) *Cf. L.* 31 *pr. L.* 52. *D. de her. inst.* (28, 5). 10) *Cf. L.* 6. §. 3. — *L.* 8. *D. ib. Paul.* 3, 6. §. 3. 11) *Malim* propter partem nostram.

non consistit institutio. **13.** Alienus seruus heres institutus si quidem in ea causa permanserit, iussu domini debet hereditatem adire; quod si uiuo testatore manumissus aut alienatus a domino fuerit, aut suo arbitrio aut iussu emptoris poterit adire hereditatem.

[1]**14.** Sui heredes '(*uel heredes*)[2] instituendi sunt uel exheredandi. sui autem heredes sunt liberi, quos in potestate habemus, tam naturales quam adoptiui; item uxor, quae in manu est, et nurus, quae in manu est filii, quem in potestate habemus. **15.** Postumi quoque liberi, id est, qui in utero
198bα sunt, | si tales sunt, ut nati in potestate nostra futuri sint, suorum heredum numer*o* sunt. **16.** Ex suis heredibus filius quidem neque heres institutus, neque nominati*m*[3] exheredatus, non patitur ualere testamentum. **17.** Reliquae uero personae liberorum, uelut filia, nepos, nept*i*s, si praeteritae sint, ualet testamentum, quo[4] scriptis heredibus adcrescunt, suis quidem heredibus in partem uirilem, extraneis autem in partem dimidiam. **18.** Postumi 'quic*un*que[5] liberi cuiuscumque sexus omissi, quod ualuit testamentum, agn*a*tione rumpunt. **19.** Eos, qui in utero sunt, si nati sui heredes nobis futuri 's*i*nt,[6] possumus instituere heredes: si quidem post mortem nostram nascantur, ex iure ciuili; si uero uiuentibus nobis, [50
ex lege 'Iu*n*ia.[7]

20. Filius, qui in potestate est, si non instituatur heres,

---

1) *Ad* §§. 14—22. *cf. Gai.* 2, 123 *seqq. tit. I. de exher. lib.* (2, 13). §. 2. *I. de her. qual.* (2, 19). *F. A. Schilling Bemerk. p.* 82. 2) *Geminavi; cf. FlI. p.* 375. 3) *Voc.* quo, *quod hic habet Vat. fugitivum, suo loco restituimus sequenti §o ante voc.* scriptis, *ubi in Vat. et edd. desiderabatur.* 4) *Vid. not.* 3.; testamento scriptum heredem *Ulp. etiam dixit* 19, 13. *Cave vero particulam hic desiderare adversativam, quae nec Gai.* 2, 124. *excidit; iure civili enim praeteritae hae suorum personae non contra testamentum sed quasi tacite institutae ex testamento heredes fiunt.* 5) quoque *Vat. edd., quod apertissime non est huius loci; contra dicendi erant* quicunque liberi *sive ut est* §. 1. *I. h. t.* '*quolibet ex liberis*' *i. e. cuiuscunque gradus; cf. Gai.* 1, 23, 3, 23. *Vitium vero natum puta ex nota* qūc'que. 6) sunt *Vat. edd.* 7) iulia *Vat. ut Cdd.* §. 3. *I. de exhered.* (2, 13). *Cf. Mommsen. in Jahrb. d. gem. Rechts II. p.* 338. *Sed praestat coss. a.* 27. *legem Iuniam Vellaeam assignari posse quam in talibus rebus malis codd. fidem habere. De lege certissime sub Tiberio lata cf. Gai.* 1, 136.

nominatim exheredari debet; reliqui sui heredes utriusque sexus aut nominatim aut inter ceteros. **21.** Postumus filius nominatim exheredandus est; filia postuma cetera*e*que postumae feminae uel nominatim uel inter ceteros; dummodo inter ceteros *e*xheredatis aliquid leg*e*tur. **22.** Nepotes et pronepotes ceterique masculi postumi praeter filium uel nominatim uel inter ceteros cum adiectione l*e*gati sunt exheredandi; sed *tu*tius est tamen nominatim eos exheredari; et id obseruatur magis. |

23. [1] *E*mancipatos liberos '*utriusque sexus*[2] quamuis 198 b β
*iu*re ciuili neque heredes instituere neque exheredare necesse *s*it, tamen praetor iubet, si non instituantur heredes, exheredari, masculos omnes nominatim, feminas 'uel[3] inter ceteros; alioquin contra tabulas bonorum possessionem eis pollicetur.

24. [4]Inter necessarios heredes, id est seru*o*s cum libertate hered*e*s script*o*s, et suos *e*t necessarios, id est liberos, qui in potestate sunt, iure ciuili nihil interest: nam utrique etiam inuiti heredes sunt. sed iure praetorio suis et necessariis heredibus abstinere se a paren*tis* hereditate permittitur; necessariis autem tantum heredibus abstinendi potestas non
[304] datur. **24ª.** [5]Mancipatos liberos *ab eo*, *cuius in mancipio*

---

1) *Cf. Gai.* 2, 135. 129. §. 3. *I. de exher. lib.* (2, 13). 2) *Ita supplevi lacunam in Vat. circiter quindecim litterarum, de qua vid. not.* 5 *ad* 22, 2ª. 3) *i. e. etiam, saltem, ut* 24, 7. *et alias saepe.* 4) *Cf. Gai.* 2, 153. 156. 160. §§. 1. 2. *I. de hered. qual.* (2, 19).
5) *Hanc §um addidi nec id temere feci. Excidisse enim hic sententiam, quae desideratur, de mancipato necessario herede* (= *Gai.* 2, 160), *manifestum in ipso Vat. superest vestigium in* 22, 23. *initio, quod sic ibi comparatum est:* mancipatos liberos . . . . qui in re ciuili *etc. Unde enim hic error? Nimirum duae sententiae parvo spatio distantes incipiebant altera* Emancipatos liberos utriusque sexus q̄uis iure | ciuili, *altera* Mancipatos liberos ab eo c' in m̄cipio s̄ it. qui in re | mancipatione sunt (*cf.* 23, 3. *Collat.* 16, 9. §. 2.). *Iam librarius utriusque exordii similitudine deceptus in posteriorem sententiam est delatus, cum priorem scribere deberet, illiusque initium, forte totum primum versum scribere coepit, ut tamen, cum ad illud* in re- *pervenisset, animadverso errore in priorem reverteretur et ex ea reliqua scriberet. Iam et ea, in quibus maxime peccatum erat, verba* ab eo c' in m̄cip. s̄ item *vel ipse vel corrector expunxit, nec tamen* (*quod saepius accidit*) *rectis suppletis. Quod vero postea totam §i* 24ª. *sententiam omisit,*

sunt, *item* qui in re(*mancipatione sunt*, *a parente cum libertate heredes scriptos praetor suorum loco habet; itaque et ipsis abstinendi potestas datur*).

[1] **25.** Extraneus heres siquidem cum cretione sit heres institutus, cernendo fit heres; si ue*ro* sine cretione, pro herede gerendo. **26.** [2]Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tamquam dominus utitur, uelut qui a*u*ctionem rerum hereditariarum facit, aut seruis hereditariis cibaria dat. **27.** [3]Cretio est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum exp*ed*iat ei adire hereditatem nec ne, uelut: TITIVS HERES ESTO CERNITOQVE IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS POTERISQVE.[4] NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO. **28.** Cernere est uerba cretionis dicere ad hunc modum: *QVOD* M*E* ME*V*IVS HEREDEM INSTITVIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQVE. **29.** Sine cretione heres

199 a α institutus | si constituerit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, et amplius eam adire non potest. **30.** Cum cretione uero heres institutus sicut cernendo fit [50

heres, ita non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis non creuerit: ideoque etiamsi constituerit, nolle se heredem esse, tamen, si supersint dies cretionis, p*a*enitentia actus cernendo heres fieri potest.

31. Cretio aut uulgaris dicitur aut continua: uulgaris, in qua adiciuntur haec uerba: QVIBVS SCIERIS POTERISQVE; continua, in qua non adiciuntur. **32.** Ei, qui uulgarem cretionem habet, dies illi d*u*nta*xat* computantur, quibus sci*it*,

---

ex ὁμοιοτελεύτῳ (potestas non datur — '*potestas datur*') *factum est. Vereor tamen, ne etiam plura omiserit; vix enim est, ut Ulpianus illam regulam 'Omnibus tamen, quibus abstinendi potestas est, si se bonis immiscuerint, vel quid inde amoverint, amplius haec potestas non datur', libro suo non inseruerit.* [1]) *Ad* §§. 25—32. *cf. Gai.* 2, 164—173. [2]) *Cf. Paul.* 4, 8. §. 25. §. 7. *I. de her. qualit.* (2, 19). [3]) *Cf. infra* §. 34. *Gai.* 2, 174. [4]) *Recte habet haec secunda persona post nominativum in illo Titius heres esto, perinde atque in actionum formulis; nam ut praetor cum iudice, ita testator cum herede iussu suo facto agere videtur* (*Gai.* 2, 103); *utrobique autem nominativo casu iudicem vel heredem, qui non adest, iussum esse oportet, ad quem formula vel testamentum iure perveniat, antequam cum eo praetor vel testator tanquam per epistolam loqui possit. Cf. L.* 86 *pr. D. de leg.* 2.

se heredem institutum esse, et potuit cernere; ei uero, qui continuam habet cretionem, etiam illi dies computantur, quibus ignorauit se heredem institutum, aut sciuit quid*em*, sed non potuit cernere.

[1] **33.** Heredes aut instituti dicuntur aut substituti: (*instituti*,) qui primo gradu scripti sunt; substituti, qui secundo gradu uel sequentibus hered*e*s scripti sunt, uel*ut*: TITIVS HERES ESTO CERNITOQVE IN DIEBVS PROXIMIS CENTVM, QVIBVS SCIES POTERISQVE. (*QVOD NI*) ITA CREVERIS, EXHERES ESTO. TVNC MEVIVS HERES ESTO CERNITOQVE IN DIEBVS (*CENTVM*) et reliqua. similiter et deinceps substitui potest.

34. Si 'sub[2] inperfecta cretione heres institutus sit, id est non adiectis his uerbis: SI NON CREVERIS, EXHERES ESTO, sed si ita: SI NON CREVERIS, TVNC ME*V*IVS HERES ESTO, cernendo quidem superior inferiorem excludit; non | cernendo autem, sed pro herede gerendo in partem admittit 199aβ substitutum: sed postea diuus Marcus[3] constituit, ut et pro herede gerendo ex asse fiat heres. quodsi neque creuerit, neque pro herede gesserit, ipse excluditur, et substitutus ex asse fit heres.

TIT. XXIII. QVEMADMODVM TESTAMENTA RVMPVNTVR.

1. [4]Testament*um* iure fact*um* infirmatur duobus modis, si ruptum aut 'irritum[5] factum sit.

[596] **2.** [6]Rumpitur testamentum mutatione, id est, si postea aliu*d* testamentum iure factum sit; item agnatione, id est, si suus heres agnascatur, qui neque heres institutus, neque ut oportet exheredatus sit. **3.** [7]Agnascitur suus heres aut agnascendo, aut adoptando, aut in manum conueniendo, aut in locum sui heredis succedendo, uelut nep*o*s mortuo filio uel emancipato, aut manumissione, id est, si filius ex prima secunda*ue* mancipatione manumissus reuersus sit in patris potestat*em*.

---

1) *Cf. Gai.* 3, 174—178. 2) *Non mutandum in* cum inperfecta cr. *Cf.* 24, 18. 3) *a.* 169—177. 4) *Cf. pr. I. q. mod. testam. infirm.* (2, 17). *L.* 1. *D. de iniusto* (28, 3). 5) inirritum *Vat.* inritum *ed. Bg.* 6) *Cf. Gai.* 2, 144. *supra* 22, 14—18. 7) *Cf. Gai.* 2, 133 138—141. 159. 3, 6. *Collat.* 16, 3. §. 7.

4. [1]Irritum[2] fit testamentum, si test*at*or capite diminutus fuerit, aut si iure facto testamento nemo ex*ti*terit heres.

5. [2]Si is, qui testamentum fecit, ab hostibus captus sit, testamentum eius ualet, si quidem reuersus fuerit, iure postliminii; si uero ibi decesserit, ex lege Cornelia, qu*ae* perinde successionem eius confirmat, atque si in ciuitate decessisset.

6. [3]Si septem signis testium signatum sit testamentum,
199bα licet iure ciuili ruptum uel irritum fac|tum sit, praetor scriptis heredibus iuxta tabulas bonorum possessione*m* dat, si testator et ciuis Romanus et suae potestatis, cum mor*e*retur, fuit; quam bon*orum* possessionem cum re, id est cum effect*u*, habe*n*t, si nemo alius iure heres sit.

7. [4]Liberis inpuberibus in potestate manentibus, tam natis quam postumis, hered*e*s substituere parentes possunt duplici modo, id est aut eo, *q*uo extraneis, ut, si heredes non extiterint liberi, substitutus heres fiat; aut proprio iure, 'id e*st*, (*ut*)[5] si post mortem parentis heredes facti intra pubertate*m* decesserint, substitutus heres fiat. **8.** [6]Etiam exheredat*i*s filiis substituere parentibus licet. **9.** 'Quemuis,[7] non aliter '(*tamen*)[8] inpuberi filio substituere quis he*re*dem potest, [5
quam si sibi[9] heredem institue*ri*t uel ipsum filium uel quemlibet alium.

---

[1]) *Cf. Gai.* 2, 144—146. [2]) *Cf. Paul.* 3, 4ª. §. 8. §. 5. *I. quib. n. e. perm.* (2, 12). [3]) *Cf. Gai.* 2, 119. 147. *infra* 28, 6. 13. [4]) *Cf. Gai.* 2, 179. 183. *Noli putare, hanc materiam in Vat. sedem suam mutasse; Ulpianus pupillarem substitutionem, qua duplex testamentum fieri videtur, inter privilegia testamentaria retulit, quae apte, vulgari testamentorum iure absoluto, adiiciuntur.* [5]) id (= idem, *quod factum erat ex* idēm *pro* idēut) *Vat. Bg. ex Lachm. cj.* '*ut*' *supplevit postea ante* substitutus, *contra Ulpiani stilum.* [6]) *Cf. Gai.* 2, 182. [7]) *Tam institutum quam alium. Sic explicandum et huic suo loco restituendum erat v.* quis, *quod Vat. inter* sibi *et* heredem *habet; apparet enim, Ulpianum* §§. 8. *et* 9. *pro more suo* (*cf.* 11, 15. 16.) *et perinde ac Modestinum L.* 1. §§. 2. 3. *D. de vulg. et pup. subst.* (28, 6) *maxime agere de iis, quibus, et de eo, quem quis substituere possit, cui quaestioni hoc tantum subiungitur, quod sibi ipsi oporteat heredem instituerit, ut substitutio valeat.* [8]) *Eius nota* tm *ob vicinas litteras excidit, cum scriptum esset* alit. inpuberi. *Possunt vero et haec luxata esse, ut* non aliter tamen *reponendum sit ante* quam si. [9]) *Loco* quis, *quod h. l. inserit Vat.,* prius *ed. Bg. ex Lachm. cj.*

10. [1]Milites *quo* modo cumque fecerint testamenta, ualent, id est etiam sine legitima obseruatione. nam principalibus constitutionibus permissum est illis, quo modo cumque uellent, quo modo cumque possent, testari. '*s*ed quod testamentu*m* *m*ile*s*[2] contra iur*is* regulam fecit, ita demum ualet, si uel in castris mortuus sit, uel post missionem intra annum.

TIT. XXIV. DE LEGATIS.

1. [3]Legatum est, quod leg*i*s modo, id est imperatiue testamento relinquitur. nam ea, quae precatiuo modo relinquuntur, fideicommissa uocantur.

[4]**2.** Legamus autem quattuor modis: per | uindicationem, 199 b β
per damnationem, sinendi modo, per praeceptionem. **3.** Per uindicationem his uerbis legamus: DO LEGO, CAPITO, 'SVMITO, SI*BI* HAB*E*TO;[5] **4.** per damnationem his uerbis: HERES MEVS DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, HEREDEM MEVM DARE IVBEO; **5.** sinendi modo ita: HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE LVCIVM TITIVM SVMERE ILLAM REM
[illegible] SIBIQVE HABERE; **6.** per praeceptionem sic: LVCIVS TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO.

7. [6]Per uindicationem legari possunt res, quae utroque tempore ex iur*e* Quiritium testatoris fuerunt, mortis, et quom testamentum faciebat, praeterquam si pondere, numero, mensura contineantur; in his enim satis est, si uel mortis dumtaxat tempore '(*eius*)[7] fuerint ex iur*e* Quiritium. **8.** [8]Per damnationem omnes res l*e*gari possunt, etiam quae non sunt testatoris, dummodo tales sint, quae dari possint. **9.** Liber homo aut res populi aut sacra aut religiosa nec per damnationem l*e*gari potest, quoniam dari non potest. **10.** [9]Sinendi

---

[1]) *Cf. Gai.* 2, 109. [2]) Idq: testamento cū illis *Vat.* idque testamentum quod *ed. Bg.* [3]) *Cf. pr. I. de legat.* (2, 20). [4]) *Ad* §§. 2—6. *cf. Gai.* 2, 192. 193. 201. 209. 216. [5]) sumito siue habito *Vat. Fortasse legendum* 'sumito si(*biq*)ue habeto', *vel* 'sumito (*sibique habeto*)' *sive* 'habeto', *cum haec fere coniungi videantur, velut* §. 5. *Gai.* 2, 209. *L.* 20. *D. de opt. leg.* (33, 5). *Magno not. P. S. T. Q. H. Nec obstat Serv. ad Aen.* 5, 533. *vel Gai.* 2, 214. 215. *L.* 93. *D. de verb. obl.* (45, 1). *Vid. tamen L.* 34. §. 14. *D. de leg.* 1. [6]) *Cf. Gai.* 2, 196. [7]) *Restitui geminando* e' *FlI. p.* 368. '*testatoris*' *ed. Bg.* [8]) *Cf. Gai.* 2, 197. 202. [9]) *Cf. Gai.* 2, 210. *Paul.* 3, 6. §. 11.

modo *le*gari possunt res propriae testator*is* et hered*is* eius. **11.** [1]Per praeceptionem *le*gari possunt res, quae etiam per uindicationem.

11ª. [2]Si ea res, quae non fuit utroque tempore testatoris ex iu*re* Quiritium, per uindicationem legata sit, licet iure ciuili non ualeat legatum, tamen senatus consulto Neroniano '*con*firmatur;[3] quo cautum est, ut quod minus '*r*atis[4] uerbis legatum est, perinde sit ac si optimo iure legatum es*se*t: optimum autem ius legati per damnationem est.

200 a α **12.** [5]Si duobus eadem res per uindicationem | legata sit, siue coniunctim, uelut TITIO ET SEIO HOMINEM STIC*HVM* DO LEGO, '*(siue disiunctim, uelut TITIO HOMINEM STICHVM DO LEGO, SEIO EVNDEM HOMINEM DO LEGO,)*[6] 'concursu partes fi*u*nt;[7] non *con*currente altero pars eius iure ciuili alteri adcrescebat: sed 'post[8] legem Papiam Pop*pa*eam non capient*is* [5(pars caduca fit. **13.** [9]Si per damnationem eadem res duobus legat*a* sit, si quidem coniunctim, singulis partes debentur et non capientis pars iure ciuili in hereditate remanebat, nunc autem caduca fit; quodsi disiunctim, singulis solidum debetur.

14. [10]Optione 'autem[11] legati per uindicationem data,

---

[1]) *Cf. Gai.* 2, 220 *seq.* [2]) *Cf. Gai* 2, 197. 218. [3]) firmatur *Vat.* (*omisso* c' *ob antecedens* o) *edd. Cf. Gai* 2, 218. *Fr. Vat.* 85. [4]) pactis *Vat.* (*orto sc. vitio, ut in v.* reddicto *pro* reddito *in Ulp. Inst. fr.* 1, 2., *ex forma litterae* t *etiam in Berol. Collationis codice obvia, qaae a* ct *discerni non potest*) *ed. Bg. Aliis placuit* '*rectis*', '*iustis*', '*aptis*', '*probatis*', '*perfectis*'. '*Rata verba*' *sunt utilia, firma* (*Gai.* 2, 249), *quae effectum habent, ut et ratae leges, preces et alia dicuntur. Cf. Gai.* 2, 218. [5]) *Cf. Gai.* 2, 199. *Paul.* 3, 6. §. 3. [6]) *Cum Vahleno h. l. posui. Bg. ea ante* siue coniunctim *suppleverat.* [7]) iure ciuili concursu partes (partis *Vat.*) fiebant *Vat. edd. Sed hoc non tantum iure civili nec modo olim eveniebat. Collata §o* 13. *palam est, verba* iure ciuili (i. c.) *ob similitudinem post* eius (e') *aliquando excidisse et huc male translata librario fraudi fuisse, ut ex* fiunt *faceret* fiebant. [8]) *Malim* per *ut* 24, 31. *Gai.* 2, 254. 274. 286. 3, 52. *Neque similes sunt supra* 1, 21. *L.* 3. *D. de usufr. ear.* (7, 5) *et Gai.* 2, 206., *ubi recte* post *legitur.* [9]) *Cf. Gai.* 2, 205. [10]) *Cf. tit. D. de opt. leg.* (33, 5). §. 22. *I. de leg.* (2, 20). *L.* 3. *C. comm. de leg.* (6, 43). [11]) *Est enim haec species complurium rerum in una persona concurrentium quodammodo contraria superiori, in qua plures personae in una re concurrebant.*

'uelut *TITIVS* HOMINEM OPTATO, ELEGITO,[1] legatarii est electio, idemque est et si tacite '*data sit optio hoc modo*: *TITIO*[2] HOMINEM '*DO LEGO*. *si uero per damnationem*, *uelut*[2] HERES '*MEVS DAMNAS ESTO TITIO*[2] HOMINEM DARE, hered*i*s electio est, '*quem*[2] uelit dare.

15. [3]Ante hered*i*s institutione*m* legari non potest, quoniam *ui*(*s*) et potestas testamenti ab heredis institutione incipit. **16.** [4]'Etiam[5] post mortem heredis legari non potest, ne ab heredis herede legari uideatur, quod iuris ciuilis ratio non patitur. '(*in*)[6] mortis autem heredis tempus legari potest, uelut CVM HERES MORI*E*TVR.

17. [7]Poen*a*e causa l*e*gari non potest. poen*a*e autem causa legatur, quod coercendi heredis (*causa*) relinquitur, ut faciat
[illegible] quid aut non faciat, non ut (*ad*) legatar*i*um pertineat, ut puta hoc modo: SI FILIAM TVAM IN MATRIMONI*V*M TITIO CONLOCAVERIS, DECE*M* 'MI*LIA*[8] SEIO DATO.

18. [9]Incert*a*e person*a*e legari non potest, ueluti QVICVMQVE FILI*O* ME*O* FILIAM SVAM IN MATRIMONI*V*M CONLOCAVERIT, EI H*ERES* M*EVS* 'TOT MI*LIA*[10] DATO. sub certa tamen demonstratione incert*a*e personae | legari potest, uelut 200aβ
EX COGNATIS MEIS, QVI NVNC SVNT, QVI PRIM*V*S AD FVNVS MEVM VENERIT, EI HERES MEVS ILLVD DATO.

19. [11]Neque ex falsa demonstratione, neque ex falsa causa legatum infirmatur. falsa demonstratio est uelut '*ILLVM*[12] FVN-

---

[1]) *Vat. et edd. haec verba habent post* electio est, *alieno loco; exciderant scilicet ob* ὁμοιοτέλευτον (electio — elegito), *quamobrem olim* ē electio (*pro* electio est *Vat. edd.*) *scriptum fuisse oportet, et postea illuc translata sunt. Praeterea ex* ueluti (*sic Vat. edd.*) *faciendum erat* uelut t. (= Titius). [2]) *Quattuor lacunas in ipso Vat. indicatas et recenti manu infeliciter resarcitas de sententia Lachmanni rectius replevi, addito tamen* TITIO *ante* HOMINEM. *Aliter Savinius Oblig. I. p.* 393. [3]) *Cf. Gai.* 2, 229. *Paul.* 3, 6. §. 2. [4]) *Cf. Gai.* 2, 232. *Paul.* 3, 6. §§. 5. 6. [5]) *Transposui* et (= et.), *quod in Vat. legitur ante* mortis. [6]) et *Vat.* (*vid. not. anteced.*) '*ad*' *ed. Bg. Excidit* '*in*' *ob sequens* m. [7]) *Cf. Gai.* 2, 235. [8]) *In lacuna post* MI *recentiori manu* decem *Vat.* MI[*LIA HS*] *ed. Bg. Sed* HS. *non solet postponi.* [9]) *Cf. Gai.* 2, 238. *supra* 22, 4. [10]) *Perductum* tot mi *Vat. prima manu, sequente lacuna, cui recentior manus* centum *superscripsit.* TOT MI[LIA HS] *ed. Bg. Cf. not.* 8. [11]) *Cf.* §§. 30. 31. *I. de legat.* (2, 20). [12]) *ut puta Sempronianum.* titio *Vat. edd. etiam meae* 1. 2. *quod iam Hugonem offendit, qui*

DVM, QVEM A TITIO EMI, DO LEGO, cum is fund*us* a Titio emptus non sit. falsa causa est uelut TITIO, QVONIAM NEGOTIA MEA CVRAVIT, FVNDVM DO LEGO, ut negotia eius numquam Titius curasset.

20. [1]A legatario legari non potest. **21.** [2]Legatum ab eo tantum dari potest, qui '*heres institutus est:*[3] ideoque filio familiae herede instituto uel seruo, neque a patre neque a domino l*e*gari potest. **22.** [4]Heredi a semet ipso l*e*gari non potest. **23.** [5]Ei, qui in potestate, manu mancipioue est scripti heredis, sub conditione legari potest, ut requiratur, quo tempore dies legati cedit, '(*an*)[6] in potestate heredis non sit. **24.** [7]Ei, cuius in potestate, manu mancipioue est heres scriptus, legari '(*potest etiam sine condicione; si tamen heres ab eo factus sit, legatum consequi*) non potest.[8]

25. [9]Sicut siugulae res l*e*gari possunt, ita uniuersarum quoque summa, 'id est pa*r*s[10] legari potest, 'quae species [51

---

non inscite (i *habita pro nota* t.) *legi volebat* ueluti; *sed cf. quod sequitur* is fundus. 1) *Cf. Gai.* 2, 260. 271. 2) *Cf.* 25, 10. 3) *Lacuna a recentiore manu inepte expleta* extraneus est *Vat.* '*testamento heres scriptus est' Lachm. cj.* 4) *Cf. L.* 18. 34. §. 11. *L.* 116. §. 1. *D. de leg.* 1. 5) *Cf. Gai.* 2, 244. §. 32. *I. de legat.* (2, 20). 6) *Supplevi.* §. 32. *I. l. c. habet* an *ante* quo tempore. 7) *Cf. Gai.* 2, 245. §. 33. *I. de legat.* (2, 20). *L.* 25. 91 *pr. D. de leg.* 1. *L.* 17. *D. quando dies leg.* (36, 2). 8) *Restitui* ὁμοιοτέλευτον. *Cf. FlI. p.* 374. [non] potest *ed. Bg.* 9) *Cf. Gai.* 2, 254. *L.* 164. §. 1. *D. de verb. sign.* (50, 16). *L.* 22. §. 5. *D. ad SC. Treb.* (36, 1). *L.* 26. §. 2. *L.* 27. *L.* 104. §. 7. *D. de leg.* 1. *L.* 8 *fin. L.* 9. *L.* 76. §. 1. *D. de leg.* 2. *Cic. pro Caec.* 4. 5. *de legib.* 2, 20. 21. *infra* 25, 15. 10) *Verba* Id. ē patis *infra decimo abhinc versu in Vat. leguntur, ut finem faciant §i* 26., *ubi edd. correxerunt* item partis. *Sed partis* (*singularum rerum, plurium, hereditatis?*) *usumfructum legari posse, et tam infinite dixisse Ulpianum, qui nec rei ipsius partem legari posse antea dixerat, non est credibile. Contra hoc loco summa, quae est quaeque comprehensio, quid proprie significaret, vix poterat non dicere, maxime qui partitionis appellationem erat explicaturus, recte vero etiam ante posuit universarum* (*rerum*) *summam, nec dixit hereditatis partem, quia haec non legato sed tantum heredis institutione dari potest, adiecitque* id est pars, *quia universae res totae item legari non possunt. Itaque a sciolis librariis, quibus summam esse partem, absonum* (*nam partes ducuntur in summam auctore Isidoro* 3, 5. §. 11), *singulas vero vel plures res totius partem, satis probabile videbatur, primum hoc loco omissa*

partitio *appellatur:*[1] ut puta (*hoc*) modo: HERES MEVS CVM TITIO HEREDITATEM MEAM PARTITO, DIVIDITO; quo casu dimidia pars bonorum '*Titio*[2] legata uidetur: potest autem et alia pars, uelut tertia uelut quarta, legari.

26. [3]Ususfructus legari potest iure ciuili earum rerum, 'quarum[4] salua substantia utendifruendi 'potestas est et facul-
[512] tas;[5] et tam singularum rerum, quam plurium.[6] **27.** [7]Senatus consulto cautum est, ut etiamsi earum rerum, quae in abusu 200 b α
continentur, ut puta | uini, olei, tritici ususfructus legatus sit, legatario res tradantur, cautionibus interpositis de restituendis eis, cum ususfructus ad legatarium pertinere desierit.

28. [8]Ciuitatibus omnibus, quae sub imperio po*pul*i Romani sunt, legari potest; idque a diuo Nerua introductum, postea a senatu auctore *H*adriano diligentius constitutum est.

---

et ad marginem ablegata, postea in fine §. 26. *haec verba intrusa esse, mihi persuasum est.* 1) *Haec quoque verba idem librarius h. l., cui unice conveniunt* (*cf. Gai.* 2, 254) *expulit et in fine* §*i, ubi edd. ea retinuerunt, inepte locavit; expellere autem sane debebat, si sibi constabat* (*vid. not. anteced.*); *eiusque constantiae argumentum est, quod etiam* '*hoc*' *postea omisit, arbitratus scilicet, hic exemplum* '*summae uniuersarum rerum legatae*' *excidisse, et* '*modo*' *novam speciem legati incipere, quae esset partitio. In v.* '*appellatur*' *vero infelix homo haesit ideoque lacunam reliquit* (*in qua recentior manus id ex ingenio supplevit*), *quia eo loco, quem iam his verbis assignaverat, hanc constructionem:* quae species par Titio *in animum sibi inculcavit.* 2) *Ex Schult. cj. addidi, cum in Vat. h. l. spatiolum* (*non intellecto sc.* tio = Titio; ei *Bg. cj.*) *relictum sit. Post pro altero* uelut *malim* uel. 3) *Cf. pr.* §. 1. *I. de usufr.* (2, 4). *L.* 43 *fin. D. de usufr. leg.* (33, 2). *Cic. Top.* 3. §§. 15. 17. 4) *Videamus ne hoc factum sit ex* qu (*pro* qb̄ = quibus) earum. 5) potest ēē. facultas *Vat.* potest esse facultas *edd.; quod qnamvis molestum tulissem, nisi illae notae aeque facile ita ut ego feci, explicarentur et Ulpianus L.* 21. §. 3. *D. de noxal. act.* (9, 4) *pariter* '*facultatem et potestatem*' *coniunxisset; cf. etiam supra* 24, 15. 6) *Hoc addidit, quod etiam universarum rerum summam legari posse antea dixerat. Ceterum cf. not.* 10 *ad* 24, 25. 7) *Cf.* §. 2. *I. de usufr. ibique Schrader.* 8) *Cf. L.* 117. 122 *pr. L.* 32. §. 2. *D. de leg.* 1. *Collatis* 22, 4. 5. *haec sententia fugitiva esse videri possit, ponenda post* §. 18. *Sed exemplo* §§. 12—14. (*vid. ibi not.* 11.) *Ulpianus universitati rerum, quae ipsae quarumve ususfr. legarctur* (§§. 25. 26.), *universitatem, cui legari posset, opposuisse videtur.*

29. [1]Legatum, quod datum est, adimi potest uel eodem testamento, uel codic*i*llis testamento confirmatis; dum tamen eodem modo adimatur, quo modo datum est.

30. [2]Ad heredem legatarii legata non aliter transeunt, nisi si iam die legatorum cedente legatarius decesserit. **31.** [3]Legat*o*rum, quae pure uel in diem certum relicta sunt, dies cedit antiquo quidem iure ex mortis testatoris tempore; per legem autem P*a*piam Pop*pa*eam ex apertis tabulis testamenti; eorum uero, quae sub condicione relicta sunt, cum conditio ext*i*terit.

32. [4]Lex Falcidia iubet, non plus quam dodrantem totius patrimonii legari, ut omnimodo quadrans integer apud heredem remaneat.

33. [5]Legatorum per '(*damnationem per*)[6]peram solutorum repetitio non est.

TIT. XXV. DE FIDEICOMMISSIS.

1. [7]Fideicommissum est, quod non ciuilibus uerbis, sed precatiue relinqu*i*tur, nec ex rigore iur*is* ciuilis proficiscitur, sed ex uoluntate datur relinquent*is*. **2.** [8]Verba fideicommis-
200bβ sorum in usu *f*ere haec sunt: FIDEICOMMITTO, PETO, | VOLO [513]
DARI et similia. **3.** [9]Etiam nutu 'relinqu*i* *posse*[10] fideicommissum 'usu[11] receptum est. **4.** [12]Fideicommiss*um* relinquere possunt, qui testamentum facere possunt, licet non fecerint: nam 'etiam[13] intestat*o* quis moriturus fideicommissum relinquere potest. **5.** [14]'(*Eae*)[15] res per fideicommissum relinqui possunt, quae[16] per damnationem legari possunt.

---

[1]) *Cf. pr. I. de adempt.* (2, 21); *supra* 2, 12. [2]) *Cf. L.* 5 *pr. D. quando dies leg.* (36, 2). [3]) *Cf. L.* 5. §§. 1. 2. *ib. L. un.* §§. 1. 5. *C. de caduc.* (6, 51). *Paul.* 4, 6. §. 8. [4]) *Cf. Gai.* 2, 227.
[5]) *Cf. Gai.* 2, 283. §. 7. *I. de obl. q. quasi ex contr.* (3, 27).
[6]) *Supplevi FlI. p.* 374. [7]) *Cf. supra* 24, 1. §. 3. *I. de legat.* (2, 20). §§. 1. 12. *I. de fideic. her.* (2, 23). [8]) *Cf. Gai.* 2, 249. *Paul.* 4, 1. §§. 5. 6. [9]) *Cf. Gai.* 2, 269. *L.* 21 *pr. D. de leg.* 3. *L.* 22. *C. de fideic.* (6, 42). [10]) relinquere (*natum ex* relinqui p'e) *Vat. edd. Cf. FlI. p.* 373. [11]) in usu *Vat* [in] usu *ed. Bg.*
[12]) *Cf. Gai.* 2, 270. *L.* 2. *D. de leg.* 1. [13]) *Huc in suum locum restitui ex sequenti* §*o, ubi abundabat* (*cf. not.* 16). [14]) *Cf.* 24, 8. 25. *Gai.* 2, 260—262. *Paul.* 4, 1. §§. 7 *seq.* [15]) *Exigente stilo Ulpiani supplevi; fraudi fuit scriptura* potēee. [16]) quae etiam *Vat. edd. Vid. not.* 13.

6. [1]Fideicommissa dari possunt his, qui*bus* legari potest.
7. [2]Latini Iuniani[3] fideicommissum capere possunt, licet legatum capere non possint. **8.** [4]Fideicommissum et ante heredis
institutionem, et post mortem heredis, et codicillis etiam non
confirmatis testamento dari potest, licet ’(*ita*)[5] legari non
possit. **9.** [6]Item Graece fideicommissum scriptum ualet,
licet legatum Graece scriptum non ualeat. **10.** ’(*Legatarii*)
uel[7] filio, qui in potestate est, seruoue heredibus institutis,
seu his legatum sit, patris uel domini fidei committi potest,
quamuis ab eo legari non possit. **11.** [8]Qui testamento heres
institutus est, codicillis etiam non confirmatis rogari potest,
’ut[9] hereditatem totam uel ex parte alii restituat, quamuis
directo heres institui ne quidem confirmatis codicillis possit.
12. [10]Fideicommissa non per formulam petuntur, ut legata,
[514] sed ’cognitione[11] Romae ’quidem consulum aut praetoris,
qui ’fideicommiss*arius*[12] uocatur; in prouinciis uero ’praesidis prouinci*ae*.[13] **13.** [14]Poen*ae* causa, ’*uel peregrino*,[15] uel
incertae personae ne quidem fideicommissa dari possunt.

---

1) *Cf. Gai.* 2, 285 *seq.* 2) *Cf. Gai.* 2, 275. 3) *Post* -iani *exciderit* tam. = tamen. 4) *Cf. Gai.* 2, 270ª. §. 35. *I. de leg.* (2, 20). 5) *Supplevi* (*ex* lic.ita). 6) *Cf. Gai.* 2, 281. *L.* 11 *pr. D. de leg.* 3. 7) *Omissa haec a librario, qui, quorsum ea spectarent, non intellegebat, restitui, quia Ulpianus certo praeterire non potuit, legatarii quoque fidei committi posse. Cf. supra* 24, 20. 21. *Gai.* 2, 271. *Vestigia autem huius iacturae in Vat. sunt duo: primum, quod postea habet* his, *non* iis, *alterum, quod vocula* uel *infra septimo versu alieno loco legitur, quo scilicet e margine migravit abiecto v.* legatarii, *quod nusquam convenire videbatur.* 8) *Cf. Gai.* 2, 273. 9) uel ut *Vat. edd.;* uel *transfert ante* totam *Roed. Sed cf. Gai.* 2, 273. *et not.* 6. 10) *Cf. Gai.* 2, 278. *Paul.* 4, 1. §. 18. §. 1. *I. de fid. hered.* (2, 23) *ibique Schrader.* 11) cognitio.ē *Vat.* (*evanuerat sc.* n). cognitio est *edd. Cf. L.* 1. §. 2. *D. de rei vind.* (6, 1). *L.* 13. §. 1. *D. de minor.* (4, 4). *L.* 39 *pr. D. de evict.* (21, 2). 12) fideicommisso *Vat., quod exemplis Cortii ad Sallust. Cat.* 32, 1. 37, 1. *male defenditur, maxime cum hic praetor alias ubique fideicommissarius dicatur* (*etiam Ulp. apud Lyd. de mag.* 1, 48). *Denique* -arius *non prorsus in Vat. deest, sed migravit casu in v.* prouinciae, *ut fieret* prouinciarum, *sicut* 25, 15. *Vat. habet* partiarū *pro* partiarium. 13) p̄sidib: (*factum puta ex* praesidis, *cum sequens vox in* prouinciarum *mutata esset*). p̨uinciarū *Vat.* praesidibus prouinciarum *ed. Bg.* 14) *Cf. Gai.* 2, 288. 287. 285. 15) *Supplevi. In Vat. litura est fere sex litterarum, quae fuerint* ū p̄egr. *Cf. Gai.* 2, 285.

201aα **14.** [1]Is, qui | rogatus est alii restituere hereditatem, lege
quidem Falcidia (*locum*) non habente, quoniam non plus puta
quam dodrantem restituere rogatus est, ex Tr*e*belliano sena-
tus consulto restituit, ut ei et in eum dentur actiones, cui
restituta est hereditas. lege autem Falcidia interueniente,
quoniam plus dodrantem uel etiam totam hereditatem restituere
rogatus '*est*,[2] ex Pega*s*iano senatus consult*o* restituit, ut de-
ducta parte quarta ips*i*, qui scriptus est heres, 'et[3] in ipsum
actiones conseruentur; is autem, qui recipit hereditatem, lega-
tarii loc*o* habeatur. **15.** [4]Ex Pe*ga*siano senatus consulto
restituta hereditate commoda et incommoda hereditatis com-
municantur inter heredem et eum, cui reliquae partes restitu-
tae sunt, interpositis stipulationibus ad exemplum part*i*s et
pro parte stipulationum. part*i*s autem et pro parte stipula-
tion*es* proprie dicuntur, quae de lucro et damno communi-
cando solent interponi inter heredem et legatarium partiar*i*um,
id est, cum quo 'partir*i* i*uss*us[5] est heres. **16.** [6]Si heres
damnosam hereditatem dicat, cog*i*tur a praetore adire et re- [51
stituere totam, ita ut ei et in e*um*, qui recipit hereditatem,
action*es* dentur, proinde atque si ex Tr*e*belliano senatus con-
sult*o* restituta fuisset. idque ut ita fiat, Pega*s*iano senatus
consulto cautum.

17. [7]Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodauerit,
201aβ ut non capienti fideicommissum restituat, | nec quadrantem
eum deducere senatus censuit, nec caducum uindicare ex eo
testamento, si liberos habeat.

18. [8]Libertas dari potest per fideicommissum.

---

[1]) *Cf. Gai.* 2, 255. *Paul.* 4, 2. §. 1. [2]) sit *Vat. edd. Fuerat, ut puto* ē, *quod cum ob sequens* ex *periisset, infra post v.* heres *omissum* et *hic intrusum et ex* rogatus *adhaerente in fronte* s *factum est* sit. [3]) *Huc revocavi, vid. not.* 2. (*et*) *ed. Bg.* [4]) *Cf. Gai.* 2, 254. *Paul.* 4, 3. §. 1. *supra* 24, 25. [5]) partitus (*pro* partirīsus) *Vat. edd. Nec vero demum ex facta partitione haec appellatio dicitur. Simile vitium vid. in* 16, 3. [6]) *Cf. Gai.* 2, 258. *Paul.* 4, 4. §. 4. [7]) *Cf. L.* 10. 11. *D. de his q. ut ind.* (34, 9). *L.* 59. §. 1. *D. ad l. Falc.* (35, 2). *L.* 48 *pr. L.* 49. *D. de i. fisci* (49, 14). [8]) *Cf. supra* 2, 7 *seq. Ceterum duabus rationibus recte haec regula breviter etiam h. l. addita videri debet; primum ne non capienti hoc casu fideicommissum servo dari putes* (*cf. L.* 4. *C. de legat.* 6, 37), *deinde quia a singulis rebus per fideicommissum relictis*

TIT. XXVI. DE LEGITIMIS HEREDIBVS.

1. [1]Intestatorum ingenuorum hereditates pertinent primum ad suos heredes, id est liberos, qui in potestate sunt, ceterosque, qui 'in[2] liberorum loco sunt; si sui heredes non sint,[3] ad consanguineos, id est fratres et sorores ex eodem patre; si nec hi sint,[3] ad reliquos agnatos proximos, id est cognatos uirilis sexus, per mares descendentes, eiusdem familiae: id enim cautum est lege duodecim tabularum hac: 'si intestato moritur, cui suus heres nec *escit*, agnatus proximus familiam habeto.' **1[a].** [4]*(Si agnatus defuncti non sit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem uocat his* [516] *uerbis: 'si agnatus nec escit, gentiles familiam habento'. Nunc nec gentiles nec gentilicia iura in usu sunt).*

2. [5]Si 'defuncti sit[6] filius, '*(et)*[7] ex altero filio 'iam mortuo[8] nepos unus uel etiam plures, ad omnes hereditas pertinet, non ut in capita diuidatur, sed in stirpes, id est, ut filius solus mediam partem habeat et nepotes, quotquot sunt, alteram dimidiam: *a*equum est enim, nepotes in patris sui loc*um* succedere et eam partem habere, quam pater eorum, si uiueret, habiturus esset.

3. [9]Quamdiu suus heres speratur heres fieri posse, tamdiu locus agnatis non est; uelut si uxor defuncti praegnans sit, aut filius apud hostes sit.

---

ad hereditatem progressus apte ad ipsam personam hoc modo liberandam transitum facit. [1]) *Exstat etiam in Collat.* 16, 4. §. 1. *Cf. Collat.* 16, 3. §. 3. *Schoell XII tab. p.* 128. [2]) *Uncis incl. ed. Bg. Sed nepos pronepos ceterique vere in liberorum loco vel numero sunt; non ut dediticii liberti, qui eo numero tantum habentur. Praeterea Heimbach. recte allegat Cic. de orat.* 2, 49. §. 200. [3]) sunt *Vat. ed. Bg.* [4]) *Haec ex Collat.* 16, 4. §. 2. *hic repetii, quia priora illa usque ad 'familiam habento' tantummodo ut similiter desinentia excidisse persuasum habeo, post quae librarius cetera ut inepta consulto omisit. Similiter enim Ulpianus etiam in iure bonorum possessionis exponendo* 28, 7—9. *praemissis demum omnibus bon. possessionis gradibus de singulorum graduum iure agit.* [5]) *Cf. Gai.* 3, 8. *Collat.* 16, 3. §. 9. [6]) defunctus sit *Vat.* defuncti *unus* sit *ed. Bg. cf.* §. 4. [7]) *Addidi, coll.* §. 4. *et* 27, 2. [8]) mortuo iam *Vat.* mortuó item *ed. Bg.* [9]) *Cf. L.* 30. §. 1. *D. de acqu. v. om. her.* (29, 2). *L.* 3. *D. si pars her.* (5, 4).

4. [1]Agnatorum hereditates diuiduntur in capita; uelut si
201bα sit frat*ris* filius et alterius fratris duo pluresue | liberi, quotquot sunt ab utraque parte personae, tot fiunt portiones, ut singuli singulas capiant. **5.** [2]Si plures eodem gradu 'sint[3] agnati, et quidam eorum hereditatem ad se pertinere noluerint, uel antequam adierint, decesserint, eorum pars adcrescit his, qui adierint; quod si nemo eorum adierit, ad insequentem gradum ex lege hereditas non transmittitur, quoniam in legitimis hereditatibus successio non est. **6.** [4]Ad feminas ultra consanguineorum gradu*m* legitima hereditas non pertinet; itaque soror fratri sororiue legitima heres fit, '(*amita uero uel fratris filia et deinceps legitima heres non fit*).[5] **7.** [6]Ad liberos matr*is* intestat*ae* hereditas 'sine in manum conuentione[7] ex lege duodecim tabularum non pertinebat, quia feminae suos heredes non habent; sed postea *i*mperatorum Anto- [51
nin*i* et Commodi oratione in senatu recitata[8] id actum est, 'ut[9] matrum legitimae hereditates ad filios pertineant, exclusis consanguineis et reliquis agnatis. **8.** [10]Intestati fil*ii* hereditas ad matrem ex lege duodecim tabularum non pertinet; sed si ius liberorum habeat, ingenua trium, libertina quattuor, legitima heres fit ex senatus consulto Tertulliano;[11] si tamen ei filio neque suus heres sit quiue inter suos heredes ad bonorum possessione*m* a praetore uocatur, neque pater, ad quem lege hereditas bonorumue possessio cum re pertinet, neque frater consanguineus: quod si soror consanguinea sit, ad utrasque pertinere iubetur hereditas.

---

1) *Cf. Gai.* 3, 16. *Collat.* 16, 3. §. 19. 2) *Cf. Paul.* 4, 8. §. 26. *Gai.* 3, 12. 22. 3) s̄ *Vat.* si sunt *ed. Bg.* 4) *Cf. Gai.* 3, 14. 23. *Collat.* 16, 3. §§. 17. 20. 5) *Haec fere ob* ὁμοιοτέλευτον *excidisse, ipsa sententia et Gai.* 3, 14. *argumento sunt. Bg. h. l. ea, quae nos* §. 1a. *retulimus, periisse parum verisimiliter coniicit.* 6) *Cf. tit. I. de SC. Orphit.* (3, 4). 7) *Haec verba infra* (*cf. not.* 9.) *minus apte posita hic excidisse, palam est; nam et sic demum recta efficitur sententia et cur h. l. post* §. 6. *agatur de hereditate, quae a liberis ad matrem vel a matre ad liberos pervenit, intelligitur.* 8) *a.* 178. 9) ut sine in manum conuentione *Vat. edd. Sed hoc novum ius aeque valebat in matre, quae in manum convenerat, deinde remancipata atque in ea, quae non convenerat. Vid. not.* 7 *ad hanc* §. 10) *Cf. Gai.* 3, 24. *pr.* §§. 2. 3. *I. de SC. Tertull.* (3, 3). *Paul.* 4, 9. §§. 1 *seq.* 11) *Hadriani temporibus facto.*

TIT. XXVII. DE LIBERTORVM SVCCES|SIONIBVS 'VEL BONIS.[1] 201 b β

1. [2]Libertorum intestatorum hereditas primum ad suos heredes pertinet; deinde ad eos, quorum liberti sunt, uelut patronum, patronam liberosue patroni. 2. [3]Si sit patronus et alterius patroni filius, ad solum patr*on*um hereditas pertinet. 3. [3]Item patroni filius patroni nepotibus obstat. 4. [4]*Ad* liberos patronorum hereditas defuncti pertinet '*it*a ut[5] in capita, non in stirpe*s*, diuidatur.

5. [6]Legitimae hereditatis ius, quod ex lege duodecim tabularum descendit, capitis minutione amittitur. * * *[7]

[518] TIT. XXVIII. DE POSSESSIONIBVS DANDIS.

1. [8]Bonorum possessio datur aut contra tabulas testamenti, aut *secun*dum tabulas, (*aut*) intestati.

2. Contra tabulas bonorum possessio datur, liberis '(*uel*)[9] emancipatis testamento praeteritis, licet legitimo (*iure*) non ad eos pertineat hereditas. 3. [10]Bonorum possessio contra tabulas liberis tam naturalibus quam adoptiuis datur; sed naturalibus quidem '(*etiam*)[9] emancipatis, non tamen et illis, qui in adoptiua familia sunt; adoptiuis autem his tantum, qui in potestate manserunt. 4. [11]Emancipatis liberis ex edicto datur bonorum possessio, si parati '*s*int[12] cauere *fr*atribus suis, qui in potestate manserunt, bona, quae moriente patre habuerunt, se conlaturos.

5. [13]Secundum tabulas bonorum possessio datur scriptis heredibus, scilicet si eorum, quibus contra tabulas competit,

---

1) *Recte habent haec vocabula a Bg. uncis inclusa ostenduntque, hunc titulum factum esse, quo tempore in sequentibus non modo de civium Rom. sed etiam de Latinorum libertorum successionibus agebatur; horum enim magis bona sunt, quae iure peculii ad manumissorum pertinent, quam, ut illorum, hereditas et successio.* 2) *Cf. L.* 3 *pr. D. de suis et legit.* (38, 16). 3) *Cf. Gai.* 3, 60. *L.* 23. §. 1. *D. de bon. lib.* (38, 2). *Paul.* 3, 2. §. 1. §. 3 *fin. I. de succ. lib.* (3, 7). 4) *Cf. Gai.* 3, 61. *Paul.* 3, 2. §. 3. 5) *Geminando feci.* aut *Vat.* ut *edd.* 6) *Cf. Gai.* 3, 61. 27. 51. 7) *Cf. not.* 1. 8) *Cf. L.* 6. §. 1. *D. de B. P.* (37, 1). *pr.* §. 1. *I. eod.* (3, 9). 9) *Supplevi. Cf.* §. 3. *et L.* 1. §. 6. *D. de b. p. c. t.* (37, 4). 10) *Cf.* §. 4. *I. de exher. lib.* (2, 13). 11) *Cf. Collat.* 16, 7. §. 2. *Paul.* 5, 9. §. 4. 12) sunt *Vat. edd.* 13) *Cf. L.* 2 *pr. D. de b. p. s. t.* (37, 11).

)2aα nemo sit, aut petere '*uoluerit*.[1] **6.** [2]Etiam|si iure ciuili non ualet testament*um*, forte quod familiae mancipatio uel nuncupatio defuit, si signatum testamentum sit non minus quam septem testium ciuium Romanorum signis, bonorum possessio datur.

7. [3]Intest*ati* datur bonorum possessio per septem gradus: primo gradu liberis; secund*o* legitimis heredibus; tertio proximis cognatis;[4] quarto familiae patroni; (*quinto*) patrono, patronae, item 'liber*is* uel (*parentibus*)[5] patroni patron*a*eue; sexto u*i*ro, uxori; septimo cognatis manumissoris, quibus per legem Furiam plus mile asses capere licet: et si nemo [51 sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem, sed ius suum omiserit, populo bona deferuntur ex lege Iulia caducaria. **8.** [6]Liberis bonorum possessio datur tam his, qui in potestate usque in mortis tempus fuerunt, quam emancipatis; item adoptiuis, non tamen etiam in adoptione*m* datis. **9.** [7]Proximi cognati bonorum possessionem accipiunt non solum per feminini sexus personam cognati, sed etiam agnati capite diminuti: nam licet legitimum ius agnatione capitis minutione amiserint, natura tamen cognati manent.

10. [8]Bonorum possessio datur parentibus et liberis intra annum, ex quo petere potuerunt; ceteris intra centum dies. **11.** [9]Qui omn*es* intra id tempus si non petierint bonorum possessionem, sequens gradus admittitur, perinde atque si)2aβ superiores non | essent; idque per septem gradus fit.

12. [10]Hi, quibus ex successorio edict*o* bonorum possessio

---

[1]) nollent *Vat. ed. Bg.* [2]) *Cf. Gai.* 2, 119. *supra* 23, 6. [3]) *Cf.* §. 3. *I. de bon. poss.* (3, 9) *cum Theoph. Collat.* 16, 9. §. 1. *Gai.* 2, 150. [4]) *Excidisse videatur:* -quibus per legem Furiam plus mile asses capere licet. *Eam enim legem etiam in hoc edicto respexit Ulp. L.* 1. §. 3. *D. unde cogn.* (38, 8). *Sed ipsum Ulpianum hic hanc exceptionem, cui in bonis liberti locus non erat, brevitatis studio praetermisisse puto.* [5]) liberosue *Vat.* (*simile exordium sequentis vocis* patroni *librario fraudi fuit*). liberis (*parentibus*)ue *ed. Bg. Cf. Collat. l. c. et libr. meum* '*Studien des R. R.*' *p.* 77. [6]) *Cf. Gai.* 3, 26. *L.* 1. §. 2. *D. quis ordo* (38, 15). *L.* 1. §. 6. *L.* 4. 5. *D. si tab. test.* (38, 6). [7]) *Cf. Gai.* 3, 27. 30. [8]) *Cf.* §. 4. *I. de bon. poss.* (3, 9). [9]) *Cf.* §. 5. *I. ib.* [10]) *Cf. Gai.* 3, 32. 80. 4, 34.

datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur beneficio praetoris. ideoque seu ipsi agant, seu cum his agatur, ficticiis actionibus opus est, in quibus heredes esse finguntur.

13. [1]Bonorum possessio aut *cum* re datur, aut sine re: cum re, '*cum* is, qui accipit, (*accipit*) cum effectu, (*ut*)[2] bona retineat; sine re, cum alius iure ciuili euincere hereditatem possit; ueluti si sit '*scriptus*[3] heres, intestati bonorum possessio sine re (*est*), quoniam '*scriptus*[3] heres euincere hereditatem iure legitimo po*test*.[4]

[520] TIT. XXIX. DE BONIS LIBERTORVM.

1. [5]Ciu*i*s Romani liberti hereditatem lex duodecim tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit: ideoque siue testamento facto decedat, licet suus heres ei non sit, seu intestato, et suus heres ei sit, 'quam(*quam*)[6] non naturalis, sed uxor puta, quae in manu fuit, uel adoptiuus filius, lex patrono nihil pr*a*estat. sed ex edict*o* praetoris, seu 'testato[7] libertus moriatur, 'ut tamen[8] aut nihil aut minus quam partem dimidiam bonorum patrono relinquat, contra tabulas testamenti partis dimidia*e* bonorum possessio illi datur, nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat; | siue intestato decedat, et uxorem 202 b c
forte in manu uel adoptiuum filium relinquat, aeque partis mediae bonorum possessio contra suos heredes patrono datur.

2. [9]In bonis libertae patrono nihil iuris ex edicto datur. itaque '(***seu testata decedat, id tantum iuris patronus habet***,

---

[1]) *Cf. Gai.* 2, 151[a]. 3, 35—27, *supra* 23, 6. 26, 2. [2]) qui accepit, cum effectu *Vat., quibus edd. praefigunt* 'si'; *sed* c' (cum) *excidit ob praecedens* r-e. [3]) *Cf. Gai.* 3, 36 suus (*natum puta ex* sc.tus) *Vat. edd., ne recta quidem sententia; nam si suus vel emancipatus intestati bon. possessionem accepit, ea bon. possessio, etsi suus heres sit, sine re dici non potest.* [4]) possit *Vat. edd. Puta fuisse* p̄ (= potest), *cui cum librarius addidisset* sit, *quod post* ueluti si, *ubi excidit, restituimus, perscribendum erat* possit. [5]) *Cf. Gai.* 3, 40. 41. [6]) *Vahl. ed.* quā *Vat.* quamuis *ed. Bg.* [7]) testamento *Vat.* testa[men]to *ed. Bg. Vid. not. seq.* [8]) ut *Vat. edd. Scilicet* tamen, *quod exciderat, per errorem voci* testato *superscriptum erat, unde* testamento *factum est.* [9]) *Cf. Gai.* 3, 43. 2, 192.

quod ei testamento, ipso tutore auctore, datum est);[1] seu intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet, licet liberi sint libertae,[2] (*qui*)[3] quoniam non sunt sui heredes matri, '(*non*) obst*ant*[4] patrono. **3.** [5]Lex Papia Pop*pae*a postea libertas quattuor liberorum iure tutela patronorum liberauit; et cum 'intulerit, iam[6] posse ea*s* sine auctoritate patronorum testari, prospexit, ut pro numero liberorum libertae sup*er*stitum uirilis pars patrono debeatur. **4.** [7]Liberi patroni uirilis sexus eadem iura in bonis libertorum parentum suorum habent, quae et ipse patronus. **5.** [8]Feminae uero ex lege quidem duodecim 'tabularum *idem*[9] ius habent, atque masculi patronorum liberi; contra tabulas autem testament*i*
liberti aut ab intestato contra suos heredes non natural*es* [52
bonorum possessio eis non competit; sed si ius trium liberorum '*mer*uer*i*nt,[10] etiam haec iura ex lege Papia Pop*pae*a nanciscuntur. **6.** [11]Pat*ro*nae *in* bonis libertorum illud ius tantum habe*b*ant, quod lex duodecim tabularum introduxit;
202 b β sed postea lex Papia patronae '(*ingenuae*)[12] | duobus liberis honoratae, libertinae tribus, id iuris dedit, quod patronus habet ex edict*o*. **7.** [13]Item ingenu*ae* trium liberorum iure honorat*a*e eadem lex id ius dedit, quod ipsi patrono tribuit. ****

EXPLICIT.

[Ex eodem Ulpiani libro praeterea duo loca supersunt
Collat. 2, 2.
L. 25. D. de obl. et act. (44, 7),
quae multis interiectis hoc ordine se excipiebant.]

---

1) *Quia similiter inciperent, omissa ad sensum restitui. Aliter Lachm.* 2) libertae; *ed. Bg.* 3) *Addidi; excidit ob sequens* quoniam. 4) obstit *Vat.* (*ut*) obstent *ed. Bg.* 5) *Cf. Gai.* 3, 44. 6) *Malim* intulerit etiam. 7) *Cf. Gai.* 3, 45. 8) *Cf. Gai.* 3, 46. 47. 9) tabularū ꝑinde *Vat.* (*fuerit antea* tabular. īde *ut geminata* r *facta* p *errorem genuerit*). tabularum perinde *edd.* 10) habuerunt *Vat. ed. Bg. Cf. Ulp. L.* 1. §. 14. *D. de succ. ed.* (38, 9). *L.* 10. §. 10. *D. quae in fraud. cr.* (42, 8). 11) *Cf. Gai.* 3, 49. 50. 12) (*ingenuae*) patronae *ed. Bg.* 13) *Cf. Gai.* 3, 150.

DOMITII VLPIANI

LIBRI PRIMI INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS

RELIQVIAE EX COD. VINDOBONENSI.

[illegible] Ex Ulpiani Institutionum libris, quorum supra p. 563. mentionem fecimus, praeter tredecim loca, quae inscripto libri titulo in Iustiniani Digesta, alia, quae tacite in eiusdem Institutiones migrarunt, et ea, quae in Collatione extant, nonnulla etiam servata sunt in segmentis et quidem scamellis (Querstreifen) duorum foliorum codicis perantiqui (seculi quinti esse censetur), qui integrum hoc opus continuisse videtur, a. 1835. ab Endlichero in theca alius libri manuscripti repertis. Scriptus erat is codex forma non quadrata nec binis columnis, ut ex Mommseni sententia in edd. 1. et 2. posueram, sed ut P. Krüger excussis diligentius his laciniis nuper docuit (Krit. Versuche p. 140), forma octonaria et scriptura in quavis pagina indivisa, versibus circiter vicenas vel pauco plures litteras continentibus. Quot versus paginam compleverint, certo definiri non potest, quia foliorum tantum infima vel summa particula servata est.

De ordine, quo duo illa folia in codice, ad quem pertinebant, secuta sint, multum est disputatum. Antea (edd. 1. et 2.) Mommseni (Zeitschr. f. gesch. R. W. XV. p. 375), qui primus post Endlicherum has membranas etiam oculis curiosius tractaverat, sententiam amplexus neque a F. P. Bremero, qui eam impugnavit (de Dom. Ulpiani Institutionibus Bonn. 1863), ut alia probarem, permotus eram. Iam ex his, quae Krueger rursus plus Mommseno vidit et argumentis exsecutus est, de eo ordine non dubito, quo nunc haec fragmenta edo, vetere priorum editionum inter uncinas indicato. Isque ordo eo magis mihi probatur, quod sic Ulpianus de interdictis possessoriis semel unoque tenore, quod post contractus, qui iure gentium introducti sunt, expositos, quod denique de illis ipsis interdictis perinde atque Gaius ita egisse deprehenditur, ut primum genera eorum et appellationes, deinde ordinem et exitum explicaret.

Quod vero omnino haec fragmenta Ulpiani Institutionum esse reliquiae putanda sint, id iam in publicum notum est

niti partim eo, quod primum fragmentum convenit legi 1. D. de precario (43, 26) inscriptae 'Ulp. lib. I. Institutionum' partim aliis duobus scamellis simul ibidemque repertis et ex superiore unius (puta prioris) eorundem ut videtur foliorum margine satis amplo abscissis, quorum inferius in recta pagina ad laevam, in versa ad dexteram primi versus reliquias quasdam tantum literarum (illic SUA ... hic ... DEM) continet, superius medio margine superiore paginae alterius ULP. INST. alterius LIB. I' (non II' Kruegero teste) inscriptum habet. Cum vero duo illa folia a tergo primum cohaeserint, ut ipse Krueger attestatur, admodum est id, quod idem statuit, veri dissimile, partem eorum, quae servata sunt, libri secundi fuisse et speciatim Ulpianum de interdictis non item primo, sed altero libro fere circa initium egisse.

Mira tamen etiam in eo fragmentorum ordine, quem nunc obtinuimus, visa nec adhuc satis explicata est materiarum, quas tractant, series, eo maxime quod, cum Ulpiani Institutiones, Florentino indice teste, duobus libris absolutae essent, primo libro de precario, de contractibus iuris gentium, et de [52 interdictis possessoriis egisse perhibetur. Qua de re licet etiam meam opinionem in edd. 1. 2. expositam post sublatam illam maximam offensam interdictorum bis diversis locis tractatorum aliqua tenus mutandam et accuratius explicandam esse video, tamen in universum eam retineo. Ulpianus igitur quanquam etiam hoc libro in universum Gaianae similem partitionem, maxime illam in ius, quod ad personas, quod ad res, et puto iam etiam quod ad actiones pertinet, secutus esse recte creditur, tamen trifariam a Gaio recessisse existimandus est. Primum enim cum Gaius in exordio et quasi praefationis loco distributionem cuiusque cultioris populi iuris in ius civile et gentium iurisque civilis Romani in suas partes posuisset, hoc loco Ulpianus (L. 1 pr. §§. 1. 2. D. de iust. et iure 1, 1) de iure et iustitia, de iure publico et privato et de privati iuris variis praeceptis agit. Deinde huius iuris praecepta non, ut Gaius, cuius tempore populi iure proprio distincti imperium Rom. efficiebant, ad duplex genus, ius civile et gentium revocat; post civitatem enim universo orbi datam hoc discrimen totius iuris in imperio administrationem regere desierat; sed a natura potius initium sumens tripertita esse vult: 'collectum enim est (inquit) ex naturalibus praeceptis, aut gentium aut civilibus': quae divisio, ab animalibus incipiens, rem magis ab usu ad doctrinam transferebat. Postremo, quod caput est maioremque vim, quam haec distributio postea in solius iuris Romani doctrina obtinuerat, maxime prodit (nam et Paullum hoc novum institutum in suis Institutionibus secutum esse non dubito), Gaius quidem post exposita duplicia illa iura (1, 2) addit: 'quae singula qualia sint, suis locis proponemus', itaque postea in ipsa tractatione singulorum iurium, quam

ex alia summa divisione ordinavit, utrum iuris gentium unumquodque sit, an iuris civilis, ubique tradit. Ulpianus contra ipsam illam distributionem in ius naturale, gentium et civile in rerum expositione summam, alteramque in ius quod ad personas vel ad res vel ad actiones pertinet, secundariam fecisse existimandus est ita ut, postquam initio eam in universum exposuisset ibique etiam in iure civili, quibus id ex partibus constaret, tradidisset (L. 6. D. de iust. (1, 1) §§. 2—6. I. de iur. nat. (1, 2) L. 1. D. de const. princ. 1, 4), eadem divisione, contracta tamen (ut res postulabat) in iuris naturalis *sive* gentium et iuris civilis praecepta, primum ea omnia, quae iuris gentium essent, persequeretur. In his igitur a personarum iure initio facto post alia, in quibus L. 24. D. de captiv. (49, 15), et sequentibus aliis tradebantur illa, quae legimus L. 4. D. de iustit. (1, 1). Deinde ex iure, quod ad res pertinet, ubi in primis naturales acquisitiones commemorandae erant,[1] deinceps primum servata sunt quae L. 1. D. de precar. (43, 26) et scamella Vindobonensia continent, itaque etiam pars loci de possessione (coll. L. 1. pr. §. 1. D. de acquir. v. om poss. 41, 2) et de interdictis possessoriis, quae non minus spectant naturalem possessionem, quam praetoriae obligationes civilibus non accensentur. Et in his interdictis apte poterat finem facere eorum, quae iuris gentium sunt, si etiam in iure civili postremum locum dabat actionibus quae proprie sic vocantur. Iam vero ad ius civile progressus, eidem libro primo, ut fere aequaret utriusque libri modum, ius personarum, quod ex iure civili venit, adiecisse videtur, quo spectant, post exposita puta diversa libertino-
[524] rum genera, L. 4. D. his qui sui 1, 6. Boeth. Comm. in Cic. Top. lib. II. p. 299 Bait. L. 28. D. sol. matr. (24, 3). Secundo enim libro de rerum acquisitionibus (L. 41. D. de legib. 1, 3), de servitutibus (L. 1. D. de serv. pr. rust. 8, 3. L. 1. D. comm. pr. 8, 4), de fideicommissis et de mortis causa donationibus (L. 115. D. de leg. 1. L. 5. D. de m. c. donat. 39, 6) et sine dubio etiam de successionibus ab intestato (Collat. 16, 5—9) disputavit, quae omnia sane sunt iuris civilis. Ut vero credam, etiam ius quod ad actiones pertinet, eum in fine tractasse, nunc mihi ipsa L. 41 cit. persuadet, divisionem quandam rei tractandae initio libri praemissam continens, post quam verisimile est, eum dixisse, primum de acquisitionibus et alienationibus se disputaturum, ut ius actionum, quibus sane 'quis rem suam vel ius suum conservet', perinde ac Gaius ad calcem reiceret.

Qui ediderint has lacinias, comperies ex Boeckingii editione (ad calcem ed. Ulpiani fragm. 1855. p. 127.); accessit

[1]) Num quid ex his in Iustiniani Institutionum lib. II. tit. 1. transumptum sit, hic non quaerimus.

nunc ed. Kruegeri l. c. p. 160 seq., ad quam hanc nostram tertiam, codicem ab eo inspectum *Vind.* insignientes, instituimus, sic tamen ut loca harum Institutionum, quae praeterea supersunt, quaeque quemadmodum se exceperint, modo diximus, uno excepto, non repeteremus.

VLPIANI INSTITVTIONVM [52]
LIBER PRIMVS.

FR. I. (antea II).

1. [1]*Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur. quod genus liberalitatis*[2] *ex iure gentium descendit. et distat a donatione eo, quod qui donat, sic dat, ne recipiat; at qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium soluere. et est simile commodato: nam et qui commodat rem, sic commodat, ut non faciat rem ac-*
fol. I. a. *cipientis, sed ut ei ut*|i re commodata permittat.
fin. **2.** Locatum quoque et conductum ius gentium induxit. nam ex quo coepimus possessiones proprias et res habere, et locandi '(*nostras*)[3] ius nancti sumus, et conducendi res alienas; et is, qui conduxit, iure gentium tenetur ad mercedem ex|*soluendam locatori; is uero, qui locauit, ad rem praestandam, ut alteri uti uel frui ea liceat.*[4]

FR. II (antea III).

1. [5]. . . . *uelut si mutua pecunia tibi data sit, non eadem*
fol. I. b. *utique numismata* | reddis, quae accepisti, sed aliam pecu-
fin. niam eiusdem quantitatis. Mutuae autem dari possunt res non aliae quam quae pondere, numero, mensura continentur.

---

[1]) *Est L.* 1. *D. de precar.* (43, 26). [2]) *Ulpianus addiderat, ut opinor, 'et ipsum'. Antea vero de donatione disseruisse omniaque negotia iuris gentium ita ordinasse videtur, ut ab his, quae ex liberalitate veniunt, exorsus ad ea, quae utilitatis causa contrahuntur, pergeret.* [3]) *Supplevi.* [4]) *Sententiam supplevi.* [5]) *Sententiam aliquatenus supplevi. Cf. pr. I. quib. mod. re contr.* (3, 14).

2. Depositi quoque utilitatem ius gentium prodidit, ut quis[1] custodiendam rem suam animalem uel | *inanimalem amico dare possit, isque ei ad rem bona fide reddendam teneatur.*

FR. III (antea V).

1. . . . *com*|paratum est interdictum, uelut cui[2] ini- fol. II.
tium est. . . init.

FR. IV.

1. . . . | quae*dam etiam interdicta sunt tam*[3] adipiscen- fol. II.
dae quam reciperandae possessionis, qualia sunt interdicta fin.
QVEM FVNDVM et QVAM HEREDITATEM.[4] nam si fundum uel hereditatem ab aliquo petam, nec 'lis defendatur,[5] cogitur ad me transferre possessionem, siue numquam possedi, siue an*te posse*|di, deinde amisi possessionem.

FR. V (antea I).

1. '. . *restitutoria et exhibitoria interdicta*[6] *aut per* fol. II.
formulam|arbitrariam explicantur, aut per sponsionem; pro- fin.
hibitoria uero semper[7] per sponsionem explicantur. **2.** Re-

---

1) *Vind.* quiuis *edd.* 1. 2. 2) *Vind.* cuius *edd.* 1. 2. *Spectasse haec videntur ad interdicta adipiscendae possessionis, a quibus etiam Ulpianum in hac interdictorum divisione initium fecisse, dubitari non potest. Itaque iis absolutis progressus est circa finem eiusdem paginae ad interdicta non tantum adipiscendae possessionis, quo pertinet sequens fragmentum.* 3) *Sic nunc sententiam restitui, Kruegeri lectione fretus.* '*aut reciperandae possessionis, quo* | in n*umero est interdictum* VNDE VI, *aut tam*' *edd.* 1. 2. *Duplicia vero haec interdicta hac ratione dicta esse, nec ex L.* 2. §. *ult. D. de interd.* (43, 1) *efficitur.* 4) *Cf. Fr. Vat.* 92. 5) lis defendat *Vind.* is defendat *edd.* 1. 2. *quia dubium dicebatur, in Cod. essetne* LIS *an* HIS, *et signum quod habet post* cogitur, *significaretne fortasse* aduersarius. *Sed rectius hoc Krueger refert ad glossam marginalem nunc abscissam. Et lis defendi ante litem contestatam, quanquam minus proprie, dicitur tamen etiam L.* 78 *pr. D. de procur.* (3, 3). 6) *Ad sensum supplevi. Cf. Gai.* 4, 141. *Fortasse praecedebat:* '*Quod autem ad illam differentiam attinet, quod . . .*' *ut totum hoc fragmentum una periodo comprehensum fuerit, cuius apodosin* §. 2. *contineat.* 7) *Ex Rudorfii cj.* semper prohibitoria uero *Cd. edd. Sequens* per *in causa fuit, ut* semper *omitteretur, deinde ad marginem suppletum transponeretur.*

stitutorio uel exhibitorio interdicto reddito, siquidem arbitrum[1] postulauerit is, cum quo agitur, formulam accipit arbitrariam, per quam arbiter, | '*nisi arbitrio eius restituatur uel exhibeatur, quanti ea res sit, condemnare eum iubetur.*[2]

[Ad Ulpiani Institutionum librum primum etiam pertinuisse videntur, quae Boethius habet comm. in Cic. Top. lib. II. ed. Baiter. p. 299., magis tamen sententiam quam ipsa verba referens.].

Tribus modis uxor habebatur, usu, (*con*)farreatione,[3] coemptione; sed confarreatio solis pontificibus conueniebat. Quae autem in manum per coemptionem conuenerant, hae matresfamilias uocabantur, quae uero usu uel (*con*)farreatione,[3] minime. Coemptio uero certis solemnitatibus peragebatur, et sese in coemendo inuicem interrogabant, uir ita, an mulier sibi materfamilias esse uellet; illa respondebat, uelle. item mulier interrogabat, an uir sibi paterfamilias esse uellet, ille respondebat, uelle. Itaque mulier uiri conueniebat in manum, et uocabantur hae nuptiae per coemptionem, et erat mulier materfamilias, uiro loco filiae. Quam solemnitatem in suis Institutis Ulpianus exposuit.

---

1) arbitrium *edd.* 1. 2. *vitio typorum.* 2) *Ad sententiam supplevi. Cf. Gai.* 4, 162. 163. 3) con *initio addidi.* farreatione *Cdd. edd. etiam meae* 1. 2.

DOMITII VLPIANI,

VT VIDETVR, EX LIBRO AD EDICTVM . . .[1] DE IVDICIIS II QVAE FOLIO SINGVLARI BEROLINENSI MVTILO SERVATA SVNT.

De quo adi (Th. Mommseni) *Monatsberichte d. Kön. Akad. d. Wissensch. zu Berlin* 1879 p. 501 seq. et de nostra harum laciniarum restitutione librum meum *die jüngst aufgefund. Bruchstücke aus Schr. Röm. Juristen* 1880 p. 1—26. 54.

Pag. prioris col. I.

1. . . . . *com*|petiit[2] an*te eam legem latam* restituendo, deinde ex abundanti praecepit praetoribus, ut *de bonis eorum iudicia* redderent . . . .

Pag. posterioris col. I.

2. . . . riti . . . *se*qui,[3] *ut fictos ciues Rom*anos *quodcumque* ex iu*re Quiritium n*ostrum *esse intell*egeretur, *etiam fict*os Latinos *ut peculi*are recte *ex iure Q*uiritium pe|*tere* . . . .

---

[1]) *Quotus hic ad edictum liber fuerit, qui erat de iudiciis II, ne nunc quidem definire audeo.* [2]) *Praecessisse fere haec videntur: 'quod vero ad fictos Latinos attinet, cum faceret (sc. lex Aelia Sentia) ut ii tanquam servi decederent, patronis idem ius quod' etc. cf. Gai.* 3, 56. [3]) *Haec videtur sententia fuisse: 'hoc ex legis praecepto, quod actiones attinet, quibus actor quid suum esse ex iure Qui*ritium *intendit, se*qui *etc.'*

col. II.

3. . . . . . Ro*ma*norum esset. sed cum lege de bonis rebusque eorum hominum ita ius dicere iudicia reddere praetor iubeatur, ut ea fiant, quae futura forent, si dediticiorum numero facti non essent, uideamus, ne uerius sit, quod quidam senserunt, et de uniuersis bonis et de singulis | *rebus* . . . . . .

VLPIANI RELIQVA FRAGMENTA MINORA.

188] **1.** [1] Ulpianus libro ad edictum sexto sub titulo Qui pro aliis ne postulent sic refert: 'Inuenimus apud ueteres, mulieris appellatione etiam uirginem continueri.'

2. [2] Ulpianus in libro XLVI. ad edictum: 'Si quis proximior cognatus nasci speretur.'

3. [3] Ulpianus tamen ad Sabinum futurum 'fruiturum' dixit.

'Liber de officio proconsulis', qui in veteribus glossariis, post alios a C. Labbaeo sub titulo 'Cyrilli, Philoxeni Aliorumque Veterum Glossaria Latino-Graeca et Graeco-Latina' compositis et Paris. 1679 editis statim ab initio vocibus Latinis sequentibusque Graecis interpretationibus aliquoties interiectus legitur, est sine dubio Ulpiani ex Digestis et aliunde notissimus liber. Nec tamen certo apparet, ad quas voces, antecedentes an sequentes et quot ex iis liber ille pertineat, ut inde petitae dici possint. Quo cum accedat, ut ipsae voces interpretationesque earum pleraeque parum utilitatis praestent, omittendas eas duxi. De ipsis illis glossariis nuper docte disputavit A. F. Rudorfius. Berol. 1866. 4.

---

1) *Haec, quae sequuntur, extant, corrupta tamen, in libro, cui inscriptum est 'Spicilegium Solesmense . . . . curante Domno I. B. Pitra. T. I. Paris.* 1852.' *p.* 282., *ibique tribuuntur Pacati libro I. adversus Porphyrium. Correxit, diversumque hunc locum a consimili, qui ex lib. VII. ad edictum refertur in L.* 13 *pr. D. de verb. sign.* (50, 16), *ad ea, quae Ulpianus L.* 1. §. 5. *D. de postul.* (3, 1) *tractat, pertinere docuit is, qui primus eum in Germania publici iuris fecit, Boecking. ed. Ulp. fragm.* 1855. *p.* 177. 2) *Extat apud Priscian.* 3, 21. *p.* 607 *Putsch. p.* 97. *ed. Hertz. ubi est* nasceretur. *Correxi ex L.* 1. §. 8. *D. unde cogn.* (38, 8), *ubi integer locus legitur.* 3) *Extat apud Priscian.* 10, 13. *p.* 883 *Putsch. p.* 506. *ed. Hertz. Vereor tamen, ne is hanc quoque vocem tantum ex Digestis (L.* 12. *D. usufr. quemadm. cav.* 7, 9. *'Ulp. lib. XVIII. ad Sabinum') sumserit, perinde ac Lydus similia, quae ex antiquis iureconsultis allegat.*

INCERTI AVCTORIS, FORTASSE VLPIANI

DE GRADIBVS COGNATIONVM

expositio.

Ex codicibus mss., qui Notitiam dignitatum utriusque [52 imperii continent, maxime Victoriano Monacensi hoc caput primus edidit Boeckingius in corpore iuris anteiustinianei Bonnensi p. 173. idemque lectione codicis Parisini addita et praeterea paucis mutatis repetivit in quarta Ulp. fragm. edit. Lips. 1855. p. 183. Ex iurisconsulti cuiusdam optimae notae fortasse Institutionum vel Regularum libris id desumptum esse, dubitare non licet. Est enim haec graduum enarratio meo quidem iudicio omnium, quae exstant, in hac brevitate elegantissima; et cum simul Gaianae illi,[1] quam ex lib. 8. ad edictum provinciale novimus in L. 1. 3. D. de grad. et adfin. (38, 10), simillima tantumque sit concisior, de Ulpiani, qui ita Gaium sequi soleat, Regularum libro singulari cogitare licet. Quare operae pretium fuit, eam a mendis, quibus adhuc laborabat, purgatam hic referre. Animadverti quidem, stemma cognationum, quod Lud. Charondas ex codice Institutionum Dionysiano publicavit (de quo vid. notam nostram * ad Paul. 4, 11), ita plane ad huius cognationum descriptionis sententiam effictum esse, ut id quoque ab eodem auctore profectum esse videatur. Cum vero hanc ipsam ob causam nihil novi praestet et mendose typis exscriptum esse videatur, omittendum id duxi.

---

[1]) *Miror Boeckingio similem visam esse Paullianae expositioni in Sententiis et L.* 10. *D. de grad.* (38, 10). *Ut hoc uno defungar, Gaius et hic incertus scriptor generalem consobrinorum appellationem ut vulgarem et minus propriam tantum non reiiciunt; Paullus eam sequitur et tantum quosdam propriis appellationibus patrueles, amitinos, consobrinos distinxisse refert.*

530] **1.** Gradus cognationum appellantur ab eo, quod personae cognatorum aliae proximiore, aliae longiore gradu sunt et ob id quasi gradatim altera alteram antecedit. **2.** Omnes personae cognatorum aut supra numerantur, aut infra, aut ex transuerso siue a latere. supra numerantur parentes: infra liberi: ex transuerso siue a latere fratres et sorores liberique eorum; item parentium fratres et sorores liberique eorum. **3.** Primo gradu supra pater et mater: infra filius et filia. **4.** Secundo supra auus, auia: infra nepos, neptis: ex transuerso frater et soror; hinc enim transuersus incipit gradus. **5.** Tertio supra proauus, proauia: infra pronepos, proneptis: ex transuerso fratris et sororis filius et filia; patruus, amita, id est patris frater et soror; auunculus, matertera, id est matris frater et soror. **6.** Quarto supra abauus, abauia: infra abnepos, abneptis: ex transuerso fratris et sororis nepos et neptis; patruus magnus et amita magna, id est aui frater et soror; auunculus magnus, matertera magna, id est auiae frater et soror; 'hoc gradu sunt etiam patrui amitae, auunculi materterae filii,[1] consobrinus, consobrina, id est qui quaeue ex fratribus aut sororibus, aut fratre et sorore generantur; sciendum tamen, proprie consobrinos appellari eos, qui ex duabus sororibus nati sunt, quasi consororinos; eos autem, qui ex duobus fratribus procreati sunt, fratres patrueles uocari; eos uero, qui ex fratre et sorore nascuntur, amitinos dici. **7.** Quinto gradu sunt supra atauus, atauia: infra adnepos, adneptis: ex transuerso fratris et sororis pronepos, proneptis; propatruus, proamita, id est proaui frater et soror; proauunculus, promatertera, id est proauiae frater et soror; consobrini filius, 'filia;[2] item propius sobrinus, sobrina, id est patrui magni, amitae magnae, auunculi magni, materterae magnae filii, filiae. **8.** Sexto gradu sunt supra tritauus, tritauia: infra trinepos, trineptis: ex transuerso fratris et
531] sororis abnepos, abneptis; abpatruus, abamita, id est abaui frater et soror, '(*abauunculus, amatertera, id est abauiae*

---

[1]) *Cdd. et Boeck. haec verba habent in fine §i, unde huc in suum locum erant revocanda. Perinde enim etiam in Charondae stemmate dicitur* huius (*sc.* patrui, auunculi) filius filia consobrinus. *Praeterea* etiam *scripsi pro* enim. *Fortasse etiam pro* filii *scribendum erat* filius filiaue. [2]) *C. Par.* et filia *ex C. Vict. Boeck.*

frater et soror);[1] item consobrini nepos neptisque; item propatrui, proamitae, proauunculi, promaterterae filii, filiae; item sobrini, sobrinae, id est qui quaeue ex duobus consobrinis generantur.

Argumento vicina sunt stemmata agnationum vel cognationum in multis variique argumenti codicibus mss. occurrentia, de quibus videndus est Schrader ad Instit. 3, 6. §. 9. p. 452. et qui sex formas partim novas[2] in codd. legis Rom. Visigothorum repertas edidit, Gust. Haenel. in ed. leg. Rom. Visigoth. praef. p. XXIV. LXXXVIII. Ex his stemmatibus non pauca ex libris Romani iuris protracta esse iam Haenelius recte iudicavit. Sed eorum quoque pars ita comparata est, ut ab ipsis ICtis, qui de gradibus scripserunt, ea profecta esse dubitare liceat, pars tam manca vel deformata ad nos pervenit, ut difficile sit de iis iudicare. Duo tamen excipio, cumque cetera quoque, si cuius intersit, iam aditu non difficilia sint, haec tantum recepi. Prius, quod J. Cuiacius in fronte exemplaris Theodosiani Codicis ms. repertum Obs. 6, 40. primus publici iuris fecit et in quibusdam, parum tamen illustravit, deinde Boeckingius p. 171. corp. iur. anteiust. et Haenelius l. c. repetiverunt, ipsa inscriptione testante, ius legitimarum hereditatium antiquum illustrat, quo non exstantibus suis heredibus sive masculis sive feminis, in quibus nulla gradus ratio habetur, quique plures eodem gradu inter se etiam consanguinei sunt, agnatis gradu proximis, sed masculis duntaxat, hereditas defertur. Qua ratione in hac forma domum (i. e. familiam) effingente sui heredes sive descendentium stirpes et agnati tanquam duae domus contignationes, inferior et superior, separantur, ita tamen ut in inferiori pilae tantum, in superiori scala, cuius gradus [53]
proprii sunt, ostendantur, et in superiori, media suorum pila

---

1) *Haec excidisse non minus in aprico est, quam cur exciderint. Cdd. quod hic adiiciunt,* neptisque *expungendum erat; aberraverat librarius ad sequentis comprehensionis verbum finale et comperto errore perperam scriptum inducere supersedit; haud vero ex Boeck. cj. ante hoc verbum supplendum* fratris et sororis patruelis, id est amitini amitinaeue nepos. *Cf.* §. 7., *ubi ICtus item generali illo sensu* (§. 6.) *consobrini voce usus est.*

2) *Invenies eas ad calcem ed. legis Rom. Visigoth. Quam tamen quarto loco positam primus edidisse sibi visus est vir meritissimus, eandem licet alio ex fonte iam vulgaverat Spangenbergius in fronte ed. corp. iur. civ. Gotting. Tom. I.*

sursum ducta, etiam masculorum ascendentium personae addantur, partim quia etiam ad parentes manumissores lege hereditas redit, partim quia omnes agnatorum a latere iunctorum gradus velut adiuncta scala a directa ascendentium linea pendent: quae ratio etiam effecit, ut cum in linea directa prisco instituto tantum usque ad tritavum trinepotemve personae certis nominibus comprehenderentur, etiam agnati tantum ad sextum usque gradum demonstrarentur. Itaque in superiore parte primum iuxta parentes ex latere venientium capita, fratrem, patruum et deinceps usque ad patruum maximum, qui est sexto gradu, vides positos, a quibus orti deinde rursus directa linea sed in latere per gradus a felici sinistra ad dextram procedentes et usque ad sextum tantum gradum sequuntur. Ne vero crederetur, perinde ut hi ab illis capitibus generatione oriuntur, etiam capita iuxta parentes quasi ab his progenita posita esse, tota scala sive a latere venientium ordo a linea directa simulacro quodam distinctus est imaginibus consanguineorum (qui quasi fons est a latere iunctorum) et quidem puelli et puellae generationis nesciorum, eandem suam originem digito significantium[1]) supra tritavum et patruum maximum pictis, quas Boeckingius et Haenelius omittere non debebant. Quod vero frater non iuxta patrem, sed iuxta avum et similiter deinceps rursum locatus est, non tam idcirco factum puto, ut appareret, si cui patrifamilias pater avusve emancipator superstes sit, ad hunc ex fortiori directae coniunctionis iure, non ad fratrem hereditatem pertinere, quam ut ex directa linea transversae gradus demonstraretur, ex quo solo agnati aestimantur; nam idem gradus est avo et fratri, proavo et patruo etc. Sed et illud ex iuris civilis subtilitate sumptum est, quod frater bifariam, tanquam frater defuncti inter agnatos, si vero complures ex eodem patre filii filiaeve vel filiarum loco exstent, tanquam consanguineus inter suos, quorum iure paene consanguinei censebantur, refertur. Quod autem in suorum personis masculis additur 'qui ex potestate non exiit', feminis vero 'quae in manu est', 'quae in potestate est', eandem habet rationem, propter quam illi quasi stipes familiae in media pila, domum maxime ferente, hae tanquam rami in sinistra et dextra pila parietali positi sunt. Uti enim illis domum familiamque retinere, ita his non propagare et facile relinquere naturale est. His rationibus perspectis non dubitabis, hoc stemmatis artificium ex intimis veteris iuris-
533] prudentiae medullis derivandum et ad auctorem sat antiquum, et si mihi accedis, vel Augusto anteriorem referendum esse.

---

[1]) Eadem imago, etiam parentis effigie adiecta, recurrit in stemmate, quod Reizius ad Theoph. 3, 10. ex cod. Instit. D'orvilliano edidit

Alterum stemma praestant partim Isidori Orig. 9, 5. §. 28. (quarum usus sum ed. F. V. Ottonis in Lindemanni corp. gramm. Lat. III. p. 312) ex multis codd. mss. partim Lud. Charondas loco ad Paul. 4, 11. citato ex Contio, qui ex aliis membranis id sumsisse videtur, cum Isidori mentionem non faciat, et in quibusdam gravius quam Isidori codices inter se discrepet. Uterque fons suis et virtutibus et mendis est insignis; quare ex utroque optima quaeque sed et ea correcta selegi. Ex Contio retinui cellulas omnes quadrilaterales iisque inscriptos numeros Romanos, cum in Isidoro ascendentium et descendentium sint triangulares et omnes ab editoribus arabicis numeris signatae. In Contiano exemplari etiam 'pater mater' et 'filius filia' figura inclusi sunt et ternis quidem lineis supra et infra, significandae scilicet arctioris huius necessitudinis causa a ceteris gradibus, qui singulares habent, distincti; in Isidori editionibus illi soluti supra figuram commemorantur, ceteri gradus binis lineis inclusi sunt. Contra cellulas utroque latere adiunctas, in quibus scriptum est 'Usque ad hunc' etc. Isidorus tantum praestat. Quare vero, nisi casu, tam apud Contium quam in Isidoro scriptura in quibusdam cellulis, partim iisdem, quarti, quinti et maxime sexti gradus minutior sit, me non intelligere fateor. Quamobrem id hic indicasse satis habui. Ceterum totum hoc schema demonstrandarum *cognationum* in modum pyramidis decurtatae ita constructum vides, ut sex transversis laterculis altero infra alterum locato, omnes primi, secundi et ceterorum usque ad sextum gradum cognati in unoquoque iuxta se positi conspiciantur. Quod ut efficiatur, directa linea ascendentinm laevum, descendentium dextrum latus claudit; intus sunt a latere iunctorum scalae et gradus ita delineati, ut in secundo laterculo vel gradu rursus ut in superiore *εἰκονίσμῳ* frater sororque avo et deinceps ceteri transversi ordinis capita patruus, propatruus etc. sequentibus directae lineae adscendentibus accrescant, eorumque progenies in sequentibus gradibus ostendatur, quo fit, ut et sequens quisque laterculus una cellula augeatur et ortus gradus ex gradu in transverso ordine appareat. Dum vero hoc modo directa linea, proprietate sua amissa, plane ad transversi ordinis normam, cuius gradus proprii sunt, redigitur, adeo ut et gradus, qui intus sunt, usque ad iunctas iis ascendentium et descendentium personas pertingant, apparet totum schema ad illustrandum ius legis Furiae, ex quo et intestati bon. possessio, maxime unde cognati, pendebat, aliarumque legum comparatum esse. Sed praecipue illud, quod Isidorus servavit, ex- [53
emplum ius legis Iuliae vicesimariae spectasse videtur; quorsum enim pertineat illa adnotatio 'Usque ad hunc laterculum personae immunes sunt', nisi ad immunes a vicesima hereditatium? Accedit, quod si bonorum possessioni explicandae

stemma inserviisset, sine dubio etiam septimi gradus personae vel saltem sobrino sobrinave natus natave relatus esset. Comperimus igitur ex nostro stemmate, immunitatem illam, quam Traianus, teste Plinio Paneg. 39. 40. (collato lib. nostr. 'Gaius' p. 16—24), secundi gradus et in exili hereditate etiam omnibus lege Furia exceptis cognatis dederat, postea, Hadriani, ut opinor, edicto (an D. Marci? Capitol. 11. Front. ep. 2, 11.) in omnibus hereditatibus, quas lex Iulia apprehendebat, ad quartum usque gradum statutam esse, nec veri dissimile est, ex iurisconsulti alicuius ut puta Licinii Macri ad legem Iuliam de vicesima hereditatium libris id profectum esse. Plane si primam originem spectas, haec ad multo antiquiora tempora referenda erit, cum prisco more Romano aedificii forma et scalarum cum gradibus effigies servata sit, cuius in locum posteriore demum aevo, ubi magis eundem vitae ortum et quasi succum nuptias prohibentem demonstrare intererat, 'arbor cognationum' videtur successisse.

Eiusmodi arboris ferme in speciem etiam illud stemma effictum est, quod Boeckingius ex eodem cod. Victoriano, quo enarratio de gradibus cognationum continetur, non inferius seculo quarto vel quinto id esse ratus, primus edidit illique subiecit. Hoc vero neque ad illud caput, neque omnino ad ius anteiustinianum pertinere, sed medii aevi eiusque iurisprudentiae ecclesiasticae fetum esse, multa argumento sunt, ex quibus haec sufficiant. Primum graduum computatio contra veteris iuris formam etiam a Iustiniano retentam, quae intra sextum vel septimum gradum subsistebat, ad octavum usque perducitur: qua de causa (ut alias taceam) nec illud stemma, quod Haenelius secundo loco posuit, veteri iurisprudentiae assignari potest. Deinde in inferiore figurae parte ad stipitem arboris, qui descendentes continet, caper a sinistra (haec enim ubique est masculorum), capra a dextra se invicem amicabiliter petentes stantesque in terra, quae a quinto descendentium gradu incipit, superiores gradus coelo tenente, multa cum arte adpicti sunt, qua 'fecundissimi animalis' pictura nemo non videt significari, a quinto demum gradu nuptias permissas esse, superiores lege coelesti a nuptiis prohiberi, gradusque hic, dum plures descendentium stirpes finguntur, geniculorum Germanici iuris sensu intelligi, superiorem vero partem figurae, quae cognatos ex ascendentibus progenitos demonstrat, tantum ut etiam iuri civili eiusque graduum computa-
[535] tioni satisfieret, additam esse. Quod vero octo gradus numerantur, quasi tot naturae lege sint, iam commendandae legis ecclesiasticae causa factum apparet, quae aequissime primos quattuor coelesti prohibitioni, alteros terrestri licentiae adscripserit. Iam ut illud hircinum matrimonii iungendi symbolum clericalem olet matrimonii contemtum, ab antiquitate plane alienum, ita nec rei matrimonialis gratia ve-

teres cognationum gradus verbis exponere vel imaginibus illustrare unquam soliti sunt. Legem vero illam ecclesiasticam octavo demum seculo in regno Franconico invaluisse notum est, unde nec stemma priori tempori assignari potest. Sed si ea de causa nobis id omittendum fuit, non etiam ab iis negligi velim, qui de graduum computatione canonica scrutantur, in quam rem id magni momenti esse, nemo non videt.

ADNOTATIONES CRITICAE AD STEMMA COGNATIONVM.

[1]) fratris aut sororis filius aut filia *Isid. edd.* [2]) *Ita Contius et Isidori edd. pleraeque. Otto tamen ex Arevali ed. et, ut suspicor, cj. in hoc loculo dedit:* patruus magnus, amita magna, auunculus magnus, matertera magna: *quae vulgaris est huius gradus appellatio. Sed et alia, quae in agnatorum personis, quae parentium loco sunt, eundem, qui in parentibus traditus erat, morem observabat, exstitisse eamque, ut sequentes huius generis gradus testantur, stemmatis huiusce auctor secutus esse videtur.* [3]) fratris aut sororis *Isid. edd.* [4]) *Ita Cont.* (*tantum* matertera ma. *pro* matertera maior); propatruus, proamita, proauunculus, promatertera *Isid. edd. Scilicet iam librarii scripturam vulgari appellationi accommodaverant.* [5]) propriores *Isid. ed. Otton.* [6]) sobrini sobrinae *Isid. edd. manifesto vitio.* [7]) fratris et sororis *Isid. edd.* [8]) *Ita Cont.* (*tantum* materter. *pro* matertera); abpatruus, abamita, abauunculus, abmatertera *ed. Isid. Otton. ex Areval. ed.; ubique* ad- *pro* ab- *ceterae.* [9]) propatruus proamitae (*vel* proamitae) proauunculi filii (promaterterae *add. Areval. et Otto*) filiae *Isid. edd.* [10]) *Scripsi;* Propatrui, Proamitae. Proauunculi nepos neptis. id est sobrinus, sobrina *Cont.* propatrui, proamitae, proauunculi nepos neptis *Isid. edd.* [11]) sobrinorum et sobrinarum filii uel filiae *Isid. edd.* [12]) fratris et sororis *Isid. edd.*

FRAGMENTVM DE IVRE FISCI,

EX VLPIANI, VT VIDETVR, REGVLARVM VEL OPINIONVM LIBRIS SERVATVM.

536] Una cum Gaii Institutionibus, alius tamen codicis neque eius rescripti ex reliquiis, Veronae erutum et in lucem protractum est hoc quod nunc vulgo vocatur fragmentum de iure fisci. Scriptum id exstat *litteris semiuncialibus nec seculo septimo vel adeo quinto inferioribus* in duobus foliis valde laceris et corrugatis, ex unius complicatione, *ut Goescheno probabiliter visum,[1]* ita factis, ut inter utrumque similiter complicatorum par unum vel duo vel tria interiecta essent, quae perierunt: quamobrem duo potius fragmenta dicenda sunt, quorum alterum a §. 10. incipit. Paginas quattuor *infra quidem fere integras, sed supra maxime et partim in exteriore margine mutilas* scriptura complet binis in quaque columnis, quae *primitus fuerunt* versuum plus quam vicenum quaternum, *probabiliter ubique vicenum quinum,* versusque singuli plerumque litteras denas septenas continent, quarum tamen *pars passim perforationibus membranae periit, pars* sigla sunt. *Dextrae parti superiori folii primi adglutinatas esse lacinias duas ab eadem manu scriptas et inter se item glutine compactas, quae quo pertineant ignoratur, nunc demum compertum est. Factum est ea re, ut pars scripturae versus primi prioris columnae fol. I v. his laciniis tecta delitescat, scriptura vero in lacinia superiore tantum superior (paginae rectae), in inferiore tantum inferior (paginae versae) legi possit, utraque ad duos versus pertinens.[2]* Initium novi articuli

---

[1]) Novissimus editor Krueger etiam seculo demum decimo octavo ea in compagem, qua nunc continentur, posse conglutinata esse iudicat.

[2]) Secundum Kruegerum legitur in inferiore (?) *c* (vel *e* vel notatum *contra*)*u*∗ in superiore *ita con* Videtur autem appellationes
e (vel *c*)∗ *ared*
inferioris et superioris laciniae inter se confudisse.

versu paullo prominente, vel intra versum spatiolo vacuo relicto et littera initiali paullo maiore indicare, novas vero materias etiam rubricis, quibus pingendis versum integrum a scriptura vacuum reliquit, distinguere librarius instituit, in utroque tamen neque rationem neque constantiam exhibuit. *Rubricas a librario fuisse numeratas, indicant numerus 'xxvi' et sequentis rubricae pars numeri (xxv)'ii', qui nunc demum initio §§. 8 et 9 in margine comparuerunt: ex quibus ipsis apparet, non certo consilio, sed ut in Gaii institutionum codice, pro arbitrio etiam has rubricas distinctas fuisse. Cum igitur non constet, quot articuli quaque rubrica comprehensi fuerint, nec certa coniectura, quantum interierit ante ea, quae servata sunt, hinc capi potest.*

Ipse auctor ea, quae supersunt, quantum ex his ipsis coniicere licet, eo modo videtur digessisse, ut ius fisci tractaret I. ratione negotiorum, quae ab aliis propter publicam quandam utilitatem inutiliter geruntur sive mortis causa sive inter vivos, §§. 1—4ª. II. ratione negotiorum, quae ipsius fisci nomine maxime a servis Caesaris contrahuntur, §§. 5—7. tum ageret III. de poenis pecuniariis, quae illicite gestorum nomine in fiscum rediguntur, §§. 8. 9., ubi primum folium exit. Sequitur in altero folio IV. de lucris, quae fiscus ex licitis privatorum negotiis vel mortis causa capit vel inter vivos, §§. 10—13ª, denique *§. 13ª transitum faciente* V. de his, quae fisci ratione agere liceat sive etiam oporteat vel non, tam his, qui munere aliquo fiscali funguntur, quam privatis, §§. 14—21. Qui ordo materiarum valde discrepare deprehenditur ab eo, quo Paullus Sent. lib. V. tit. 12. de iure fisci egit. Cum vero ea, quae in fine folii primi tractantur, admodum vicina sint his, unde secundum folium initium capit, haud plus quam duo folia inter utrumque periisse existimare licet.

De aetate et auctore horum fragmentorum magna est [5 inter viros doctos dissensio, de qua Heimbachius in repert. Lips. 1843. p. 146 seq. et Boeckingius in praefatione novissimae horum fragmentorum editionis sub finem edit. Ulp. fragm. quartae (1855) p. 145. copiose exposuerunt. Et sane facilius dictu est, cuius ea non sint, licet a quibusdam esse dicta fuerint, quam cuius sint. Primum igitur non sunt Paulli, neque ex Sententiarum eius neque ex libris de iure fisci: ut taceam eius librum singularem Regularum. Non sunt ex illis; nam et ordo rerum alius est, de quo iam dixi, quodque maxime apparet ex §. 19. collata cum simili loco L. 45. §. 3. D. de iur. fisc. (49, 14), et sententia §i 9., quae longe aliter et alio Sententiarum loco I. 6ª. §. 2. refertur: non ex his, quoniam Paullus iis ius fisci iusto tractatu exsequitur et proprias aliorumque opiniones vel imperatorum rescripta et decreta refert, velut L. 5. §§. 5. 11. 12. 15. D. de his, quae

ut indign. (34, 9), quod ab huius scriptionis ratione, certas tantum et gravissimas huius iuris definitiones admittentis, prorsus alienum est. Eadem de causa de Callistrati libris de iure fisci cogitare non licet. Neque vero de Hermogeniani iuris epitomis, alioquin compositionis ratione similibus, id quod statim agnosces, ubi eius de hac materia expositionem in L. 46. D. de iure fisci (49, 14) et maxime quidem §§. 2. 3. cum nostris §§. 4ª. 5. contuleris.

Quod vero de aetate auctoris potissimum a C. Guil. Walchio disputatum est, eum Diocletiano anteriorem non fuisse, ne id quidem mihi probatur. Leviora argumenta iam a Boeckingio refutata praetereo. Speciosa tantum sunt quae ex §§. 14 et 15. et ex §. 17. ducuntur. Sed ad illas quod attinet, iam Paulli tempore, ut ex Sent. V. 12. §. 6 apparet, bona, quae ad fiscum pertinere dicebantur, sine iudicati auctoritate describi vel obsignari aut incorporari non licebat; Diocletiani vero constitutio L. 5. C. de i. fisci (10, 1) testatur, tum nec licuisse, nisi etiam forma eo nomine ab ipso imperatore data esset. Et cum antea Caesarianis bona ante sententiam inquietantibus manus opponere (quod iure naturali licebat) prohibitum quidem non esset, imperatores vero tantum procuratorem de eiusmodi iniuria adire iussissent, Diocletianus l. c. expresse universis, quorum interesset, ipsis resistendi officialibus potestatem dedit. Unde intelligitur, antiquius ius §§. 14. et 15. referri. Sed etiam §o 17. ius posterius et latius contineri, quam L. 1. 2. C. de advoc. fisc. (2, 9), Antonini et Valeriani rescriptis a. 214. et 255. propositis, non persuadebitur ei, qui utrosque locos diligentius inspexerit. Antonini enim rescriptum eum spectat, qui fisci causam aliquando egerat, eumque, licet salarium non acceperit, in eadem scilicet causa contra fiscum
[538] patrocinium praestare vetat; cf. L. 11. D. de postul. (3, 1) et L. 2. C. cit. Haec ipsa vero L. 2. cit. cum §. 16. plane convenit. — Si tandem mihi ipsi quid videatur, dicere licet, primum fragmenta nostra et ipsa celebrioris operis celeberrimi cuiusdam ICti partem fuisse, non dubito; alius enim etiam frustulum tantum qui aetatem tulisset? Deinde hunc tertio seculo scripsisse et quidem post Severi excessum et ante emissam vel potius post rursus abrogatam a Macrino constitutionem Antonini Magni, qua is patrum in caducis ius sustulerat, conficitur tam ex §. 4ª., in qua ius a Severo et Antonino constitutum refertur, et ex §. 3., secundum quam ius patrum fiscum praecedit, quam ex iure aerarii tum ad fiscum in plerisque causis iam translato. Sed et Paulli Sententias eum ob oculos habuisse verisimile est propter §. 19., quam ex illis desumtam et elegantius modo formatam iure dixeris, maxime si expenderis, Paullum ipsum illam sententiam vix ita concepturum fuisse, nisi imperialis sententia, quam L. 10. D. de manum. (40, 1) refert, prae-

cessisset. Denique si scribendi elegantiam et totam tractandi rationem considero, vix alii haec ICto quam Ulpiano, *cui etiam insolentior dictio 'inconsiderata diligentia' (§. 2) convenit coll. L. 3. §. 17. D. de susp. tut. (26, 10) vixque* alii eius operi quam Regularum vel Opinionum libris assignari posse mihi videntur, ex quibus quae in Digestis superant, ostendunt, etiam his tantum certi iuris sententias, spretis aliorum auctoritatibus, comprehensas fuisse. A libro singulari vero Regularum illi etiam hoc distulisse videntur, quod ius quoque extraordinarium, quo pertinet fiscale, iis expositum erat.

Reliquum est, ut dicam, etiam haec fragmenta post Goescheni et Lachmanni curas a Boeckingio ornatissime edita esse; quapropter ad eius tantum editionem iam supra commemoratam emendationes nostras referre consentaneum duximus. Sed eae cum compluscula essent, quo facilius de iis iudicari posset, in hoc uno frustulo superiorum editorum exemplo etiam versuum codicis distinctiones retinere placuit.

Haec quoque frustula iterum edenda ut peculiari cura retractarem, impulit me maxime apographum membranae Veronensis Hollwegianum ad calcem apographi Schedarum Gaianarum, de quibus supra p. 167. retulimus, a Boeckingio adiectum. Neque hanc iteratam operam infructuosam fuisse, iudicaturum spero, qui v. gr. §§. 7. 11. 18. 19. utriusque editionis contulerit.

Membrana Veronensi non solum denuo atque accuratias quam antea factum, inspecta et descripta, sed etiam imagine eius fideli imitatione ante oculos posita 'Fragmentum de iure fisci edidit Paulus Krueger Lipsiae 1868'. Quae editio maxime in causa fuit, ut et in hac tertia mea eiusdem fragmenti recognitione haud pauca tam in praemonitis quam in ipso contextu et in adnotatione addenda vel mutanda essent, quae, ubi opus, asteriscis feci, ut a lectore facile deprehenderentur. Kruegeri editionem significavi *Kr.* apographum *CKr.*

---

[539] ******* t capere possi*t*.[1] fol. 1. col.

1. Heredi eius, 'qui cap*ere*[2] | non poterat, defe*re*ndi | potestas concessa (*non*)[3] est, ni*si si* os|tendi[4] possit, eius 'u*oluntatis*[5] | decessisse de*functum*, | ut deferre se u*ellet*.[6] |

2. [7]Antequam quis ab alio defe|ratur, ipse se defer|re debet, alias sero | ad auxilium delatio|nis confugit. quod si per | errorem se detule|rit, nihil ei officit in|considerata diligentia. |

3. [8]Ius patrum non minui|tur, si se is deferat, qui | solidum id, quod relic|tum est, capere non potest. sa|ne si[9] post diem centesi|mum patres caducum | uindicent, omnino | fisco locus non est.[10] |

4. Si se is deferat, cui taci|'*te relictum est*, *prae*m*ium* *fert*.[11] | col.

4a. '*Emere non potest e prouincia is*, *qui ei praeest*,[12] *nec hoc* consider*atur*, *quis contra*|*h*at: ceterum *si per interposi*|tam personam *comparasse*|[13] *rem arguatur*, *damnum* | *patitur* eius

---

1) *ex Kr. ed. initio versus* *i(?)nq(?)u(?)a(?)t *C*^Kr^. *Fuisse suspicor* duntaxat *Antea hic versus lectus non erat. Tota sententia fuerit:* '*Deferre se potest et is, qui solidum cepit, quamvis partem duntaxa*t capere possit. 2) *ex Kr. ed.* ui e ui*ta cedens*' *Boeck. secundum Lachm. ne apta quidem sententia.* qui qui*t capere edd. meae* 1. 2. *sed litteras* e' qui *errore repetitas librarius induxit. De re cf. L.* 13. *pr.* §§. 1. 2. 8. 10. *L.* 15. §. 3. *D. de iur. fisci* (49, 14). 3) *Addidit ex Savinii cj. Kr. ed. Ante v.* 2. '*Ipsi tantum non etiam*' *suppleveram edd.* 1. 2. 4) *In C*^Kr^. *hic perforato aut* nisi si ostendi *aut* nisi hostendi *potest fuisse.* 5) *In C. scriptum fuisse puta* uolunt., *ut in Gaio* potest. = potestate *etc. Cf. Papin. in Collat.* 6, 6. *et L.* 45 (46) *pr. D. de neg. gest.* (3, 5). 6) *Boeck. secutus Lachm. pro* uoluntatis *fecit* uigoris, *pro* uellet ualeret. *Neque vero Hadrianus, an potuerit, sed an voluerit defunctus, quaeri voluit, neque fisco sed heredi iniunxit probationem. L.* 13. §. 5. *D. ib.* 7) *Cf. L.* 13 *pr.* §. 10. *L.* 2. §. 7. *D. de iur. fisc.* (49, 14). 8) *Cf. Gai.* 2, 206. 207. 286. *Ulp.* 1, 21. 25, 17. 9) nisi *scribi vult Kr. male.* 10) *Nam alias fiscus a deferente se saltem dimidium habet.* 11) *Ad sententiam supplevi, ut appareret, etiam sequentem* §. *posse recte suppletam esse. Scriptum fuisse puta:* relict. ē p̄mium fert.| *Cf. L.* 13. §. 1. *D. de iur. fisc.* (49, 14). *Quae Boeck. proposuit, tres versus complent, quae ego edd.* 1. 2., *duos. De edicto D. Traiani vero iam ante in non capiente ICtus dixerat.* 12) *Vocum* '*e provincia*' (ep̄ua) *vestigia supersunt in C*^Kr^. 13) *Etiam hos duos versus nunc ex C*^Kr^ *restitui.*

rei *uel aesti*|*mationis*. ter uero *frustra*|*to eo etiam*[1] *quadruplum* | *poenae* nomine *con*sequi[2] fis*cum o*|*por*tet.

5. Bona e*orum*, | *q*ui cum fisco contrahunt, *le*|*g*e 'uacuaria[3] [540] uelut *pig*|*n*oris iure fisco '*obligan*|*tur*,[4] non solum ea, quae | *h*abent, 'set et[5] ea, quae postea |habituri sunt. |

6. *E*dicto diui Traiani caue|*tur*, ne qui prouincialium *c*um | seruis fiscalibus[6] contrah*ant*, | nisi adsignante procura|tore. 'quod[7] factum | dupli damno uel reli|quorum 'eius l. 1. col. a. (*serui*) solutione[8] pe*n*|satur. et ideo qui cum | [9]— — — — |

---

1) '*Si praeses in prouincia per supposi*|tam *personam conparasse* | *quid arguatur, fisco con*|*demnatur* eius rei *aesti*|*mationis*. ter uero *frustra citato' Boeck. ex Lachm. cj. Ego* C^{Kr}. *et L.* 46. *D. de contrah. empt.* (18, 1) *collata L.* 46. §. 2. *D. de i. fisc.* (49, 14) *nunc accurate secutus sum. Scriptum erat:* emere n̄p e p̄ua is q́ei p̄e|n'hoc c'siderat' quis ̄ɔ|hat ceterum si p̄ ┼posi|tam p̄sonam c'parasse | rem *et postea* patit' *et* ū aesti| *denique* et. *pro* etiam. 2) nom̄ sequi *C.* = nomen *vel* nomine sequi. *Apparet librarium in suo cod.* nomene *pro* nomin(e) c' *legisse. pro* poenae *scripsisse videtur* p̄nae (*cf. Gaii not.*). 3) *XX*maria *Boeck. ex cj. ed. Alii alia coniecerunt. Ego postquam Leg. Flav. Salpens.* 64. *innotuit, codicis scripturam mutare ausus non sum, nec dubito, legem vacuariam eandem esse, quae ibi 'lex in uacuom uendendis' dicenda appellatur, qua ex lege emptori, postea fisco i. e. procuratori Caesaris etiam singulas res debitoris persequi et distrahere videtur licuisse. Ceterum etiam legi potest* e leḡe. 4) *In C. scriptum fuerit* oblan|tur (oblegantur). *Cf. L.* 10. *D. de manum.* (40, 1). *L.* 1. 2. *C. in quib. c. pign.* (8, 15). 5) s' *C. i. e. olim* set, *ex quo* et *geminandum erat. Boeck. ed.:* sed ea *quoque*, quae. 6) *i. e. qui in actu aliquo stationis fiscalis positi sunt, a quibus distinguuntur* §. 6ª *qui omnino servi Caesaris sunt.* 7) *Ante h. v. siglum v.* contra *excidisse suspicor.* 8) e' solutione *C.* exsolutione *ex Lachm. cj. edd. etiam meae* 1. 2. 9) *Versus* 1—12. *in edd.* 1. 2. *ut tum Codicis scriptura repraesentabatur, sic fere restitui posse conieceram: non adsig*nato *siue de* | *peculio in creditum* | *ierit si*ū is *idcirco* tm̄ | *reliqua* n̄ ̄ɔa*xerit* r̄ p|*dit* ū *pen*sat c'*altero tan*|*to si uero* ̄ɔa*xerit in*|*actu* q́. *e*i incu*mbebat, tot.* | *debitu*m eo *nom. fisco* | p*solu*ere cogit' n'*rele*|*uat*' cū ad eum l*ucr*. | *e* m̄m̄or̄ puenit ht. *ibique quod in fine dicitur, eo spectare videbatur, quod si dispensator forte vel vicarius eius rationibus redditis manumissus erat et postea defuncti hereditas ad Caesarem pervenerat, detecta deinde ex actu servi reliqua nihilominus tota ab eo, qui contra interdictum cum eo contraxerat, persolvenda erant: nova enim liberti persona erat. quod nunc non probo. Iam vero duas sequi edicti D. Traiani quasi exceptiones vel potius interpretationes in* §§. *sequentibus,*

— — — — | — — — um * | — * * cus ido —[1] | — — contra 'amo — quae[2] | — * * sa * o[3] — * * | — o contrax — — | — i non in cu — | * u * *t*amen eo*rum* — | * * uere[4] cogitur na * | * * c̄tu[5] ad eum lo * * * | * * * ior[6] peruenit h̄t * *[7] |

6a. *Serui*[8] Caesaris ab ad*mi*|*nist*ratione rerum | *su*arum[9] itemque commu*l*|*n*ium[10] rerum comme*r*|cio non prohibentur: adeo | et s*t*ipulari ab his et | *e*mere donatumu*e* | accipere possumus, nisi *cum* in fr*a*udem portio|nis Caesaris fiat. |

541] **7.** *Qui* mutuam pecuniam contra interdic|*t*um dispensatori ui|carioue eius crediderit, | *si is reliqua non fecerit*,|[11] '*simpliciter* in poenam | *du*p*li conu*enitur,[12] quia quod | *cre*didit, non amisit. | '——————[13] | col. b.

---

recte quidem statueram, sed in alium quam oportet, sensum ex Bgiano Cod. apographo restituere tentaveram. Nunc secutus sum C^{Kr}, *in quo tamen ambigua quaedam in* §. 6. *ab omnia restituendi periculo interim deterrent.* 1) *fiscus* idone . .? 2) q' C^{Kr} *quod est* quae. *an* amo*tum* quae? *sed* que *ed. Kr. quasi in C. esset* q. *vel* q̄. 3) sa*m *ed. Kr. sed fuerit* (conpen)sato. 4) *an* eor. *nom*(*ine*) *cauere*? 5) *sic* C^{Kr} *sed* contractu *Kr. ed. quasi in C. esset* ꝯctu. *An:* nam *ex* contractu? 6) *sic* C^{Kr} io *ed. Kr.* 7) *Fuit aut* hte = hereditate *edd. superiores omnes. aut* htas = hereditas, *ut antea explendum sit* locuplet*ior* *et fiscus is sit, quem cavere oporteat.* 8) *Aut quod hic post spatiolum superscriptum v.* Caesaris *legi non potuit, aut in ipso spatiolo non dubito fuisse* ser. = Serui. 9) *Ex Kr. cj. Intellige vero peculiares et nota, quod ex h. l. et Ulp.* 20, 16. *elucet, servos publicos vel Caesaris in peculio suo idem fere ius, quod filiifam. in castrensi habuisse, nisi quod, si Caesarem ex asse heredem non fecissent, dimidia pars iure peculii ad Caesarem pertineret, quae portio Caesari debita in fine §i intelligitur. Hoc cum nondum cepissem, aliter in edd.* 1. 2. *h. l. restitueram.* 10) *Ex* C^{Kr}. *ed. Kr. Sunt res servo cum aliis communes.* 11) *Restitui ad sensum, qui et hic requirit, ut columnas C. versuum vicenum quinum fuisse ponamus.* 12) *Item* C^{Kr}. *secutus ad sensum supplevi. Scilicet cum duplum intellegeretur rei ipsius et simplum tantum mera poena esset, in pecunia mutua data non ut in emptione vel venditione similibusque contractibus ratio habenda erat eius quod invicem provinciali deberetur, sed ut si id redditum vel pensatum non erat, eo nomine ei caveretur, quod hereditas servi inde locupletior ad fiscum perveniret (eo enim quae legi non potuerunt* §. 6. *spectare puto), sed simpliciter damnato salva erat condictio mutui recipiendi causa.* 13) *Versus a scriptura vacuus.*

8. [1]*Qui contra e*dictum diui Augus|*ti re*m l*i*tigiosam a | *non possid*ente comparauit, prae|terquam (*quod*) emptio nul|lius momenti est, poenam | quinquaginta sestertiorum fisco re|praesentare compellitur. res autem | litigiosa uidetur, de qua 'lis[2] | apud suum iudicem | delata est. sed hoc in prouincialibus | fundis praua usurpa|tione[3] optinuit. |
'——————————[4] |

9. [5]Absentes fugitiuos | uenum dari aut comparari | amplissimus ordo | prohibuit, denuntiata | in emptorem uendi|toremque poena sestertiorum quinquaginta, | quae hodie fisco
fol. 2. r. uindi|*catur.*
col. a.

* * *

10. | — — — — | [6]excepto castrensi | peculio bon*a* [542
sua *con*|ferre debebunt. |

11. Caesare a liberto suo *ex as*|se herede instituto, '*filia*| iure[7] ad semisse*m uo*|catur: cum extraneis uero ins|tituto, filia ex 'se|misse modo[8] extraneis, | non et*iam* Caesari adcre-

---

[1]) *Cf. Gai.* 4, 117. *Guil. Francke ad Dig. tit. de hered. petit. p.* 39. [2]) *Ex C*[Kr]. *In edd.* 1. 2. *hanc v. post* iudicem *suppleveram.* [3]) *Nam Augustus dum actorem non possidentem rem litigiosam alienare vetat, nonnisi de praediis, quae mancipi erant, cogitare poterat, quod etiam poenae summa evincit. Sed postquam exceptio etiam ad pignori hypothecaeve dationem translata erat, per quam omnium rerum etiam mobilium nomine in rem actio a non possidente creditori comparari poterat* (*L.* 1. §. 2. *D. quae res pign.* 20, 3), *mirum non est, quod rapaces procuratores poenam quoque edicti ad fundos saltem provinciales transtulerunt.*
[4]) *Versus vacuus.* [5]) *Cf. Paul.* 1, 6[a]. §. 2 [6]) *Antecedentis primi versus pauca vestigia supersunt. Praecesserant vero puto fere haec: 'Caesaris libertus etiam minor centenario sive testamento facto sive intestato decesserit, cum liberis eius duobus vel uno virilis pars Caesari debetur liberique ei.' Cf. Gai.* 3, 42. *Nam in centenario commune hoc ius erat ex lege Papia, quae cum patrono ut debitam hanc partem etiam adversus duos naturales liberti liberos adscripserat, emancipatione liberorum eam minui nolebat. Emancipatus igitur et patrono et suo conferebat, exceptis bonis castrensibus. Caesarem vero, patrem patriae, in cuiusque domus Augustae liberti bonis hoc ius habuisse, ex seq. §. probabile est. Cf. Suet. Ner.* 32. [7]) *Ex C*[Kr]. *filia ne*|*posue edd. meae* 1. 2. iure (*accrescendi*) *edd.* (*non Kr.*) *quo additamento non opus.* [8]) semissem *C. unde fuerit* semisse $\overset{o}{m}$ (= modo). *Deest* modo *in edd. etiam mea altera.*

scit.[1] | quodsi plus semisse Cae|sar accepit, in id, quod plus | est, etiam Caesari adcrescit. |

12. Libertae Caesaris, tam | manumissione quam 'beneficio con|iunctionis[2] effectae, | si testatae decedant, | dimidium, si intesta|tae, *to*tum fisco uin|dicatur.[3] sane patris et | patroni ignorantis | ius non minuitur.[4] |

[543] 13. Ancilla Caesaris, quae $\overline{\text{v}}$ li|beros habuerit, in nu|*me*-*rum libertarum*[5] ———— v. 2—6. ———— |[6] col.b.

13ᵃ. [7]*Latini Caesaris liberti quanquam*, | *cum dec*edan*t ut serui*, *eo*|rum bona *fisco uin*|dicantur, *t*amen *ex eontractus* | causa fisco acqui*rere ea* | *'propter*[8] non possunt n*isi poenam,* quam *ali*|eno *pr*iuato contra*ctu* in*ito* | inter s*e fis*co stipulantur. |

14. [9]E*oru*m bonorum, *quae* | a*d* fiscum pertinere dicun|tur, s*i* controuersia moueatur, | au*te* sententiam nec obsig|na*ri* n*ec* describi aut in|corporari possunt. idem ser|uat*ur* 'et[10] cum a sententia prouocatio interponitur. |

---

[1]) *Singulari eius, ut opinor, iure. Cf. Leg. Rom. Burg.* 3. *ibiq. Bark. Nam privatus patronus cum per filiam liberti minoris centenario ab hereditate eius excluderetur, causa non erat, cur filia praeterita non et ipsi partem detraheret. Cf. Gai.* 2, 124. *De semisse Caesaris cf. Suet. l. c.* [2]) *Interpretatio non tam ex Tacit. A.* 12, 13. *et Paul.* 4, 10. § 2., *quam ex L.* 3. *Th. C. ad SC. Claud.* (4, 11) *petenda: unde docemur, ingenuam, quae Caesaris servo se iunxerat, etiam ignaram, antiquo iure semper (quasi consentiente eo) libertam eius effectam esse. quare etiam probanda est Kr. cj.:* tam manumissionis beneficio quam coniunctione. [3]) *Hoc quoque singulari iure. Nam ex lege Papia privati patroni liberta quattuor liberorum iure testamenti factionem nanciscebatur, ita ut virilis pars pro numero liberorum superstitum patrono deberetur. Gai.* 3, 44. *Unde suspicor, Caesaris libertabus etiam sine liberorum iure testari licuisse, ut tamen liberorum ius nihil in Caesaris patroni iure mutaret.* [4]) *Cf. Paul.* 2, 21ᵃ. §§. 7. 9. [5]) *Vid. Columell. de r. r.* 1, 8. §. 19. *recte a Rudorfio allatum. Suspicari licet, quinque liberis Caesaris ancillas similia iura adeptas esse, atque quattuor liberis a privatis manumissae.* [6]) *In his versibus haec paucula tantum lecta sunt:* (3) * * n.... (4) caes.... (5) * orem .... (6) * * milibus s .... [7]) *Huius §i restituendae ex C*^{Kr}. *periculum feci, cum edd.* 1. 2. *extrema tantum, de quibus cf. L.* 1 *pr. D. de iure fisci* (49, 14), *eaque minus recte supplevissem.* [8]) *Nota* ppt *scriptum fuisse posui. Pro* acq. *in C*^{Kr}. *est* acq-. [9]) *Vid. praefat.* [10]) *ex C*^{Kr}. *addidi.*

15. Pro his bonis, quae fiscus in|quietat, manus op*po*|ne*re* fol. 2. v. col. a. nemo quidem prohib|*etur*;[1] — — — | — — — — tur | — — — e * * i | — — — rian * | — — * pellunt | — — io * i * * rā | .

16. [2]*Aduocati fis*ci *etiam* | *post deposi*tum officium | con*tra fis*cum, a quo 'sa*la*|*rium* acceperunt, nisi in| *causis par*en*t*um, filiorum, | p*upi*llorumue suor*um*, causa | liberto*rum* etiam,[3] adesse *proh*iben|tur, et si adfue*rint*, infa|mia plectun*tur*. *sa*ne | hoc principali b*eneficio* | impetrare non proh*i*ben|tur.

17. [4]Fisci aduocati, | quibus ad temp*us* o*fficiu*m | mandatum est, quia salari|um n*o*n accip*i*unt, | contra fiscum adesse [544] non prohi|bentur.

18. Capite 'le|g*is* censoriae[5] caue|tur, ut non *t*an*t*um, col. b. cum quid | *fisco aufertur*, *sed et cum non*[6] | praestatur, cuius rei omis|sa professio[7] commis|*so in*tra[8] quinquennium

---

[1]) *Vid. praefat. Quae sequuntur, edd.* 1. 2. *ex Paul.* 5, 12, 6. *in eam sententiam restituere tentaveram: tutius tamen procuratorem adiri, ut is iniuriam, quam Caesariani committerent, expelleret. Quae ut vera sit, nunc ex* C^{Kr}. *quae lecta sunt, proponere malui.* [2]) *Etiam hanc* §. *mutata ed.* 1. 2. *nunc ex* C^{Kr}. *rectius restitui, quibusdam a Kr. monstratis. Caeterum cf. L.* 10. *D. de postul.* (3, 1). *cum schol. Thalelaeano ad Basil.* 8, 1, 36. *L.* 1. 2. *C. de advoc. fisci* (2, 8). *L.* 13. *L.* 22. §. 1. *L.* 24. §. 1. *C. de advoc. div. iud.* (2, 7) *et praefat.* [3]) sal*aria* (*cf.* §. 17) *et deinde* nisi in *suis uel parentum* f. p. suor*um* causa, libertorum etiam *ed. Kr. partim invito* C^{Kr}. *nec in sua causa advocatus quis adesse potest.* [4]) *Cf. L.* 1. *C. de advoc. fisc.* (2, 8). [5]) *Domitiani, ut opinor, quem Plin. pan.* 40. *spectare videtur.* [6]) *Sic primum versum col. b. collatis v.* 7. 8. *restitui, postquam apparuit, versus viginti quinque quamque columnam habuisse. Scriptum fuerit* fisco aufert' s' et c' ñ. *Sed etiam in sequentibus aestimandis et restituendis, hoc non comperto et ante* C^{Kr}. *commenta vel tentata irrita fuerunt.* 'non *t*an*t*um cum quid | praestatur, cuius rei omis|sa professio *fuerit*, actio commis|*si* intra quinquennium locum | *habeat sed et' Lachm. et Bg. edd.* 'tum tantum, c. q. p. c. r. o. professio intra commis|sis statutum quinquennium locum *fisco dat' mea ed.* 1. *laudato libro m.* '*Census u. Steuerverf. d. Kaiserz.' p.* 194. n. t. c. q. p. cuius rei omissa professio (*sit, sed et cum*) commissi poena intra quinquennium locum *ob id habet' ed.* 2. [7]) *Quae hic in* C^{Kr}. *sequitur v.* intra *ab ipso librario vel correctore expuncta est.* [8]) *ex Mommseni cj. literae -so in- perforatione folii perierunt.*

locum | *facit,*[1] earum rerum | *nomine*[2] quae per fraudem | '*ipsa*[3] ablata[4] sunt uel professi|oni 'subtracta,[4] qua|druplum fisco de*pen*|*da*tur,[5] alias duplum. |

19. [6]A debitore fisci in frau|dem datas libertates re|trahi placuit. sane ipsum | ita emere, ut manumittat, | aut fidei-commissam libertatem 'praest*are*,[7] non est prohibitum.

20. [8]Ab eo, qui reus criminis '(*publici*)[9] pos|tulatus

545] aduersam sententiam | meruit, tempore | reatus quocun*que* mo|do alienata a fisco cum | quadruplis fructibus | reuocantur.

21. Fideiussorem eius, qui cum | dispensatore contraxit, ip |

---

1) *ex Kr. ed. in C*^{Kr}. *foramine absumptum. In eo vero ipse librarius, quem Kr. sequitur, erravit, quod hic articulum finiri putans, spatiolo relicto inde ab* earum *novum incipit, qua de causa etiam postea* dependitur *pro* dependatur *scripsit.* 2) *i. e. ex his causis.* 3) '*tota*' *edd. Lachm. et Bg.* '*e censu*' *ed. mea* 1. '*fisco*' *ed. Kr. Sed intellige res ipsas profitendas, quae fiscum vindicantem per fraudem celantur aliove modo ei auferuntur.* 4) ablatae .... subtractae *ed. mea prior* (*et Kr.*) *invito C. Si quae per fraudem professioni subtracta sunt, vectigal tantum vel tributum poenae nomine quadruplatur. De quinquennio cf. L.* 2. *C. de vectig.* (4, 61). *L. un. Th. C. de quinq. praescr.* (4, 15). *de quadrupli et dupli poena Plin. paneg.* 40. *Lactant. de mort. pers.* 23. *L.* 16. §. 10. *D. de public.* (39, 4). 5) defenditur *C. etiam C*^{Kr}. *Cf. not.* 1. 6) *Cf. L.* 45. §. 3. *D. de i. fisc.* (49, 14). *L.* 11. §. 1. *L.* 16. §. 3. *D. qui et a quib.* (40, 9). *L.* 10. *D. de manum.* (40, 1) *et in praefat. dicta.* 7) praestet *C. edd. etiam mea prior, sed Kr. ut nos.* 8) *Cf. L.* 20. *D. de accus.* (48, 2). *L.* 8. §§. 1. 2. *D. de manum.* (40, 1). *L.* 15 *pr. D. qui et a quib.* (40, 9). 9) *Ratione habita L.* 20. *cit. supplevi, litteram* p(*ublici*) *ob sequentem litteram* p *excidisse suspicatus.*

IULI VALERI
ALEXANDRI POLEMI
RES GESTAE ALEXANDRI MACEDONI
TRANSLATAE EX AESOPO GRAECO.

ACCEDUNT

COLLATIO ALEXANDRI CUM DINDIMO,
REGE BRAGMANORUM, PER LITTERAS FACTA

ET

EPISTOLA ALEXANDRI AD ARISTOTELEM,
MAGISTRUM SUUM, DE ITINERE SUO
ET DE SITU INDIAE.

RECENSUIT

BERNARDUS KUEBLER.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXXVIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

BRUNONI KEIL

FRIDERICO SCHLEE

REINHOLDO STEIG

COLLEGIS SODALIBUS AMICIS

AMORIS ERGO.

PRAEFATIO.

Quaerentibus nobis, quando Iulius Valerius Pseudo-Callisthenis seu potius Aesopi narrationem Graecam secutus Alexandri historiam sermone Latino narraverit, nullus antiquorum temporum testis est, qui respondeat. Neque enim ullius momenti est testimonium Pseudo-Sergii, a quo Iulii Valerii verba '*iubet omne facessere famulitium*' (p. 3, 18) commemorantur (Serg. Explanat. in Donat. II; K. G. L. IV p. 577), quoniam qua aetate ille Pseudo-Sergius vixerit, nescimus. Videamus igitur, numquid ex ipsius Iulii Valerii libro de aetate eius expromere possimus. Ac primum quidem versionem Iulii Valerii ante Theodosii tempora factam esse iam Angelus Maius, primus editor, ostendit. Nam cum constet Serapeum Alexandriae anno 391 iussu Theodosii dirutum esse, apud Iulium Valerium legimus '*templum etiam nunc Sarapium Parmenionis appellatur*' (I, 32) et '*obeliscos, qui adhuc Alexandriae perseverant in Sarapis templi circumsepto extrinsecus adsistentes, eius templi, quod aetas iunior laboravit*' (I, 30). Deinde cum Iohannes Chrysostomus, Theodosii aequalis, quaerat: *ποῦ γάρ, εἰπέ μοι, τὸ σῆμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν, καθ' ἣν ἐτελεύτησε* (Homil. in Corinth. II, 26), Iulius Valerius sua aetate etiamtunc Alexandri sepulchrum

exsistere[1]) et diem supremum eius celebrari[2]) confirmat. Denique quod Valerius de cultu anguium Alexandrino tradit: '*eiusque mos vivit et adhuc Alexandriae religiosus est sub penatium deorum honore et statis diebus suetus coli more eiusmodi*' etc. (I, 29), id ante saeculum quintum scriptum esse Moses Chorenensis docet, cum illam consuetudinem sua aetate evanuisse testatur[3]). Dixerit quis, ex eis, quae adhuc a nobis congesta sunt, nihil colligi posse, propterea quod omnia ea, quibus nos ad tempora Iulii Valerii definienda usi simus, ex archetypo Graeco sumpta sint. At Iulius Valerius non ita suam de Alexandro historiam confecit, ut verbotenus, quae Graece legeret, in sermonem Latinum verteret. Itaque si apud eum legimus '*eius mos vivit adhuc*' '*diem etiamnunc sacratissimum habent*' aliaque eiusmodi, de ipsis Iulii Valerii temporibus cogitare licet.

Constat igitur ante Theodosii tempora Iulium Valerium scripsisse. Sed arctioribus finibus tempora eius circumscripserunt cum Klugius[4]), tum maxime Iulius Zacher[5]). Hi enim docuerunt auctorem Itinerarii Alexandri, quem inter annos 341 et 345 librum suum Constanti Imperatori dedicasse constat, Iulii Valerii historia usum esse. Nec tamen ante annum

---

1) *Erigitur ergo aedes quam maximo opere ad instar templi, quod etiamnunc Alexandri nominatur* III, 57.

2) *Obitus autem eius diem etiam nunc Alexandriae sacratissimum habent* III, 60.

3) *Au vingt-cinq de Doupi on ne célèbre plus cette fête insensée, en couronnant des bêtes de charge, adorant des serpens, distribuant des gâteaux* etc. Histoire d'Arménie par Moïse de Khorène, Texte et traduction française par P. E. Le Vaillant de Florival, Vened. 1841. T. II, p. 171. cf. Lumbroso, L'Egitto al tempo dei Greci e Romani, Rom. 1882, p. 139.

4) De Itinerario Alexandri M., Vratislaviae 1861.

5) Pseudocallisthenes, Forschungen zur Kritik und Geschichte der ältesten Aufzeichnung der Alexandersage. Halle 1867. p. 48 sq.

270 Iulium Valerium scripsisse Landgrafius[1]) inde recte collegisse videtur, quod Darius moriens Alexandrum '*victoriosissimum*' (II, 33), se ipsum '*dominum et deum*' appellat. Quorum titulorum illum nulli imperatorum ante Aurelianum inditum esse, hunc in nummis quidem non ante Aureliani tempora inveniri, Schoener[2]) ostendit. Ita cum a viris doctis inter annos 270 et 340 Iulii Valerii historiam conceptam esse exploratum sit, ipse eam inter annos 270 et 330 scriptam esse ex capite 26 libri primi apparere ostendi[3]). Ibi enim ut Alexandriam magnitudine nulli oppido orbis terrarum cedere demonstretur, mensurae maximarum urbium enumerantur. Cum autem auctorem Latinum non fugisset sua aetate Romam ab Aureliano Imperatore valde amplificatam multo maiorem esse Alexandria, ad ea, quae in exemplari Graeco legerat, pauca addens ita scripsit: '*Roma quattuor stadiis et pedibus centum atque viginti longa primitus fuerit, nondum adiectis his partibus, quae multum congeminasse maiestatis eius magnificentiam visuntur.*' Haec verba quoniam ad muros urbis Romae ab Aureliano dilatatos spectare apparet, non ante Aureliani tempora scripta esse possunt. Quod autem Iulius Valerius inter urbes maximas Constantinopolim non commemoravit, inde iure effecisse mihi videor eum, antequam novum imperii Romani caput constitueretur, scripsisse. Haec si recte disputata sunt, inter annos 270 et 330 Iulii Valerii narratio orta est[4]).

Sequitur, ut quis fuerit Iulius Valerius, indagemus. Ac nomina quidem eius tradita sunt in codicibus Taurinensi et Ambrosiano. In codice enim Taurinensi

1) Zeitschr. f. östr. Gymn. 1882. p. 429.
2) Über die Titulaturen der römischen Kaiser, Act. Erlang. II, p. 449.
3) Rivista di Filologia 1888. p. 361 sq.
4) cf. etiam Mommsen. Abhandlungen d. sächs. Ges. d. Wissensch. III (1857) p. 276 sq.

legitur in fine libri primi: *Iuli Valeri Alexandri vci Polemi Alexandri Macedonis liber primus expl. etc.*, in codice Ambrosiano: *Iulii Valerii Alexandri Macedonis Translatae ex Aesopo Graeco Liber primus etc.* Libro secundo subscriptum est in codice Taurinensi: *Iuli Valeri Alexandri Polemi vc res gestae Alexandri Macedonis . . . latex Eropro Greco explct liber secundus etc.*, in codice Ambrosiano: *Iulii Valerii Alexandri res geste Alexandri Macedonis translate ex Hesopo Greco etc.* Non igitur dubium est, quin ei auctori, cuius opus edituri sumus, nomen fuerit *Iulius Valerius Alexander Polemius*, atque ipse clarissimatus dignitatem obtinuerit, quamvis aliter iudicet de hac re Paulus Meyer[1]), quem refellere supersedeo. Cum autem anno 338 Polemium et Ursum consules fuisse constet, fortasse Iustus Grion[2]) recte vidit, qui nostrum Iulium Valerium Alexandrum Polemium consulem illum anni 338 esse confirmavit. Ne id quidem a vero plane abhorret, quod Grion praeeunte Klugio exposuit, etiam Itinerarii auctorem Iulium Valerium fuisse. Sed hae opiniones utrum rectae an falsae sint, certo demonstrari nequit. Caveamus igitur, ne fumum vendamus. Quae vero praeterea Grion commentus est, Iulium Valerium Alexandrinum seditione Aegyptiaca a Diocletiano oppressa (anno 291) sub corona venditum in manus Constantii Chlori venisse, deinde cum Constantino, filio illius, bello, quod Galerius in Media et Armenia gessit (297), interfuisse, eodemque tempore historiam Alexandri scripsisse, postea Constantium, Constantini filium, Constantii patroni sui nepotem eum, cui Itinerarium Alexandri dedicatum est, educavisse atque ab eodem Caesare facto anno

1) Alexandre le Grand dans la littérature française du moyen âge. Paris 1886. Tom. II, p. 15.

2) I nobili fatti di Alessandro Magno. Bologna 1872. p. XXVI sq.

338 consulatum adeptum esse, haec omnia, quamquam belle excogitata sunt, tamen vix digna videntur, quai commemorentur. Nullo enim argumento nituntur, nis codicis Taurinensis subscriptione libri secundi a Grione falso ita lecta: Iulii Valerii Alexandri(ni) V(alerii) C(onstantii) L(iberti) Polemi Alexandri Macedonis etc.

Maioris momenti ea sunt, quae Landgrafius de Iulii Valerii usu dicendi disseruit, ut eum Africanum fuisse ostenderet. Quam opinionem etsi aliis viris doctis probavit et revera hoc in propatulo est, Iulium Valerium non ex Italia oriundum fuisse, tamen utrum in provinciis Africae an in Aegypto an in Asia natus sit, parum constat ac solo scriptoris sermone vix definiri potest.

Codices, quibus in edendo Iulii Valerii libro uterer, mihi innotuerunt hi:

1) **Codex rescriptus Taurinensis**[1]), quem antea in monasterii Bobiensis libris fuisse Amedeus Peyron recte videtur suspicatus esse. Constitit olim foliis, quae minora dicuntur, altis 0,266 m., latis fere 0,2 m. In his saeculi quinti vel sexti litteris uncialibus codex Theodosianus ita scriptus erat, ut singula folia undequadragenos versus continerent. Saeculo septimo hac scriptura abrasa ablutaque folia in margine sinistro amputata atque ita complicata sunt, ut paginae dimidio minores efficerentur, quam antea fuerant, scilicet altae 0,194 m., latae 0,133 m. Deinde quinis vel senis horum foliorum in singulos fasciculos coniunctis novus liber compositus est in eoque litteris, quas cursivas Romanas dicunt, Iulii Valerii res gestae Alexandri ita scriptae sunt, ut lineae scripturae posterioris transverse currerent supra lineas scripturae prioris.

1) Egerunt de hoc codice Zacher in Pseudocallisthene pp. 35—41, P. Meyer (Alexandre le Grand dans la littérature française au moyen âge, II, pp. 14 sq.), ipse in Rivist. d. filol. 1888, pp. 368—399.

Ineunte saeculo nostro Amedeus Peyron, bibliothecae Taurinensis praeses, quid et vetus et nova scriptura contineret, cognovit. Qui cum de scriptura priore, quae codicis Theodosiani fragmenta continebat, rectissime iudicaret, de Iulio Valerio Angelum Maium consuluit, qui paulo ante (anno 1817) eundem scriptorem ex codice Ambrosiano ediderat. Hic cum anno 1817 aliquot dies Augustae Taurinorum versaretur, ipse codicem illum rescriptum inspexit[1]). Neque vero magni pretii eum esse putavit, cum eum saeculo duodecimo, post codicem Ambrosianum, quo ipse usus erat, scriptum esse lectionesque saepe Ambrosianis deteriores, interdum tantum meliores exhibere[2]) arbitraretur. Hoc tamen cognovit, initium libri primi (c. 1—10) et magnam partem libri alterius (c. 24—30), quae in codice Ambrosiano amissis quaternionibus primo et quinto desunt, in codice Taurinensi servata esse[3]). Sed ne id quidem videtur eum ad maiorem codicis reverentiam adduxisse, siquidem credere licet Peyroni, qui in praefatione Codicis Theodosiani fragmentorum, quae Augustae Taurinorum 1823 prodierunt, haec testatus est: 'Specimen varietatum lectionis communicaveram Cl. Mai exeunte eodem anno, sed vix ei dignum visum est, quod suam attentionem paulisper moraretur[4]).'

---

1) Philo et Virgilii Interpretes, edente Angel. Maio. Mediol. 1818. p. XXXVIII: 'Iam vero per autumni praeteriti ferias quum Augustam Taurinorum accessissem, ibi vir eximius, amicus meus, Amedeus Peyronus ostendebat mihi codicem membraneum saeculo circiter XII scriptum etc.'

2) l. s. s.

3) 'Is codex magnam quidem sui partem amisit, ea tamen, quae superest, illi omnino loci sarciuntur, qui ex Ambrosiano codice exciderunt.' l. s. s.

4) Exstat adhuc in bibliotheca Vaticana inter schedas ab Angelo Maio relictas illud 'specimen varietatum' una cum epistola, quam Peyron eis, quae ad Maium misit, addidit. Haec omnia Augustus Mau, qua est liberalitate, in meum usum accuratissime descripsit gratiasque ei ago quam maximas. Operae

Quoniam autem ipse Iulii Valerii editor illum codicem vetustissimum adeo contempsit, quis accusaverit Peyronem, quod illius iudicio seductus scripturam superiorem chemicis medicamentis perdere non dubitavit,

---

pretium mihi videtur epistolam illam hic in publicum proferre. Legitur in Cod. Vat. 9560, fol. 115.

a. S. Legga tosto l' ultimo articolo della lettera.

Pregmo Sigr. Dottore, ed amico mio

Dopo averle scritta la lettera rimessale dall' ab. Reinaud, ricevetti le due sue portatemi dal M. D' Azeglio. Le sono riconoscente del Filone, che già aveva letto e preso per la Bibliot. Bertone. L' assicuro che niun dubbio mi venue della versione, e sul testo, tranne pochi errori d' enclitiche; e qui dica pure quel Peyron è un gran Rabbino.

In grazia di Lei ho furate tutte queste carte contenenti quanto già si era da me o da altri trascritto del Valerio; pensava anche di rubare il codice e spedirlo a Lei, ma la cosa era grave dopoche la Riforma autorevolmente me lo aveva negata. — Abbia dunque queste carte. Quanto stavvi scritto in nero è la prima copia; l' interlineare rosso è recensione seconda epperò più autorevole. Rilessi il titolo, e vi raccapezzai queste parole

.... ta Alexand
Polemistinae Alexandrin
mus diā e. de Esopo

Ben volontieri lo farei copiare, seppure io conoscessi lettore abile; ma la scrittura è così perfidissima, ch' io ci spesi molte ore per leggerne poche pagine, e poi i miei occhi stanchi non mi servirono più per parecchi giorni. Siccome gran parte di qe trascrizioni sono opera di Costa, e del B. Vernazza, la prego, ove se ne voglia servire, a non citare nè me, nè Costa, nè Vernazza; non volendo io farmi bello delle cose altrui, nè volendo comparire per quello che communichi agli altri i lavori altrui [i quali però sono possessione della Biblioteca].

Il conte Sclopis il quale desidera pure veder l' Ambrosiana, giovane tinto di lettere greche, le porta qa lettera; egli dopo 10 giorni tornerassi a Torino. Se può favorirmi, in questo frattempo faccia i suoi confronti, affinchè il ladro delle Bibl. non sia scoperto.

Sono con ogni amicizia ecc.

Suo Affmo Amico

Peyron.

quo facilius scripturam inferiorem legere posset[1])? Utinam antequam folia suco pernicioso pessum daret, Iulii Valerii librum diligenter transscribendum atque exemplar transscriptum in bibliotheca Taurinensi deponendum curasset! Sed quid eum, qui libris conservandis a rege praepositus esset, facere deceret, adeo non intellexit aut meminit, ut ipse codicem summi pretii maximam partem deleret ac satis haberet paucorum capitum exemplar transscriptum, pauciorum collationem Maio mittere. Qui quam neglegenter incurioseque eis, quae a Peyrone acceperat, usus sit, infra exponetur.

Crimini igitur dandum est cum Peyroni, tum Angelo Maio, ei ipsi, qui primus Iulium Valerium edidit, quod longe optimus huius scriptoris codex graviter corruptus est. Nam quae etiamnunc in eo exstant, ea difficillima sunt lectu. Ipse ineunte hoc anno librum Taurinensem adii et, quoad quidem legi possit, excutere studui. Atque exstant adhuc folia integra 35, folia dimidiata 7, omnia sucis acidis tincta. Videtur autem Peyron ad scripturam inferiorem revocandam diversis medicamentis usus esse. Nam foliorum aliis color est viridis, aliis caeruleus; multa folia, cum nisi qua fragmentorum codicis Theodosiani scriptura exstaret, uncta non sint, in margine colorem flavum membranae retinuerunt, aliorum tota facies suco chemico superfusa est. Sunt quaedam folia, in quibus omnia scripturae posterioris verba legi possint, plura, quorum scriptura tantum in marginibus cognoscatur, nonnulla, in quibus verborum Iulii Valerii nec vola nec vestigium restitit. Folia nunc compagibus quaternionum solutis explicata atque in veterem formam eam

1) Prodiit Peyronis editio fragmentorum Codicis Theodosiani Augustae Taurin. anno 1823. Postea eadem fragmenta accuratius edita sunt a Kruegero in Actis Academiae Berolinensis anni 1879.

redacta sunt, quam habebant, cum nihil nisi codicem Theodosianum continerent. Imaginem folii invenies in Wattenbachii et Zangemeisteri Exemplorum codd. latt. tabula 25. Folia numeris, quos Romanos dicimus, a bibliothecario quodam insignita sunt praeter ultimum, cui ipse hic in usum meum numerum XLII addo. Iam cum secundum ea, quae supra a nobis exposita sunt, singula folia quaternas Iulii Valerii paginas contineant, ego paginam dextram partis rectae uniuscuiusque folii nomino a, paginam sinistram partis versae b, paginam dextram partis eiusdem c, paginam sinistram partis rectae d:

pars recta	
d	a

pars versa	
b	c

Continent autem singula folia haec:

I.	a.	p.	16,21	illo nomine	—	17,13	tempus hortabitur
	b.		17,13	Probat Aristoteles	—	18,6	Ergo tu missa
	c.		27,7	quae sint	—	27,27	festinat
	d.		27,28	raptu	—	28,20	libens oppetam
II.	a.	p.	21,12	habebat tamen	—	22,7	clementer
	b.		22,7	sputamenta	—	22,25	fugerat
	c.		22,25	Nam et causa	—	23,18	Macedoniam
	d.		23,18	Sed offendit	—	24,11	effervescente
III.	a.	p.	55,13	potuit ostentare	—	56,8	convenire
	b.		56,8	in quantum	—	57,1	opiparum.
	c.		46,26	Transgrediar	—	47,13	ad magnitudinem
	d.		47,13	confrequentat	—	48,2	tanta quippe
IV.	a.	p.	54,5	videbatur	—	54,22	Darius
	b.		54,22	tamen ratus	—	55,13	Alexander
	c.		48,2	mihi multitudo	—	48,21	visa est
	d.		48,21	competentior	—	49,9	viresque
V.	a.	p.	14,1	eiusmodi	—	14,19	aveo quid

V.	b.	p. 14,19 et vultu	—	15,9	videre
	c.	30,2 boni coeptus	—	30,21	congregato
	d.	30,22 sexcenti	—	31,13	pondo centum
VI.	a.	p. 59,20 ulterius	—	60,8	servarentur
	b.	60,8 rex motus	—	60,26	quem non
VII.	a.	p. 62,6 his ait	—	62,24	subit
	b.	62,25 aptare	—	63,21	ignotis
	c.	68,19 scripseris	—	69,4	Athenienses
	d.	69,4 viri	—	69,17	educationibus
VIII.	a. b.	*nihil cognovi; continebant finem capitis primi et initium capitis alterius libri I.*			
	c.	p. 11,8 et vim	—	11,28	ventorumque
	d.	11,28 conflictus	—	12,18	nigra quasi
IX.	a.	p. 76,17 arbitror	—	77,6	qua diceret
	b.	77,7 idcirco	—	77,25	auro
	c.	77,25 indiget	—	78,16	iampridem
	d.	78,16 scripseram	—	79,5	subfragiis
X.	a.	p. 5,5 quoque iugalibus	—	5,29	adventantem
	b.	5,29 eum	—	6,26	cubiculi
	c.	6,26 mago	—	7,20	superveniens
	d.	7,20 excitare	—	8,16	trepidatior erat
XI.	a.	p. 2,9 longe celebratior	—	3,9	variatum
	b.	3,9 pretium	—	3,29	ad te
	c.	9,26 admiratione	—	10,17	visio
	d.	10,18 non parvum	—	11,8	mulier
XII.	a.	p. 73,29 tutioris	—	74,17	imbelles
	b.	74,18 ut ait	—	75,8	indignatio illa
	c.	80,15 Demosthenem	—	81,5	terra vel
	d.	81,5 mari	—	81,23	Alexandro fuit
XIII.	a.	p. 3,29 fama	—	4,17	venerabor
	b.	4,18 Progressus	—	5,5	ut ego
	c.	8,17 solatiis	—	9,6	reversionem
	d.	9,6 scilicet	—	9,26	metu unaque
XIV.	a.	p. 102,3 veni Darius	—	102,24	pars
	b.	102,24 ex medio	—	?	
	c. d.	*legere non potui.*			

XV.	a. p.	81,23	flammis	—	82,13	frustrata
	b.	82,13	foret	—	82,30	quidem
XVI.	XVII.	*legere non potui.*				
XVIII.	a. p.	15,9	quae cupiverat	—	15,29	Alexander
	b.	15,29	comperto	—	16,21	diximus
	c.	28,20	Atque ideo	—	29,11	it eadem
	d.	29,12	illa	—	30,2	sic eorum
XIX.	a. p.	43,4	fixa est	—	43,21	super
	b.	43,21	civitatis	—	44,12	subiugatorem
	c.	31,13	insignita	—	32,2	Aegypti
	d.	32,2	celebratur	—	32,19	urbis quam
XX.	a. p.	19,21	rursus	—	20,16	laboris
	b.	20,16	aut artis	—	21,12	fortuna
	c.	24,11	iam irae	—	25,5	evenerat.
	d.	25,5	Huc adde	—	25,25	iam enim
XXI.	a. p.	18,6	susceperis	—	18,27	censeant
	b.	18,27	frugalitate	—	19,21	inter haec
	c.	25,25	te paterno	—	26,17	cum illo
	d.	26,17	reditu	—	27,7	quoque
XXII.	a. p.	52,24	ita scribit	—	53,13	venias
	b.	53,13	ne contra	—	54,5	proelium
	c.	49,9	coepere	—	49,26	verbis
	d.	49,26	honoratioribus	—	50,14	spondeo
XXIII.	a. p.	35,7	dicitur	—	36,1	operum
	b.	36,1	imposita	—	36,20	diceretur
	c.	38,32	et coronatis	—	39,18	tranquillissimo
	d.	39,18	aëris	—	40,10	obeliscos, quod
XXIV.	a. p.	82,30	Darius	—	83,21	tibi
	b.	83,21	de Alexandro	—	84,9	plus pru-
XXV.	a. p.	75,8	vobis	—	75,26	Xerxem
	b.	75,27	maria	—	76,17	porro non
	c.	79,5	potiti	—	79,24	Euclidem
	d.	79,24	praedicatum	—	80,15	praecipue
XXVI.	a. p.	33,30	ad aequoris	—	34,18	potuissent
	b.	34,19	Ex quo	—	35,7	Melanthium
	c.	40,10	ad veru	—	41,1	quoque sint
	d.	41,1	meae areae	—	41,18	commoda est

XXVII.	a.	p. 57,1	et simulacrum	—	57,19	participat
	b.	57,19	Praecipue	—	58,14	adnector
	c.	45,18	protinus	—	46,7	fortuna
	d.	46,7	tunc lapsum	—	46,26	iactatio
XXVIII. XXIX.	*legere non potui.*					
XXX.	a.	p. 51,22	et crepitaculis	—	52,6	fortassis
	b.	52,7	melius	—	52,24	praedicans
	c.	50,14	quam	—	51,6	dubie
	d.	51,6	mihi	—	51,22	talis
XXXI.	a.	p. 45,3	aditus	—	45,18	exigit
	b.	44,13	Statim	—	45,3	munitio
XXXII.	a.	p. 63,22	Maiestate	—	64,10	sibi
	b.	64,10	redintegrare	—	64,28	exegisset
	c.	67,17	deduci	—	68,2	inierant
	d.	68,2	hunc	—	68,19	talenta
XXXIII.	a.	p. 66,6	cuius	—	67,1	coeperat
	b.	67,1	Verum	—	67,17	sacerdotio
	c.	64,28	iubet	—	65,12	praeconem
	d.	65,12	iubet	—	66,6	deae
XXXIV.	a.	p. 36,20	coluisse	—	37,6	enim
	b.	37,6	in illo	—	37,29	multa sint
	c.	37,29	Alexandriae	—	38,16	partes
	d.	38,16	usurpaverit	—	38,32	iaciunt
XXXV.	a.	p. 12,18	pupilla	—	13,10	seriem
	b.	13,11	generis	—	14,1	Laomedonti
	c. d.	*paene lacera sunt nec legi possunt; continebant caput primum libri I.*				
XXXVI.	*legere non potui.*					
XXXVII.	a.	p. 60,26	pro se	—	61,15	favore
XXXVII.	b.	p. 61,16	numinum	—	62,6	gerendum
XXXVIII. XXXIX.	*legere non potui.*					
XL.	a.	p. 100,14	iniecto	—	101,9	voce
	b.	101,9	et eiulatu	—	102,3	extimam
	c.	108,13	neque tamen	—	109,5	servaretur
	d.	109,5	quem	—	109,26	suum
XLI.	a.	p. 32,19	maximae	—	33,12	arcus
	b.	33,12	intentio	—	33,30	postea sint

	c.		41,18 mortalibus	—	42,13 sereno	
	d.		42,13 vel corusco	—	43,4 prima	
XLII.	a.	p.	99,4 matris	—	99,24 liberalitatibus	
	b.		99,24 iactitare	—	100,14 videbatur	
	c.		109,26 maluerit	—	110.. MACEDONIS (*subscriptionis*)	
	d.		110.. LATEX	—	111,15 inconsul-	

Folia igitur sic olim inter se secuta sunt:

p. 1—2,9	Ergo iam	Fol. XXXV. c. d. VIII. a. b.	Quat. I.
2,9	longe — 3,29 ad te	XI. a. b.	
3,29	fama — 5,5 ut ego	XIII. a. b.	
5,5	quoque — 8,16 erat	X. a. b. c. d.	
8,17	solatiis — 9,26 unaque	XIII. c. d.	
9,26	admiratione — 11,8 mulier	XI. c. d.	
11,8	et vim — 12,18 quasi	VIII. c. d.	
12,18	pupilla — 14,1 Laomedonti	XXXV. a. b.	
p. 14,1	eiusmodi — 15,9 videre	Fol. V. a. b.	Quat. II.
15,9	quae — 16,21 diximus	XVIII. a. b.	
16,21	illo — 18,6 missa	I. a. b.	
18,6	susceperis — 19,21 haec	XXI. a. b.	
19,21	rursus — 21,12 fortuna	XX. a. b.	
21,12	habebat — 24,11 effervescente	II. a. b. c. d.	
24,12	iam — 25,25 enim	XX. c. d.	
25,25	te — 27,7 quoque	XXI. c. d.	
27,7	quae — 28,20 oppetam	I. c. d.	
28,20	Atque — 30,2 eorum	XVIII. c. d.	
30,2	boni — 31,13 centum	V. c. d.	
p. 31,13	insignita — 32,19 quam	Fol. XIX. c. d.	Quat. III.
32,19	maximae — 33,30 sint	XLI. a. b.	
33,30	ad — 35,7 Melanthium	XXVI. a. b.	
35,7	dicitur — 36,20 diceretur	XXIII. a. b.	
36,20	coluisse — 38,32 iaciunt	XXXIV. a. b. c. d.	
38,32	et — 40,10 quod	XXIII. c. d.	
40,10	ad — 41,18 est	XXVI. c. d.	
41,18	mortalibus — 43,4 prima	XLI. c. d.	
43,4	fixa — 44,12 subiugatorem	XIX. a. b.	

p. 44,13 Statim — 45,18 exigit	Fol. XXXI. b. a.	Quat. IV.
45,18 protinus — 46,26 iactatio	XXVII. c. d.	
46,26 Transgrediar — 48,2 quippe	III. c. d.	
48,2 mihi — 49,9 viresque	IV. c. d.	
49,9 coepere — 50,14 spondeo	XXII. c. d.	
50,14 quam — 52,24 praedicans	XXX. c. d. a. b.	
52,24 ita — 54,5 proelium	XXII. a. b.	
54,5 videbatur — 55,13 Alexander	IV. a. b.	
55,13 potuit — 57,1 opiparum	III. a. b.	
57,1 et — 58,14 adnector	XXVII. a. b.	
58,15 Quaesoque — 59,20 neque	?	
p. 59,20 ulterius — 60,26 non	Fol. VI. a. b.	Quat. V.
60,26 pro — 62,6 gerendum	XXXVII. a. b.	
62,6 his — 63,21 ignotis	VII. a. b.	
63,22 Maiestate — 64,28 exegisset	XXXII. a. b.	
64,28 iubet — 67,17 sacerdotio	XXXIII. c. d. a. b.	
67,17 deduci — 68,19 talenta	XXXII. c. d.	
68,19 scripseris — 69,17 educationibus	VII. c. d.	
69,17 laborarit — ?	?	
p. ? — 73,29 consilia	Fol. ?	Quat. VI.
73,29 tutioris — 75,8 illa	XII. a. b.	
75,8 vobis — 76,17 non	XXV. a. b.	
76,17 arbitror — 79,5 subfragiis	IX. a. b. c. d.	
79,5 potiti — 80,15 praecipue	XXV. c. d.	
80,15 Demosthenem — 81,23 fuit	XII. c. d.	
81,23 flammis — 82,30 quidem	XV. a. b.	
82,30 Darius — 84,9 plus pru-	XXIV. a. b.	

p. 84,9 -dentia — 99,4 mecum = *Quat. VII. totus deperditus.*

p. 99,4 matris — 100,14 videbatur	Fol. XLII. a. b.	Quat. VIII.
100,14 iniecto — 102,3 extimam	XL. a. b.	
102,3 veni — 103 ?	XIV. a. b.	
103 ? — 108,12 procuraretur	?	
108,13 Neque — 109,26 suum	XL. c. d.	
109,26 maluerit — 111,15 inconsul-	XLII. c. d.	

In folio V^{d}. *legitur etiamnunc signum quaternionis secundi, in folio XIX*^{b}. *signum quaternionis tertii.*

Ut accurate a viris doctis cognosci posset, quid etiamnunc exstet in codice Taurinensi, necesse fuit verbotenus ea, quae ipse legi, sub textu typis exprimere. Quod cum per rationes, quas in hac editione sequi iussus sum, facere mihi non liceret, utile mihi visum est hic quidem duas codicis paginas ita, ut a me lectae sunt, typis mandare. Huic rei maxime idoneas esse paginas XLI c. et d. arbitratus sum. Nam carmen, quod ibi legitur, ab Angelo Maio et Carolo Muellero, quippe qui solo codice Ambrosiano uterentur, ita editum est, ut abundaret vitiis gravissimis. Quorum pars maxima codicis Taurinensis ope tolli potuit, nisi folium sucis Peyroni horribilem in modum pessum datum esset. Legi igitur haec:

fol. XLI[c]. mortalibus de f escium quibꝫ
que tis fa a clau s quippe
? ? ?
homulli non videt varia q d haec reformet
perpes eviternitas. Nam si facessat casuū
scientia laeta est omnis ignoratio
Quare id potatu t commodissimum
Si ergo his quaequae s instruere ut praes
cias tu mam lebatus nostra praepotentia
quaecunque gens sit obvia sternes manu
tuncque haec revises animo liber artubus
urbs vero quam nunc regis mundi dedecus
nitore surgit cunctis exoptabilis saeclis
viris temporum recursibus. Unaquae
semper luta bea tudine quens deo
rum te is atque que vin
cens c um conc dia vitae
letum capit
cuna quip
pe ipse coeptis praesul civicis inter
minatis saeculoꝝ cursibs fundata (macula in membrana) quod
sit tellus hisce legibus rides se reno

fol. XLI[d].

vel choru	tri solum son
tibus iam libera	tur blandius spi
rantibus ne	um seu vis ulla de
monum exim	roso numine est
namque	tantibus tellu
ris huius	cere famemque
nosse	etu tractus
lunar	enim facessen
	?
tista chis omnium	porroges multi
genarum gentium hono	divum summo cul
tu exambient astris re	tum caelitu
quae congregem quorum	quente cultu
sis beatior tuos´que pr	tes Numine
augustissimo haec qu	sedes corpo
ris est caelum tuo nu	quis simen
te bibula percipe nom	nostrum his
ce numeris collige	a primum bis c
tenate littera unum	num

Et centum dehinc unumque tunc
quater viginti sint decemque iuxtim
(macula in membrana) ea quae sit novissima quae prima.

Vel ex hoc specimine cognoscere licet librum neglegenter scriptum multisque mendis verba scriptoris a librario foedata esse. Modo singulae litterae, modo tota verba omissa sunt aliisque erroribus textus depravatus est. Sed ubicunque in codice Taurinensi vitia reperiuntur, ea semper neglegentia librarii orta sunt, numquam studio eius, qui cum in archetypo falsam lectionem cognovisse sibi visus esset, eam suo ingenio fretus emendare conaretur. Frustra igitur in hoc codice interpolationes quaesiveris. Neque raro menda correcta sunt; quod utrum ab ipso librario an ab alio quodam — paulo postquam liber exaratus est — factum sit, indagare non potui. Hoc constat, quisquis fuit ille corrector, eum non suo Marte, sed ex-

emplari vetere adscito librum emendasse. Restitit tamen haud parvus numerus vitiorum.

Quod ad orthographiam pertinet, codex abundat vitiis eis, quibus libri temporibus illis scripti non carere solent. Commutatae sunt inter se litterae *v* et *b*, *u* et *o*, *e* et *i*, *c* et *g*; aspiratio modo falso addita, modo neglecta est. Haec aliaque eiusmodi librario tribuenda sunt. Sed quod in verbis compositis plerumque formae non assimilatae leguntur, in eo mihi videor ipsius auctoris usum scribendi deprehendisse atque ob hanc causam in editione mea, quaecunque verba in codice Taurinensi forma non assimilata scripta inveni, eorum omnium hanc formam restitui eis quoque locis, quibus codicis Taurinensis testimonio destituebar, praesertim cum etiam in ceteris codicibus saepissime dissolutae illae formae legantur. Itaque scripsi: *adcola*, *adclamatio*, *adfectus*, *adficere*, *adfigere*, *adflictus*, *adfluere*, *adfuerit*, *adgredi*, *adloqui*, *adloquium*, *adnuere*, *adpetere*, *adprehendere*, *adpellere* (sed *appellare*), *adrogantia*, *adsolere*, *adserere*, *adtemptare*, *adtrectare*, *conlocare*, *conloquium*, *inritatus*, *inruere*, *inrumpere*, *obfirmatus*, *subfragari*, *subfragium*, *subficere*, *subfigere*, *subpetiari*. In ea re tamen a codice Taurinensi discessi, quod litteram *n*, cum ante litteras *b*, *m*, *p* legebatur, semper in *m* mutavi.

Cum fragmenta tantum codicis a me legi possent, recurrendum erat ad ea, quae ab Angelo Maio ex schedis a Peyrone ei transmissis publici iuris facta sunt. Ac primum quidem Maius in editione altera ab ipso curata (Rom. 1835, Auct. Class. Tom. VII) ad capita libri primi 10—22 et ad capita libri secundi 34—36 lectiones quasdam ex codice Taurinensi adnotavit, multo plures in textum recepit nullo addito verbo. Quarum quae ad librum primum pertinent, eas sumpsisse videtur ex iis, quae Peyron ex codice Taurinensi et ab ipso et ab aliis transscripta Maio miserat. Haec nunc deperiisse videntur. Lectiones

in librum secundum receptas Maius sumpsit ex collatione quorundam capitum a Peyrone ipso facta, quae etiamnunc in schedis a Maio relictis (Cod. Vat. Lat. 9560, fol. 115) exstat. Inde Augustus Mau, vir doctissimus, precibus meis motus eam benignissime accuratissimeque in usum meum transscripsit. Pertinent lectiones huius collationis ad capita 30—37 libri secundi (p. 102, 8—108, 10). Plura edidit Maius postea in Spicilegii Romani Tomo VIII (Rom. 1842). Ibi enim integra capita fere sex (I, 7—10 = p. 12, 29—20, 24; II, 28—29 = p. 96, 14—99, 4), sive ab ipso Peyrone sive a Costa et Vernazza ex codice Taurinensi transscripta, publici iuris fecit. Horum capitum nonnullos locos ut cum ipso codice compararem, mihi contigit. Inde cognovi eos, qui illa transscripserant, non semper satis accurate legisse. Velut. p. 14, 11 Maius exhibet: *oblectabit is lanium*, ego legi in codice: *obiectabitur laniae;* 14, 15 Maius: *fit*, ipse: *fiet;* 15, 28 Maius: *et his dictis anima*, ipse: *et in his dictis animam;* 17, 13 Maius: *probata vis tutela*, ipse: *probat aristoteles.* 20, 15 Maius omittit *sibi Pisas*, quae leguntur in codice. Itaque cum caute iis, quae a Maio ex codice Taurinensi edita sunt, utendum sit, lectiones, quas illi debeo, in notis meis significavi sigla *T*; eis, quae ipse oculis meis in codice rescripto cognovi, audacius siglam **T** adscripsi.

2) **Codex Ambrosianus** P. 49. sup. (*A*) membranaceus, formae quadratae, saeculo decimo vel nono scriptus, a me collatus anno 1885 atque in notis editionis sigla *A* significatus. Huius codicis descriptionem optimam invenies in Volkmanni editione Itinerarii Alexandri (Naumburg 1871, p. I sq.), unde pauca in usum meum convertere liceat. 'Codex Avenione Mediolanum delatus, id quod testatur codicis inscriptio manu Olgiati, primi Ambrosianae bibliothecae antistitis, anno MDCV in fronte libri exarata („Avenione vehendum curavimus"), continet Iulii Valerii libros de rebus gestis Alexandri et Itinerarium

Alexandri, illos in fronte mutilos, hoc in fine. Olim complectebatur plus undecim quaterniones, quorum qui reliqui sunt novem — nam perierunt primus et quintus et quae undecimum excipiebant folia admodum pauca — iustum octonorum foliorum numerum complent, imo margine suo quisque numero signati, nisi quod quartus non octo est sed novem foliorum, de industria a librario in eam compagem auctus, ut Iulii Valerii liber primus ipso quaternionis limite terminaretur, et decimus septem tantummodo foliis constat, octavo folio ab ipso scriba resecto. Atque incipit Iulius Valerius a primi libri verbis *ad votum proclivitas fiat. Neque enim improbo* et q. s. (p. 20, 24) et continuatur ad usque codicis paginam CVIII, ut quaterniones complectatur II—IIII, VI—VIIII, fol. 5 med., ubi finem faciunt verba *alexandriae sacratissimum habent.* EXPLICIT OBITVS ALEXANDRI · INCIPIT ITINERARIVM EIVSDEM. Sequitur igitur Itinerarium etc.' Addendum est partem alteram codicis, qui continet Quat. VI—XI ab alio librario ac multo neglegentius scriptam esse, quam partem priorem. Codex partim ab ipso librario inter scribendum, partim a correctore quodam eodem saeculo plurimis locis emendatus est. Neque videtur corrector exemplari ad menda tollenda usus esse; nam fere semper ea, quae per errorem aut incuriam librarii vitiose scripta erant, ita mutavit, ut longe de scriptoris verbis discederet.

3) **Codex Parisinus** Lat. Nr. 4880 (*P*), antea bibliothecae Colbertinae, membranaceus, fol., saeculo XIII duabus columnis linearum 55—57 exaratus, a me aestate anni 1887 collatus. Continet fol. 1—48^{v} Orosium; in folio 48^{b} incipit Iordanis historia. Quaterniones VII et VIII continentes fol. 49—64, qui nescio quo casu a libro separati sunt, Letronnius repperit in codice Parisin. Lat. 5873, ubi etiamnunc exstant. Desunt tamen quaternionis octavi folia tria, scilicet folia 61, 62, 63, quae continebant Iordanis finem et

Iulii Valerii initium. In folio 64 igitur incipit Iulius Valerius a verbis *in id, quod cupiverant commeatus* (p. 6, 27 nostrae editionis); finitur folium 64 verbis *Nam et nox* (p. 16, 2). Sequitur folium 65 codicis 4880, in quo Iulii Valerii historia legitur usque ad fol. 80^{r}; deinde sequitur Alexandri epistola ad Aristotelem de itinere suo et alia. Desunt igitur vel assumpto ex codice 5873 folio 64 capita I—VII libri primi Iulii Valerii, quae quod quidem sciamus non servantur nisi in codice Taurinensi.

Codex Parisinus, quamquam Ambrosiano aetate inferior est, tamen indole eum aequat. Nam etsi magnas partes, velut totam descriptionem oppidi Alexandriae vel fere dimidiam partem epistolae ab Alexandro ad Aristotelem scriptae multaque alia omittit aliena autem, velut capita quaedam Iosephi et Orosii interponit, tamen haud raro genuinam lectionem servavit. Nimirum ne ipse quidem corruptelis caret. Sed quoniam eis locis, quibus lectio codicis Taurinensis servata est, saepissime cum Taurinensi contra auctoritatem codicis Ambrosiani congruit, eum ex fonte puro derivatum esse patet. Unde efficitur, ut etiam eis locis, quibus codicis Taurinensis testimonium desideratur, cum Ambrosianus et Parisinus inter se certent, diligenter ponderandum sit, utri palma detur. Necessarium igitur mihi visum est, in apparatu critico omnes horum trium codicum, Taurinensis, Ambrosiani, Parisini, lectiones adnotare.

His adiunxi, ne quid neglexisse arguerer, initio libri tertii lectiones

4) Foliorum duorum **codicis Basileensis** (*B*) saec. XI scripti, nunc deperditi. Haec a Wackernagelio reperta atque in Diarii philologiae Germanicae tomo primo (1869, p. 119—122) descripta sunt. Continent finem capitis ultimi libri II et capita 1—3, 11—14 libri III.

5) Saepe ad constituendum textum Iulii Valerii

usui mihi erat **Epitoma** a Iulio Zachero accurate edita Halis 1867. Pleniorem Epitomae formam exhibet **Codex Oxoniensis** Corp. Christ. Coll. Nr. 82 saec. XII fol., quo Zacher usus non est. Ipse quoque ea tantum, quae Volkmannus in 'Adnotationibus criticis in Iulium Valerium' (Portae 1882) et Meyer in libro supra citato (Alexandre le Grand dans la littérature du moyen âge) inde protulerunt, in usum meum convertere potui. Unde cum cognoverim codicem Oxoniensem ad librum Iulii Valerii emendandum multum conferre, valde doleo, quod mihi ipsum codicem adire non licuit.

Editiones Iulii Valerii adhuc prodierunt tres. Ac primum quidem eum Angelus Maius Mediolani anno 1817 edidit, uno codice Ambrosiano usus. Haec editio iterata est Francofurti ad Moenum anno 1818 et Venetiis 1852, nisi forte is, qui hanc iterationem curavit, usus est altera Mai editione. Haec prodiit Romae 1835 atque in ea lacunae, quae initio libri primi et in medio libro secundo hiabant, ex Epitomae codicibus nonnullis Vaticanis expletae multique loci ope schedarum Taurinensium, quas Maius olim a Peyrone acceperat, emendati sunt. Tertiam editionem Iulii Valerii curavit C. Mueller sub textu Pseudo-Callisthenis vel potius Aesopi, quem addidit Arriano a Duebnero edito Parisiis apud Firminum Didot anno 1847. Qui cum uteretur codice Parisino, lacunam secundi libri totam, lacunae primi libri magnam partem explevit; quae etiamtum initio libri primi desiderabantur, ipse quoque ex Epitoma supplevit.

Emendando Iulio Valerio operam dederunt *Geyer* in Zimmermanni Diario Antiquitatis 1838, p. 419 sq., *Berger de Xivrey*, qui (in Notices et Extraits des Manuscr. de la Bibl. roy. Tom. XIII) capita aliquot libri primi ex codice Parisino edidit, *Haasius* in Miscellaneorum philologicorum libro secundo Vratislav. 1858, *Klugius* in dissertatione de Itinerario Alexan-

dri M. scripta Vratislav. 1861, *Baehrens* in Fleckeis. Annalibus 1872, p. 636, *Eberhard* in libro ab amicis Crecelio dedicato Elberf. 1881, *Volkmannus* in adnotationibus in Iulium Valerium criticis Portae 1882, *Landgrafius* in docta dissertatione Diario Gymnasiorum Austriacorum inserta 1882, p. 433 sq., *Boysenus* in Philologo 1883, p. 308, *Rönsch* in Diar. Gymn. Austriac. 1883, p. 896 sq., ipse in Hermae Berolinensis tomo XXII (1887). Multas emendationes in usum meum contulerunt *Bruno Keil* et *Fridericus Schlee*, qui amicissimi in plagulis quoque corrigendis strenuam operam mihi praestiterunt.

Addidi Iulio Valerio **Collationem Alexandri cum Dindimo, rege Bragmanorum, per litteras factam** et **Epistolam Alexandri ad Aristotelem, magistrum suum, de itinere suo et de situ Indiae,** quo facilior aditus philologis pateret ad haec scripta, quorum editiones rarae sunt. Ea, sicut Iulium Valerium, ipsa quoque ex fonte Graeco translata esse, propterea conieci, quod in codice Bambergensi E. III. 14 altera eorum forma Latina, saeculo X in Campania orta conservatur, quae quod ad res spectat, illis persimilis, verbis valde ab eis discrepans, nullo modo ab eis pendere potest. De hac re copiosius egi in Vollmoelleri Studiis Romanis (1888, p. 203 sq.), ubi epistolas e codice Bambergensi edidi.

Atque ad Collationem Alexandri cum Dindimo recensendam instrumenta mihi praesto fuerunt haec:

L. = Codex Leidensis. Ms. lat. Vossii Q. 20. membr. saec. IX., neglegenter scriptus.

P. = Codex Parisinus Lat. 17569. membr. 4°. saec. XII. duabus columnis scriptus.

V. = Codex Vindobonensis 150, olim Univers. 863 apud Endlicherum Nr. CXCVI; membr. saec. XIII, si fidem Endlichero habere licet; is codex, qui solam primam Dindimi responsionem continet, quamquam e bono archetypo descriptus est, tamen textum multis librarii interpolationibus foedatum exhibet.

B. = Editio Bissaei: Palladius de gentibus Indiae et Bragmanibus etc. in lucem protulit ex biblioth. reg. Edoardus Bissaeus, Londini 1688. 4°. p. 85—103. Quo libro manuscripto usus sit Bissaeus, nescio; haud magni pretii eum fuisse facile quivis intelleget, qui paucas editionis Bissaei paginas legerit.

R. = Editio Frobeni: B. Flacci Albini seu Alcuini Opera omnia ed. Froben, Abbas Sancti Emmerani Ratisbonensis. Ratisbon. 1770, Tom. II, p. 597 sq. = Migne, Patrol. Tom. 101, p. 1359 sq. Codice usus est Frobenus Millstadtensi eoque optimo; quem quamquam ipse non vidi — ac ne scio quidem, num etiamnunc in oppido Millstadt exsistat — tamen permultas eius lectiones optimas ex editione Frobeniana cognovi atque in textum recepi. Attribuit editioni Frobenianae vir doctus Rieberer aliquot emendationes haud spernendas, quas suo loco commemoravi.

In codice Millstadtensi subscripti sunt hi versus:

Gens bragmana quidem miris quae moribus extat
  Hic legitur, lector mente fidem videat.
Hic Pauli et Sęnecae breviter responsa leguntur,
  Quaenam notavit nomine quisque suo;
Quae tibi, Magne, decus mundi, et clarissime Caesar,
  Albinus misit, munera parva, tuus.

Miserat igitur Alcuinus Carolo Magno epistolas, quas et Alexander Dindimusque et Seneca Paulusque

inter se scripsisse ferebantur. Unde si nihil aliud, hoc certe apparet Alexandri cum Dindimo collationem ante saeculum nonum scriptam esse.

Pleniorem apparatum adhibui in verbis Epistolae Alexandri ad Aristotelem scriptae constituendis; octo enim codices contuli, plures inspexi. Atque collati quidem sunt a me hi:

L. = Codex Leidensis Vossianus Q. 20 membr., saec. IX, olim forte Adriani e Riccobiis, postea Is. Vossii Nr. 204. (cf. Waitz in Pertzii Archivii nova serie Tom. VII (1882) p. 309; Zacher, Iul. Val. Epit. p. V.)

B. = Codex Parisinus Lat. 8518. membr. 8^{0}. saec. X continens p. 1—62 Epitomam Iulii Valerii, p. 63—96 Epistolam Alexandri ad Aristotelem, cf. Berger de Xivrey, Notices et Extraits des Manuscr. Tom. XIII. Paris 1838, p. 209 sq.

G. = Codex Guelferbytanus Ms. Aug. 56. 16. 8^{0}. membr. saec. X. cf. Zacher, Iul. Val. Epit. p. VIII.

M. = Codex Leidensis Vossianus Latinus Q. 29 membr. saec. X, olim bibliothecae Melchis. Thevenot, postea Is. Vossii 179. (cf. Pertz Archiv. VII, 137; Zacher, Iul. Val. Epit. p. VI.)

H. = Codex Leidensis Biblioth. Publ. Latin. Nr. 20. fol. membr. binis columnis saec. XII scriptus, olim Bibliothecae Benedictinorum, quae erat in monasterio Normandiae Beccensi. cf. Pertzium in Archivii Tom. VII, p. 133 et Waitzium in eiusdem Archivii nova serie Tom. VII (1882) p. 385. Ravaisson, Rapport au Ministre de l'Instr. Publ. sur les bibliothèques des dép. de l'ouest Par. 1843 'Tituli librorum Beccensis Almarii' p. 385; Zacher,

Serapeum 1843, p. 30 et 44; Iul. Val. Epit. p. VIII; Delisle, Acad. d. Inscript. 12 Sept. 1879 et Mélanges d. paléogr. et de bibliogr. Par. 1880.

V. = Codex Vindobonensis 150, olim Univers. 863. apud Endlicherum Nr. CXCVI. membr. 4°. saec. XIII (?).

C. = Codex Parisinus Lat. 17569 membr. fol. duobus columnis saec. XII scriptus.

P. = Codex Parisinus Lat. 4880, de quo supra (p. XXIII) copiosius egimus.

Codices *L*, *B*, *G*, *M* ex eodem archetypo descripti sunt nunc deperdito, ut videtur, quem nota ω significavi. Is textum exhibebat interpolationibus liberum, sed permultis locis mutilum misereque corruptum. Ex hoc qui codices *L*, *B*, *G*, *M* transscripserunt, nihil mutare vel emendare ausi sunt ac ne intellexisse quidem videntur, quae scribebant. Quare qui textum constituendum susceperit, ad hos potissimum libros velut ad fontes limo coniecturarum non turbatos semper recurret. Ex eodem archetypo ω vel ex codice huius persimili libri manuscripti, quos signis *H* et *V* notavimus, fluxerunt. Sed horum codicum librarii suo Marte saepissime textum restituere studuerunt[1]. Quaecunque igitur apud eos aliter atque in codicibus *L*, *B*, *G*, *M* scripta leguntur, pro coniecturis, non pro testimoniis habenda sunt. Codex *C*

1) De librario codicis *H*, qui multo audacius egit, quam librarius codicis *V*, optime Zacher disseruit in editione Epitomae Iulii Valerii p. X: Der schreiber von *B* (nobis *H*) stand, der in Bec herschenden gelehrsamkeit entsprechend, an kentnis und geschmack weit über der niedrigen stufe seiner vorlage, und hat demzufolge den text ziemlich oft, und meist auch ganz geschickt verändert und wirklich verbessert; doch darf der herausgeber ihm nur sehr vorsichtig folgen, da er den text meist correcter und eleganter gestaltet hat, als der verfasser selbst vermocht und beabsichtigt hatte.

haud raro a ceteris libris manuscriptis discrepat, ut ex alio fonte atque illi fluxisse videatur. Neque enim lectiones eius interpolatoris manum olent. Sed cum liber, ex quo transscriptus est, neque aetate neque indole archetypum *ω* aequet, ipse quoque minoris habendus est, quam codices *L*, *B*, *G*, *M*. Nihilominus eo saepe usi sumus, ut aliorum librorum menda tolleremus, lacunas expleremus. Codex *P*, si non ex ipso codice *C*, cum quo plerumque consentit, attamen ex eius archetypo vel ex libro de hoc pendente transscriptus est; aliquotiens librarius codicis illius suo ingenio fretus lectionem corruptam sanare conatus est. Huius lectiones nisi ad textum emendandum vel constituendum aliquid facere viderentur, non adnotavi.

Editiones epistolae ab Alexandro ad Aristotelem scriptae mihi innotuerunt hae:

1) Venetiis 1499.

2) Editio Basileensis Curtii Rufi historiae addita apud Henrichum Petri MDLVI.

3) Lugduni Batavorum MDLXXIII, coniuncta cum Curtio Rufo edito a Christophoro Bruno.

4) Alexandri Magni epistola de situ Indiae et itinerum in ea vastitate ad Aristotelem praeceptorem suum perscripta ex interpretatione Cornelii Nepotis. Nunc denuo recensuit et animadversiones novas hinc inde inspersit... Andreas Paulini. Gissae 1706. 8°.

5) Narratiunculae anglice conscriptae, de pergamenis exscribebat, notis illustrabat, eruditis copiam faciebat T. Oswaldus Cockayne, M. A. Cantab. London 1861. 8°. In paginis 51—62 huius libri legitur Epistola Alexandri edita ex codice Musei Britannici Cott. Nero D. VIII, qui ex codice a nobis *H* significato fluxisse videtur.

Harum editionum quas inspexi, Basileensis, Gissensis, Londinensis nullius fere pretii sunt. Ad con-

stituendum textum Epistolae Alexandri, opus laborum Herculeorum haud dissimile, cum vires meas nisi socium adiunxissem, suppetituras esse desperarem, Fridericus Schlee amicus arma mecum coniunxit; sed saepe frustra sudavimus multaque restant loca mendosa multaeque difficultates, quibus in superandis alii quid valeant ostendant.

Restat ut omnibus eis, qui me in opere conficiendo adiuverunt, gratias agam quam maximas, imprimis iis, qui mihi aditum librorum manuscriptorum benigne fecerunt, viris doctissimis Mommseno Berolinensi, Ceriani Mediolanensi, Gorresio, Iosepho Mueller Taurinensibus, Du Rieu, De Vries Batavis, Omont Parisino, de Heinemann Guelferbytano, Leitschuh Bambergensi.

CONSPECTUS NOTARUM.

T. = lectiones codicis rescripti Taurinensis, quas ex Angeli Mai editionibus sumpsi.

T. = lectiones codicis Taurinensis, quas ipse ex hoc libro manuscripto erui.

A. = Codex Ambrosianus P. sup. 49. membr. saec. IX.

P. = Codex Parisinus Lat. 4880 membr. saec. XIII.

B. = Codex Basileensis membr. saec. XI.

O. = Epitomae Codex Oxoniensis Corp. Christ. Coll. Nr. 82. saec. XII.

Mai. = Mai editio prima, Mediolani 1817.

Mai^2. = Mai editio altera, Romae 1837.

Berg. = Berger de Xivrey (Notices et Extraits des Manuscr. de la Biblioth. roy. Tom. XIII.).

Mr. = Muelleri Editio Paris. 1847.

Capitum numeri congruunt cum Mai editione altera et cum Zacheri Epitoma; in margine dextro numeri additi sunt editionis a Maio curatae prioris signis, quae arabica vocant, editionis Muelleri signis Romanis. Libri primi caput primum et initium capitis secundi supplevi ex Epitoma a Zachero edita.

LIBER PRIMUS

QUI EST

ORTUS ALEXANDRI.

1. *Aegyptii sapientes sati genere divino primi feruntur permensique sunt terram ingenii pervicacia et ambitum coeli stellarum numero assecuti. Quorum omnium Nectanabus prudentissimus fuisse comprobatur, quippe qui quod alii armis, ille ore potuisse convincitur. Denique mundialia elementa ei parebant, adeo ut, si metus bellicus illi immineret, non exercitum, non machinamenta martia moveret: quin potius ingressus aulae penita regiaeque secreta ibi se solitarium abdebat invecta secum pelvi. Quam dum ex fonte liquidissimo impleret, ex cera imitabatur navigii similitudinem effigiesque hominum illic collocabat. Quae omnia cum supernare coepissent, mox moveri ac vivere visebantur. Adhibebat etiam et virgulam ex ligno ebeni et praecantamina loquebatur, quibus vocaret deos superos inferosque, sicque laborabat pelvi naviculam submergi. Ex quo fiebat, ut simul cum submersione illius cerae et cereis insessoribus etiam omnes hostes, si qui adesse praenuntiabantur, pelago mergerentur. Itaque multo tempore regno ac securitate potitus est. Quodam igitur* I *tempore nuntiatum est ei multas adversus eum gentes una conspiratione atque eadem voluntate consurrexisse, scilicet Indos, Arabes Phoenicesque, Parthos et Assyrios, nec non et Scythas, Alanos, Oxydracontas, Seres atque Caucones, Hiberos, Agriophagos, Eunomitas et quaecunque sunt orientis barbarae gentes. Quibus ille auditis plausum dans manibus magno risu dissolutus est.*

2. *Igitur ad consuetam artis confugit peritiam et* II
more solito adhibuit sibi pelvem atque omnia alia instrumenta. Quibus intellexit se vincendum atque ab hostibus capiendum, nisi fugae consuleret. Mox autem raso capite et barba collectisque omnibus quae sibi erant pretiosarum opum, adpulit Macedoniae. Ibique amictus veste linea, astrologum se professus, vim peritiae suae cum magna admiratione commendabat.

Ergo iam longe celebratior apud Macedones Nec- IV
tanabus erat, ut fama eius ne Olympiadam quidem reginam *lateret. Coepitque* consulere peritiam viri absente tunc coniuge. Nam Philippus bello forte tunc aberat. Igitur ingredi iussus vel ad primam Olympiadis visionem miratione formae eius Nectanabus ita *mo*tus est, ut amori mulieris dederetur, quod eum ferme ex corporis intemperie facile erat his voluptatibus vinci. Ingressus tamen protenta manu reginam havere iubet, non dominae eam appellatione dignatus, qui se olim dominum fuisse meminisset. Resalutato igitur ac sedere iusso 'Tune,' inquit, 'ille es Nectanabus matheseos sciens? Nam quisque te consuluerit, veridicentiae tuae non refragatur. Dic ergo, quanam usus peritia adeo veri amicus cluis.' Ad id respondit: 'Multifida quidem est, o regina, ista haec nostra vaticinandi scientia, neque est in tempore omnium meminisse. Nam et interpretes somniorum et astrici, quibus omnis divinandi ratio reseratur, et multa sunt praeter haec nomina, quibus uti ad praescientiam solemus.'

3. His dictis cum acrius in vultum reginae in-

2. 9 *A verbis* longe celebratior *incipiunt ea, quae legi in codice rescripto Taurinensi.* 11 lateret. Coepitque *supplevi ex Epitoma.* 13 vel] †ed **T.** 15 motus] *legi tantummodo* — tus. eum]? 17 reginam havere] regina habere **T.** 18 appellatione dignatus] appellationem dignatus ē **T.** 25 in tempore **T.** in tempore uno *Epit.*
3. 30 acrius] agrius **T.**

tueretur, Olympias refert: 'Quid ita defigeris, o propheta, ubi iam me intueris?' At ille: 'Recordor enim nunc demum oraculi eius, quod apud Aegyptum a diis acceperam, oportere me reginae vera praedicere percunctanti. Quare consule super cupitis.' Et cum verbis tabulas promit, quas peritiae huiusce docti pinacam nominaverunt, *opus* adeo fabre absolutum, ut artifex manus certasse putaretur cum bino eloquentiae testimonio. Auro enim et ebore variatum pretium sui cum operis admiratione contenderat. Tum promit etiam septem quas *rogar*et stellas et horoscopum pariter, quibus singulis sui metalli species erat. Iovem enim viseres aereo lapide nuncupatum, Solem crystallo, Lunam adamante, Martem dici sub lapide ematite; sed Mercurius ex smaragdo fuit, Venus vero sapphiria, Saturnus in ophite, tum horoscopus lygdinus. Exinde mirans Olympias pinacis illius opulentiam stellarumque mirabilem varietatem propter sessitans iubet omne facessere famulitium, qui aderant sibi ex ministerio regali, *ut arcanum sermonem tuto committeret,* et ait: 'O tu, quaeso, intuere meam et Philippi congruentiam; nam multa fama est, quod, si adfuerit ex hostico, abiecta me velit in alteram transiugari.' Ad haec ille: 'Quin ergo deprome vel tuam vel Philippi genituram.' Quod cum illa fecisset, Nectanabus statim suam quoque adhibet constellationem exploraturus, an illa cum Olympiadis genitura conveniret voluntatisque potiretur. Quod cum fore deprehendisset, hinc orsus est: 'Non vana,' inquit, 'ista ad te fama pervenit, sed enim vera est. Ego tamen ac si prophetes ex Aegypto opitulabor,

6 nominaberunt T. 7 opus *addidi.* 9 bariatum T. sui? suo? T. 11 quas rogaret *scripsi.* quae...ret T. *quinque fere litteras legere non poteram.* 13 ereo T. 16 ofite T. lygdinus *Epit.* lignus T. 18 facessere. *cf. Serg. Explanat. in Donat. II (K. G. L. IV p. 577).* 19 ut arcanum — committeret *om.* T., *supplevi ex Codice Oxoniensi, auctore Volkmanno. (In Iul. Val. Adnot. crit.)*

ut queam, ne quid de divortio formidaveris. Quod etsi foret, vindex facto non deesset.' 'Quanam,' inquit Olympias, 'id facultate?' 'Quod enim,' Nectanabus refert, 'fatale tibi est secundum hanc, quam video, genituram misceri deo eque isto gravidam filium nutricaturam ultorem omnium, si quae in te Philippus audebit.' Tum illa: 'Et cuinam,' inquit, 'deo ad torum debeor?' Respondit: 'Ammoni Libyco. Is autem est fluvius.' *De* aetate, qua visitur, *quaerit.* Iuvenem esse renuntiat. De facie sciscitatur et cultu. Canum caesarie dicit et ore praelepidum, temporibus tamen atque fronte arietis cornibus asperatum. 'Quare,' inquit, 'paraveris te, velut feminis mos est et reginae decorum est, ad huiuscemodi nuptias. Videbis enim et somnium et in somnio nuptias tibi futuras esse cum deo.' Ad haec illa: 'Ego,' inquit, 'somnium *si* somniabo, non iam te ut mago utar, enimvero dei honore venerabor.'

4. Progressus inde Nectanabus neque oppertus in V *tempus* longum herbas ex scientia quaerit ad somniorum imperia necessarias. Quibus carptis atque in sucum pressis effigiat ex cera corpusculum feminae eique nomen reginae cum adscripsisset, lectulum eidem fabricatur, cui illa effigies supraponitur iuxtaque lucernis incensis sucum herbarum potentium superfundit carmenque dicit efficax et secretum, quo effectum est, ut quidquid ille simulamini cereo loquebatur, id omne fieri sibi regina sit opinata per somnium. Videt enim se *in* complexibus dei, quos fore cum Ammone dixerat, postque complexus deum sibi loquentem audierat, factam se et utero gravem et edituram vindicem filium. Surgit ergo de lectulo et admirata somnii maiestatem V

2 facto] fato T. 9 De *addidi.* quaerit *addidi.* 11 tamen] tomeut T. 16 si *addidi ex Epitoma.* 17 honorem T.

4. 19 tempus *addidi. quinque ferme litteras non legi in* T. 28 in *supplevi ex Epit., om.* T. 29 complexus *Epit.* complexibus T. 31 somni magistatem T.

hominem ad sese vocat et 'Ecce,' inquit, 'promissum somnium vidi. Nam et deus erat et agebat mecum nuptiae secretum. Igitur curam quaeso suscipias, quando id effectum compleatur quandoque me deus iste dignetur, ut ego quoque iugalibus me et sponso iam praeparem.' Ad haec Nectanabus: 'Hoc quidem,' inquit, 'o domina, quod vidisti, *verum* est somnium. Aderit tamen ipse etiam ad te deus. Sed censeo mihi secessum istic iuxta tuum cubiculum dari, ut iuste procurem, ne quis tibi metus sit sub adventu huius numinis.' Probat id promissi regina et vicinum cubiculo suo secessum mago tribuit et 'Si,' inquit, 'harumce nuptiarum cepero experimentum conceptuque sim potita, honor regalis tibi a regina non deerit, inque te patris adfectum fore mihi iam spes promittit.' Tum addidit ille: 'Praecursor tibi,' inquit, 'dei mox aderit. Nam sedenti superveniet draco clementius reptabundus. Enim tu eo viso omnis, qui adsint, abire *iubeto* de medio, nec tamen quaecunque aderunt exstinxeris lumina, sed cum te lectulo conlocaris, opertum quidem vultum ad verecundiam texeris velamine, tamen limis explora vultus illos, quos iam somno praevidisti, ut si is erit.'

Insequenti igitur die et locus mago destinatur et V
ille quaevis ex arte opportuna providit, vellus scilicet arietis quam mollissimum una cum cornibus sceptrumque et amictum admodum candidum. Quo superiecto efficit scientia draconem sibi veluti mansuetum et innoxie gradientem vesperaque adventant*em* eum *facit*

6 praeparem] *legi tantum* p̄par. 7 verum *suppl. ex Epit.* 8 censeo mihi secessum istic *scripsi;* tenseo (?) mihi ēē sum (fum?) sit hic, *verbo sex vel septem litterarum, quod legere non potui* (secessū?), *superscripto super mihi ēē* T. 11 promissi T. promissive? 13 harumce *scripsi.* harum me T. 15 patri T. 18 abire iubeto *scripsi.* abiere T. 21 velamine *scripsi.* lumine T. 25 ille *scripsi.* illa T. providit *Epit.* praevidit T. 28 innoxiae gredientem vesperaque adventant T. 29 facit *scripsi; quod erat in* T., *legere non potui.*

ut praecursorem. Et is intrat ad femin*am*. Quo viso illa mox horridula prae metu disicit quosque praesentes, ipsa vero secundum monitum dat sese lectulo et obnupta vultu solo oculo ad superventum opinati dei curiose *intendebat* viditque illum, quem somno ante praeceperat. At ille sceptro deposito conscensoque lectulo nuptias agit eximque utero eius superiecta manu, 'Habes,' inquit, 'o mulier ex nobis haec invicta et insubiugabilia foedera. Quippe gaudeto te gravidam ex filio, quo vindice et universi orbis domino laetare.' His ita dictis sceptroque recepto conclave exit. Sed mane iam luciscente mulier alacrior laetitia ut potita dei cubiculum Nectanabi inrumpit. Is e somno excitatus ut nescius rei causam quaerit adventus. Tum illa 'Facta,' inquit, 'sunt omnia, quae promiseras.' Et ille sese gaudere professus est. Rursus mulier 'Ergone,' inquit, 'ultra adesse dignabitur? Nam est mihi etiam amor ad nuptias tales. Id enim mihi sensus coniux coniugi dedit. Nunc tamen metuo, ut ista cessaverint.' Tum magus gaudens, quod amorem sui mulier testaretur in hoc verbo, ait ad reginam: 'Huiusce dei minister ego sum, et cum voles talis mariti conventum, secretum quoque praesta sollemne mihique dicito, ut purgatione sacricula procurem, quo ad te rursus adveniat.' Tum ergo illa deversorium solitum Nectanabo promittit et claves cubiculi mago dari iubet; ex quo promptior illis erat in id, quod cupiverant, commeatus, sub opinione tamen Ammonis dei.

Sed iam alvo et lateribus excrescentibus 'Quidnam,' inquit, 'o propheta, mihi fiet, quidve nunc opus facto est, si adveniens Philippus cum isto me onere

1 ut *scripsi.* et T. Et his T. 2 disicit *scripsi.* discit T. 5 intendebat *Epit., om.* T. 10 dominio T. 11 laetare T. laetabere? 13 Is] His T. 20 cessaverint] celaverio *vel* calaverio *videtur esse in* T. 27 *Inde a verbis* 'in id quod cupiverant etc.' *incipit folium, quod erat olim codicis Parisini 4880, nunc exstat in codice Par. 5873.* 30 mihi *Mr.* me T. *P.*

deprehendat?' 'Ne metueris,' ille respondit, 'opitulabitur enim Ammon ei vitio, quod suasit, eumque per somnium super facto docebit, ne quid tibi iste succenseat, quod sciat deos omnium potentes esse.' In hunc igitur modum Olympias magicis artibus ducebatur.

VIII Sed Nectanabus sibi sacrum accipitrem parat eumque secretius monet ire ad Philippum et loqui, quae ipse mandaverat. Pergitque ire ales, ut iussum est, per terras et mare Philippumque per noctem adsistens mandatis opinionibus complet. Quippe territus somnio evocatoque rex somniorum interprete sic ait: 'Vidi,' inquit, 'per quietem deum quendam, facie formosum et canitie caesariatum capitis et genae, arietis tamen cornibus insignitum, supervenisse Olympiadi coniugi meae seque illi nuptiis miscuisse.' Quibus patratis haec etiam verba addiderat: 'Excepisti,' inquit, 'o mulier, marem filium, qui adserat te et patris ultor esse laudetur.' Tum mulieris virginal biblo contegere consignareque annulo aureo visebatur, cui inscalptio erat solis effigies et leonis caput hastili subiecto. Quae cum vidissem, accipiter superveniens excitare me pulsu videbatur alarum. Quid igitur istud est, quod portenditur?' Tum interpres: 'O Philippe, verum istud est nec in aliud interpretandum, ut adsolet, opinabile. Quod enim signari vidisti virginal feminae, fidem rei visae testatur. Consignatio enim fides est atque veritas, ex quo praenosti, quod illa conceperit; nemo enim vas vacuum consignaverit. Et haec biblo, quippe cum biblus ista vel carta nullibi gentium nisi in nostra tellure

5 modum *om.* *P.* magici *P.* 7 secretim *videtur legisse Iuretus.* et loqui — 9 Philippumque *om.* *P.* 9 perque terras T. 11 interprete *Berger de Xivrey.* interpretes T. *P.* 16 verbo *P.* excepisti T. excepti *P.* 18 consignareque T. signareque *P.* 19 visebatur T. videbatur *P.* 20 leonis caput *cf. Steph. Byz. s. v.* *Ἀλεξάνδρεια: ἐκλήθη δὲ Ῥακῶτις καὶ Φάρος καὶ Λεοντόπολις διὰ τὸ τὴν τῆς Ὀλυμπιάδος γαστέρα ἐσφραγίσθαι λέοντος εἰκόνι.* 24 opinabile *P.* opinavere T. 28 vacuum *P.* vagum T. Et haec T. Ut haec *P.* 29 ista *om.* T.

gignatur. Aegyptium igitur semen est, qui conceptus est, non tamen humile, sed clarum plane vel regium propter aurei annuli visionem. Hoc enim metallo nihil scimus esse pretiosius, in quo etiam deorum effigies veneramur. Sed quoniam signaculum [quod] solis forma visebatur subterque leonis caput hastile quoque adiacens erat, is ipse, quisque nascetur, in orientis usque veniet praepotentia possessionem, omnia audens, quae natura est leonis, idque vi et hasta faciet, quae una vidisti. Enimvero quoniam deum capite arietino testaris eundemque canum, est deus Libyae Ammonis nomine.' Hanc interpretationem interpretis tunc non aequo satis animo Philippus accepit, quod homine concepisse mulierem credidisset.

Festinata igitur re bellica Macedoniam ad sua I repedat. Quo reditu mulier audito trepidatior erat, solatiis tamen eius Nectanabus adsidebat. Tandem igitur adveniens Philippus ut ingressus est, reginam, cum diffidentius sibi occursare coniugem intueretur, astu dissimulans indignationem in haec verba solatus est: 'Me quidem clam res gesta non est libensque te venia impertio, quippe culpa tibi non adhaerente, sicuti praescivi de sompnio defensante, quod factum est, ab omni culpa, qua adlini posses. Regibus quoque sicuti in alios vis est, ad deos tamen potentia frixerit. Neque enim te scio popularis alicuius amori servisse, enimvero dei deorum pulcherrimi.' His dictis animum mulieris instauraverat. Agit ergo gratias uxor veniae eique, qui sibi spem eius pollicitus videbatur, prophetae Nectanabo.

Igitur agebat interim Philippus cum muliere con- X iugaliter. Nectanabus vero praesens quidem, sed in-

5 quod *delevi*. 6 subterque T. subter *P*. hastile *P*. astilis T. 7 is *scripsi*. his T. si *P*. 9 quae T. quam *P*. 13 quod omine T. quodque omnino *P*. 17 Tandem T. tamen *P*. 23 de *om*. *P*. 24 adlini T. adlani *P*. 26 enim *om*. *P*. 29 eique T. *P*. que *del*. *Eberh*. 31 Philippus *om*. T. 32 Nectanabus T. Nectanabo *P*.

visitatus una agebat; neque enim videri se ex arte magica concesserat. Denique et interfuit aliquando effervescenti iam Philippo et coniugem increpanti, quod ille conceptus non ex deo mulieri foret. Quod cum auribus Nectanabus usurpasset conviviumque celebre et regium pararetur ob reversionem scilicet Philippi votum ac redditum, omnium erat visere dapsilem satis diffusamque lasciviam, nec tamen Philippum frontem in laetitiam explicasse, quod praegnantem Olympiadam admodum suspectaret. Ergo ut iam tempus convivandi erat, statim se reficit Nectanabus et reformat in illum draconis quidem, sed auctiorem aliquantulum tractum eoque reptabundus triclinium penetrat, tum spectabilis specie, tum maiestate corporis totius, tum etiam acumine sibilorum adeo terribili et divino, ut fundamenta etiam parietesque conclavis quati ac motari viderentur. Ceteris igitur prosultantibus ac delabentibus metu, una Olympias, quo fidem faceret divino commercio, manum protendit ad bestiam. At vero draco, ut lubentiam sui proderet, et caput in sinum mulieris extendit et omne agmen in spiram mansuetius colligit et genibus sinuque mulieris insidens promptum os porrigit et cum bisulco linguae vibratu osculum uxoris adfectat, ne quid omnino coniugali fidei deesset apud eum maritum, cui talis visio proderetur. Hic Philippus una metu unaque admiratione discedit. Sed ultra Nectanabus inspiciens draconem vertit in aquilam et volatu facessit e medio. Tunc ex admiratione sobrius Philippus: 'O coniux,'

1 enim *om.* *P.* 7 redditum T. reditum *P.* 10 Olympiadem (dam?) T. mulierem *P.* 12 sed auctiorem T. seductiorem *P.* 13 eoque T. eique *P.* 14 spectabilis *Epit.* spectabili T. *P.* 19 ad *Berg.* an *P.* 21 et omne *P.* haec omne T. spiram T. speram *P.* 22 et genibus sinuque T. ea genibus sinum *P.* 23 cum bisulco linguae vibratu T. cum ibi sulco linguae vibrato *P.* 27 inspiciens *P.* inspicienti *propos.* *Mr.* insistens *Br.* *Keil.*

ait, 'patuit vero argumento divini circa te numinis cultus. Vidimus enim deum auxiliantem tibi periclitanti, quamvis quis is sit nesciam, quippe vel Iovem credas ex aquila vel Ammonem ex dracone.' *Ad haec mulier: 'Ammonem se quidem professus est, dum primum mecum convenire dignatus est, scilicet Libyae dominum universae.'*

5. Enimvero pavens cum in quadam regiae parte XI.
Philippus sessitaret, in qua aves plurimae circumerrarent, isque intentus rebus agendis animum occupavisset, repente gallina supersiliens eius in sinum considensque enixa est ovum. Sed ovum illud evolutum sinu eius humi concrepat, cuiusque testula dissultante dracunculus, ut pote tantilli conclavis pertenuis, egredi visitur, isque saepe circumcursans et ambiens ovi testulam velle se rursus eo, unde emerserat, condere; sed priusquam cupitum ageret, morte praeventus est. Ea visio non parvum scrupulum Philippo in animum iniecerat. Rex denique Antiphontem, qui coniector id temporis egregius habebatur, arcessiri iubet eique aperit rem visitatam: gallinam, ovum, dracunculum, circuitum, mortem dracunculi. Sed enim Antipho ad incrementum peritiae suae dei adminiculo inspiratus infit regem docere: filium mox ei fore, qui omnem mundum obiret omnemque suae dicioni subiugaret; hunc post ambitum mundani laboris, domum iam se vertentem, occasu celeri periturum. 'Draco quippe,' ait, 'est regale animal. Ovum vero forma mundialis est.' Ex quo cum draco erupisse videatur, post omnem rotunditatis illius ambitum circuisse atque ingredi eo, unde ortum habuerat, cupivisse, prius quidem mortuum, quam id fieri

1 argumento *cod. Oxon.* argumentum *P.* numinis *om. P. suppl. ex cod. Oxon.* 4 *Responsum Olympiadis in codice P. omissam ex epitoma supplevi; in* T. *plura continebantur, quae tamen legi iam non possunt (desunt tres versus).*

5. 14 conclavis *Mr.* conclavi *P.* conglovi T. 18 parvum *P.* parum T. 25 suae *om. P.* dictioni T.

proveniret, cuncta haec, quae praedicta sunt, portendisse. Et his quidem in hunc modum interpretamenti sui fidem fecerat apud Philippum.

6. Adpetente autem iam partitudinis tempore XII. consederat Olympias oneri partus levando. Sed adsistens Nectanabus inspectansque coelites cursus, notans etiam mundana secreta, peritia auctore 'Mane,' inquit, 'quaeso, mi mulier, et vim partitudinis vince re*primens g*eniturae necessitatem imminentis; quippe si nunc fiat editus partus, servile quiddam captivumque potentum natum iri astra minitantur.' Atque cum obdurasset mulier obfirmatius secundisque aculeis pulsaretur, rursus admonetur: 'Nunc etiam, quaeso, duraveris paululum, quippe si editu victa sis, gallus et semivir erit, qui nascetur.' Talia et blandius loquebatur et adtrectare secretius mulierem non differebat, tactu etiam opitulaturus att de . . . pueri. Ac tum demum acrius intuens cursus astrorum motusque elementorum cognoscit iam omnem mundum vim suam in summo culmine conversionis lene librasse solemque ipsum mediam caeli plagam et convexi celsiora percurrere. Tunc ergo ad mulierem sic ait: 'En tempus est,' inquit, 'voce nunc fortiore opus est et obfirmatiore conatu, quippe quod nunc erit editum, mundi totius dominio celebrabitur.' His femina incitata mugitu omni vehementius ingemiscens exegit puerum, qui ubi ad humum lapsus est, motus protinus terrae insequitur et tonitruum crepor ventorumque conflictus, tum etiam fulgurum coruscatio, prorsus ut viseres omni mundo curam cum illa partitudine elaboratam. Ergo ait et XIII.

1 portendisse T. *P.* portendisse liquet *Mr.*
6. 5 'Sed adsistens *etc.* — 25 His femina incitata' *om. P.* 9 reprimens geniturae *temptavi restituere; quae in* T. *scripta erant, legere non poteram.* 10 quiddam] quidam T. 15 nascetur *scripsi;* nascitur T. 17 att de . . .] *desunt quinque fere litterae, quas cognoscere non poteram.* accelerationi *Br. Keil.* 20 lene librasse] lene liberasse *vel* leve liberasse T. 23 opus est] est *om.* T. 29 fulgurum *Mr.* fulgorum *P.* 30 curam — elaboratam, *correxi*

Philippus post solatia gratulatoria: 'Equidem mihi fuisse, o mulier, consilium profitebor non nutriendi, quod natum est, propterea quod id de meo semine non provenerit; sed enim cum videam subolem esse divinam editionemque ipsam elementis et diis pariter cordi fuisse, votis educationis accedo; inque memoriam eius filii, qui mihi natus occubuit de prioribus nuptiis, Alexandri eidem nomen dabo.'

7. Post vero regalius et competentius alebatur. Nam et coronalia obsequia eidem undique confluebant tum Macedonia tum Pella tum Thracia multigenisque aliis gentibus in id certantibus. Atque in his exegit spatia lactandi. Vultu formaque omni alienus a Philippo, ne matri quidem ad similitudinem congruus, ei quoque, cuius e semine credebatur, facie diversus, sed suo modo et filo pulcherrimus, subcrispa paululum et flavente caesarie, ut comae sunt leoninae, oculis egregii decoris, altero admodum nigra quasi pupilla est, laevo vero glauca atque coeli similis, profususque omni spiritu et impetu, quo leones, ut palam viseres, quid de illo puero natura promitteret. Crescebat ergo ut corporis gratia ita studiorum quoque et prudentiae maiestate et cum his una regiae disciplinae. Eius nutrix Alacrinis erat, paedagogus atque nutritor nomine Leonides, litteraturae Polynicus magister, musices Alcippus Lemnius, geometriae Menecles Peloponnesius, oratoriae Anaximenes Aristocli Lampsacenus, philosophiae autem Aristoteles ille Milesius.

Enim de Mileto loqui hic longa res est et pro-

Epitomam secutus; cura — laborantem *P.* et laborem natum *Maehly.* 1 solatia T. *P.* solita *Eberh.* 4 enim *om.* T. 5 editionemque T. editationemque *P.* 6 memoria T. 8 eidem T. ei *P.*

7. 10 coronalia T. coronaria *P.* 12 in id certantibus *om.* T. 15 e semine T. semine *P.* credebatur T. *P.* creabatur *Mr.* 16 et filo *scripsi.* et filio T. et filii *P.* *del. Mr.* 17 ut T. et *P.* oculis T. oculi *P.* 19 profususque T. *P.* perfususque *Br. Keil.* 26 Alcippus T. Alcispus *P.* 29 de Mileto loqui T. de milite quia *P.*

positum interturbat deque ea, si quid inquirere curiosius voles, sat tibi, lector, habeto Graecum Favorini librum, qui Omnigenae historiae superscribitur. Illic etiam generis Alexandri inveneris seriem, cui generi principium praestitisse ferunt Oceanum vel Thetidem, exinque fluxisse per Acrisium Danaumque atque Persea multosque alios in Perdiccae genera vel Philipporum. Nam ne Olympiadi quidem secus propago generosa est, cui diligentia pari a mundi principio per Saturnum atque Neptunum, tum etiam Telamona seriem generis attexuit, ad tertiumque Neoptolemum docet prosapiam defluxisse, cuius *uxor* Anasafia mater Olympiadis cluit. Igitur *ad* Alexandrum mens recurrat.

Erat quidem ille ad omnes litteras iam peritus, et sibi quisque ludus in puero imperiale aliquid fuerat meditamentum. Nam sicubi tempus cum labore lectionis absolverat, et iudicare solitus inter aequaevos et industriari, quatenus inter hos argumenta iurgii nascerentur; ac tunc alteri iurgantium favens, ubi partem illius ingenio sublevasset, solitus in contrariam resultare rursusque contra eam, cui paullo ante patrocinatus fuerat, dicere. Itaque cum saepe utrique parti utilis favisor ac strenuus victor foret, opinionem non frustra sibi spectabilis ingenii confirmarat. Interea viri, qui Philippi armenta vel equitia curabant, equum spectabilis formae pulchritudine absolutum regi deducunt aiuntque illum armenti quidem regalis genus, formatum pedibus ad Pegasi fabulam opinabilem, et si equi

3 *post* librum *Eberh. interponit* adiisse. Omnigenae *scripsi.* Omni genere *P.* 6 Acrisium Danaumque *Mr.* Acrisios Daneosque *P.* 11 Neoptolemum *Berg.* Neoptolomeum *P.* 12 uxor *add. Mr.* 13 ad *add. Berg.* 17 si sicubi *P.* 19 quatinus *P.* iurgii *Berg.* iurgia *P.* 20 ac *Mr.* ad *P.* partem illius *Berg.* partemius *P.* 22 rususque *P.* patrocinatus *scripsi;* prius *P.* patronus *Eberh.* 29 *A verbis:* 'et si equi' *incipiunt folia codicis rescripti Taurin. a Maio edita* (*T.*). si equi *Epit. Zach.* equi *T.* si qui *P.*

fuisse Laomedonti eiusmodi praedicantur. Nec secus senserat Philipus. Nam et actu corporis et linea pulchritudinis movebatur. Sed addit equisius: 'Haec quidem, o rex, sunt in hoc equo talia; sed est ei vitium beluile, namque homines edit et in huiuscemodi pabulum saevit.' Et 'Heu,' rex ait, 'numnam illud in isto proverbium est, quod semper propter rebus bonis deteriora conlimitant? Enimvero quoniam deductus semel, claudi eum atque ali curabitis, sub claustris scilicet praeferratis. Quisque enim subcubuerit legibus tristioribus, huiuscemodi melius obiectabitur lanienae.' Et haec quidem rex, et cum dicto iussa complentur.

Sed interea Alexander iam annum duodecimum XIV.
adpellens et comes patri fiebat et usu armorum indui meditabatur, simulque cum exercitibus visi gaudebat et equis insiliens et reliqua omnia miles ut poterat, adeo ut Philippus haec demirans sic ad illum: 'O puer, aveo quidem et vultu fruens et moribus tuis, eorumque aliud duco ad similitudinem nostri, aliud vero auctius, quam ut sit ex nostra natura. Sed nunc mihi ad proximam usque iter est civitatem.'

8. Quod dictum cum Olympias etiam usurpasset profectusque Philippus foret non simili adfectu quo solitus, Nectanabum protinus repetit eumque consulit super clandestino mariti consilio. Qui cum adsidente sibi Alexandro ex arte illa astrica loqueretur, interpellat puer et 'Heus tu,' inquit, 'istaene, quas stellas

1 praedicatur *P.* 4 est ei *P.* et *T.* 5 namque ut homines videt, in eiuscemodi pabulum saevit *T.* 6 Et *om. T.* num *T.* 8 conlimitant *T.* commutant *P.* 9 semel *om. P.* alere *P.* curavit *T.* sub T. sed *P.* 10 si quis enim subcubuerit legibus tristioribus, huiusce rei melius oblectabit is lanium *T.* obiectabitur laniae T. 15 fit *T.* fiet T. 16 simulque cum illo *Eberh.* visi *scripsi.* visis *P.* suis T. 19 aveo *P.* gaudeo *Schlee.* et vultu *Mr.* ut vultu *P.* plaudo quidem *viribus* et moribus *T.* 21 actius ut si *P.* 22 iteres *P.*
8. 28 iste *T.*

appellas, agitant nunc in coelo ibique visuntur?' Et Nectanabus ita esse respondit. Pergit igitur Alexander: 'Possumne istas videre atque oculis usurpare?' Adnuit posse. Tempus exigit. Vesperam pollicetur. Quae ubi advenerit, 'Comitare,' inquit, 'una mecum ad campestrem locum, easque tibi in coeli choro lucentes ostendam.' Recipit ita sese facturum velut cupidus puer. Ergo ubi tempus est, progressus oppido dabat Alexandro videre, quae cupiverat. Enim non una sedulitas discenti puero cum magistro. Namque paulatim Alexander ad praescitum fossae praeceps hominem adpellens impulsu improviso praecipitat; ibique letali ictu cervicis Nectanabus adflictus haec est conquestus: 'Mi,' inquit, 'fili, Alexander, quodnam huius facti tibi consilium fuit?' At ille respondit: 'Conquerendum igitur tibi est de arte ista, quam noveras. Quippe nescius, quae te impenderent humi, rimare ea, quae caeli sunt.' Ad haec magus: 'Equidem,' inquit, 'Alexander, laesum me letaliter sentio, sed profecto nulli mortalium contra fatum permissa est fuga.' Tum ille: 'Cur istaec inquis?' Respondit magus: 'Olim quippe per hanc scientiam videram fatale mihi fore a filio interfectu iri. Ea igitur praescita non effugi.' Et Alexander: 'Anne ego sum filius tuus?' Ita esse confitetur et fabulae reliquam subserit seriem, tum Aegypti fugam tum ingressum ad Olympiadam, et tractatum et amorem, et quanam arte potitus uxore sit ad similitudinem dei. Et in his dictis animam exaestuat. Hinc Alexander comperto eo, quod pater

1 ibique sunt *T*. 3 possumus ergo istesa *T*. 4 vesperum *T*. 5 quod *T*. una *om*. *T*. 8 progressis *P*. 9 enim ū *corr*. *in* enim ů *P*. non unam sed multas *T*. 11 praescitam *T*. praecisum fossae *Zacher in Epit. Maium secutus*. praeceps *P*. veniens *T*. 12 impulsum *P*. 14 quodnam huiusce facti tui *T*. 17 humi *om*. *T*. nunc resupinus iacens rimare, *Epit*. 19 sed *om*. *T*. 21 isthaec *T*. ista *P*. 23 praescripta non fugi *T*. effugisse *P*. 26 ingressum suum *T*. Olympiadem *P*. 29 hic *T*. eo *om*. *T*.

sibi, quem interfecerat, fuit, metuit eum in illo defosso insepultum et praedam bestiis derelinqui. Nam et nox erat et secreta, quo venerant. Naturali ergo monitus adfectu superponit hominem humeris quam valentissime et revectat in regiam. Ut autem reversus ad matrem est, cuncta narrat, quae sibi supremo conloquio pater dixerat. Hoc demirata est mulier et secus de se quam voluerat iudicavit, quod tot annis vanis scilicet artibus lusa probram rem fecerat. Nihilominus et sepelit cum decore Nectanabum, et ut patri filius, sepulchrum erigit operosissimum. Fuitque inde praenosse, quid huic genito ad vitae clausulam deberetur: cum Nectanabus Aegypto oriundus in Macedonia sit sepultus, tantumdemque spatii e diverso Alexander, rex Macedoniae, morte sua foret Aegypto traditurus.

9. Enim Philippus Delphos misit super regni XV. suique sollicitus successore responsumque accepit in hunc modum: 'O Philippe, is demum tuis omnique orbe potietur et hasta omnia subiugabit, quicunque Bucephalam equum insiliens medium Pellae transierit.' Vocabatur enim equus, quem supra diximus, illo nomine, non eo modo quod corniculata fronte terribilis foret, sed quod inustio etiam fortuita quaedam eius coxae veluti taurini capitis imitamen insederat. Sed hac sorte recepta rex opinionem fovebat praedici sibi Herculem iuniorem ex famula sibi natum. At vero XVI Alexander cum Aristotele iam tantum Milesio uteretur, forte praeceptoris istius ad puerorum ingenia col-

2 relinqui *P.* *verbis* 'Nam et nox' *finitur folium excerptum ex cod. Paris. 4880, nunc agglutinatum codici 5873.* 3 secretum venerant *T.* 4 quem valentissime revectat *P.* *secutus sum T.* 6 enarrat *T.* alloquio *P.* 8 tot annis *om. T.* vanis *om. P.* 9 probritatem *T.* 10 quam decore *T.* ut *om. P.* 12 quod huic genti clausum iam deberetur *T.* 13 in Macedonia *T.* Macedoniae *P.* 14 de diverso *P.* 15 rex Macedoniae *T.* Macedonia *P.* (post) mortem suam *T.*

9. 17 successorem *P.* 18 O *om. T.* 20 Bucephalum *T.* 23 sed *T.* et *P.* 27 tantum Milesio *P.* tanto magistro *T.*

ligenda tale periculum exstiterat. Quippe cum plerique essent filii regum et optimatum nobiles, singillatim ab his sententias rimabatur, ecquid sibi quisque polliceretur, si modo ad regnum patri succederet. Aliisque opes, aliis gratiam dignitatesque amplissimas verbis laxioribus pollicentibus, ubi ad Alexandri sententiam ventum est, ut ipse, si foret quoque Philippi successor, super futuro profiteretur: 'Haud equidem mihi,' ait, 'ut a sapiente ista haec sententia sederit. De futuris enim instabilibus et incertis fixam dicere sponsionem, errantis est benignitatis et flabilis, cum crastini ratum pignus nullus facile possederit. Dabo tibi tunc, quod et facultas et tempus hortabitur.' Probat Aristoteles benivolentiam circumspectam et 'Have,' inquit, 'sane tu rex profecto mundane cum isto prudentiae tuae pignore!' Atque haec ei fuerat sententia de magistro. At vero vulgo ut qui percitus et vi mentis calentior habebatur, quamvis eum Philippus iam sincerius amplecteretur. Videbat enim plenam indolem martiis desideriis regalibusque; eo admordebatur solo, quod nihil de se vultu et similitudine mutuaretur.

Cum igitur pleraque ex his, quae in studentem pater largius conferebat, ipse quoque liberalitate transscriberet, Zeuxidos cuiusdam, *non* celebris illius ad pingendum, sed enim adseculae regalis, tales litterae deferuntur: 'Zeuxis Philippo et Olympiadi salutem plurimam dicit. E re est scire vos ea, quae Alexandro destinatis, non illi ad frugi custodiam retineri,

2 regnum *P.* 3 et quid *P.* 5 operam *T.* 9 isthaec *T.* sederit *P.* videret *T.* 11 fabilis *P.* crastino *P.* 12 nullum *P.* tibi *P.* tamen *T.* 15 istuc *P.* 16 ei *om. T.* 17 Ad verso *T.* percitus et *T.* spurcitus ea *P.* 18 quamvis eum *T.* quam quis *P.* 19 plecteretur *P.* indolem regalemque *T.* indolem marti -i- desideriis regalisque *P.* *secutus sum Mr.* 20 eoque *T.* 21 similitudinem *P.* 23 transcriberet *Codd.* transscenderet *Keil.* transsiliret *Eberh.* 24 cuiusdam *T.* quondam *P.* non *suppl. Mr.* 27 E re *om. P.*

enim labi omnia cum facilitate donandi. Quare quod sat sit, aestimatote mihique mittite dispensandum.' Ad haec reges Aristoteli scribunt ita: 'Nuntiat Zeuxis is, qui sumptibus Alexandri est praefectus, ea quae ad eius usus largiamur, ab eodem facile dilabi, quia sit inconsideratior dilargitor. Ergo tu missa susceperis atque ex sententia dispensabis.' Ad haec Aristoteles: 'Ratum quidem habeo, mi rex, nostris litteris Alexandrum institutum nihil sese nobisque indignius factitare, idque mox coram indole eius inspecta vestra quoque sententia confirmaverit; illi scilicet in agendis rebus non aetatis sententia, sed doctrinae, si vobis cordi est experiri, subficit consilium.' Ad haec reges scribunt rursus ad Zeuxim: 'Litteras tuas Aristoteli, quas super Alexandro feceras, intimavimus, quidve ad haec ille responderit, praesto est tibi. Igitur ex utraque collige, quid facto opus arbitrere.' Id tamen scriptum cum suspectasset Aristoteles, alitius in hunc modum Alexandro refert: 'Scripsere mihi Philippus et Olympias, parentes tui, ea quae tibi sumptui mitterent, inconsultius deperire. Neque accedo sententiae, quicquam te indignum nobis ac parentibus sapere.' Ad haec puer: 'Scire te par est, mi magister, ea quidem, quae ad nos a parentibus destinantur, indigna esse illorum opibus et nomine, sed secus tamen de institutione regali reges pariter ac parentes, quam decorum fuerat, commoveri, si fortunam censeant frugalitate populari.' Sunt etiam litterae utriusque parentis ad filium ad hunc modum: 'Sumptus, tibi qui fortuna nostra digni

1 cum *om.* *P.* 2 mihique mittite *om.* *P.* Ad *om.* *T.* 3 ita *om.* *P.* Nuntiat *om.* *T.* is *om.* *T.* 4 in eius usus *T.* 5 eo *P.* quod *T.* 8 nostris Alexandrum institutis *P.* 9 indignum *T.* 10 itaque *T.* 11 confirmaverit — 12 sententia *om.* *P.* 12 suae doctrinae, quae si vobis cordi est experiri, subieci consilium *P.* 16 colligito *T.* 17 arbitrare *P.* 18 suscepisset *T.* altius *T.* 27 fortunam hanc fragilitate populari *P.* 28 in modum *T.* 29 qui *om.* *T.*

mittuntur, ne prodegeris, fili, nec litterarum Aristotelis de te praeverteris testimonium. Enim frugi te esse parcimonia comprobato.' His respondit Alexander: 'Equidem missorum a vobis, mi parentes, modum nomine vestro dignum non confitebor. Expensam tamen eorum fieri pro necessitate regii nominis fateor. Neque vero de me magistri litterae claudicabunt; eius praeceptis non dignum a me nihilum fieri noscetis. Enim vos mallem neque adversus istaec aures malis sermonibus reseravisse veritatemque hanc decentius convertisse in eos, qui id facere audent, et nostri curam regiam agere pro illa populari malitis.'

XVII Id iam temporis decimum quartum annum Alexander adpellebat. Qui cum quadam die locum, quo clausus equus Bucephala fuerat, praeteriret, conversus ad amicos hoc ait: 'O viri, hinnitusne aures meas an vero rugitus aliquis leoninus offendit?' Ad haec Ptolomaeus, qui Soter postea appellatus est: 'Immo vero hic ille est equus Bucephala, quem ob vehementiam pariter et saevitudinem dentium hactenus rex claudi pater iussit.' Et inter haec rursus alius equi eiusdem hinnitus auditur, acutus quidem ille, sed nihil increpans ad formidinem pristinam, enim mite aliquid et mansuetum, prorsus ut diceres adloquia illa ad dominum esse morigera, non equi fremitum saevientis. Nam et pedes priores extenderat et gesticulam mansuetudinis luserat et supplici quodam motu blanditus est. Quod ubi intuitus est Alexander, fuisse in illo antehac tam truculentum officium edendi homines

1 prodigeris *P.* Aristoteli *P.* 6 regimonii *T.* 8 noscens *P.* 9 malle *P.* 10 reseruisse *P.* 11 id *om. T.* et *P.* ne *T.* 12 agere *P.* gerere *T.* 13 quartumque *T.* 15 Bucephalus *T.* 16 haec *T.* 17 anvero *P.* vero *T.* 18 Tolomeus *P.T.* 19 Bucephalus *T.* 22 altus quidem ille *T.* 23 mitte *P.* 24 uti *T.* hominum *P.* 26 gesticula *T.* 27 supplicis *P.* 28 in illo *P.* illi *T.* 29 edendis hominibus *P.*

demiratur. Denique custodibus evitatis claustrisque dimotis animal educit, iubamque eius cum laeva adprehendisset, audacius nescias an facilius, tergum quadrupedis insultat effrenemque eum, sed morigerum tamen imperiosis moribus aurigabundus hac atque aliter Alexander circumducit. Quod cum admirationi visentibus foret, ex cursu quidam rem periculi huius nuntiat Philippo. Sed ad memoriam ille revocans monitus oraculi occurrit ad puerum et salutat inde ut orbis integri dominum. Quare laetior quidem spe filii pater iam Philippus tunc agebat.

10. Sed Alexander quintum et decimum ingres- XVIII
sus annum explorato temporis opportuno, cum veniam a paternis auribus praepignerato osculo impetrasset, precario petit, ut sibi Pisas apud Olympia certaturo iter largiretur. Et 'Quid,' inquit, 'laboris aut artis genus est, quod tibi ad certamina praeparatur? Neque enim reor non regii te nominis memorem hanc gloriam cupivisse.' Tum ille quidem, quae sint parum liberalia munera, refutat ac negat, pugillatus scilicet atque luctatus quaeve de cestibus sive cursu plebeculam iuvent. 'Enimvero,' inquit, 'quadrigis ut certem.' Sedet patri professio adolescentis et 'Equos,' ait, 'ad hosce tibi
usus iubebo protinus deductu iri, de quibus tibi ad *1.*
votum proclivitas fiat; neque enim improbo huiusce desiderii gloriam.' Tunc filius: 'Gratiam equidem tibi, pater, huiusce muneris facio; habeo quippe equos, quos

3 nescio *T.* 5 hac atque aliter *T.* hac atque illa atr. *P.* 8 revocans *om. T.* 9 oraculo *T.* 10 uti *T.* integri *P.* ingredi *T.* quidam *P.*

10. 13 tempore *T.* e paternis *P.* 14 pignerato *P.* 15 itineri *T.* necessaria itineri *coni. Mai.* 16 aut *T.* ut *P.* 18 regii *scripsi.* regi *T.* regum *P.* 19 liberalia *Berg.* liberia *P.* ubera *T.* 20 luctae *T.* 21 quae vilem cestibus sive cursu plebicula iuvat *P.* 23 hos *P.* 24 iubeo *P.* deducti iri *P.* deductum iri *T.* *Inde a verbis* 'ad votum proclivitas' *incipit cod. Ambros.* (*A.*). 25 huius *P.* 27 huius *P.*

ex aetatula iam recenti ad haec mihi studiosius praeparavi.' Haec quoque professio Philippum iuvat laudatumque studii filium facile dimittit, cum primum sibi deduci ad navigia currus et arma iussisset. Igitur escensa navi comitatusque Hephaestione amico secunda admodum tempestate Elim adpellitur.

11. Quo in loco cum equorum curam famulis 2. mandavisset atque ipse visum loca deambulatumque procederet, obviat forte Nicolao cuidam, adolescenti regulo ex Acernania. Celsius quidem illo et sublimius se ferente, quippe qui duplici eoque perflabili deorum adminiculo levaretur, opulentia scilicet vel fortuna, habebat tamen Nicolaus ipse, quod sibi de suis viribus polliceretur. Nihilominus salutando Alexandro praestitit se priorem, nesciens etiam tunc itus illius causas et certaminis studium. Fuit tamen non sine contumelia salutatio; nam et 'Have,' inquit, 'o puer', nec ille non sedulo resalutat. Tunc secundo Nicolaus 'Et quem,' inquit, 'arbitrare te tam incuriosius salutasse? Quippe ego Nicolaus ille sum rex Acarnanum.' Alexander refert: 'Istam adrogantiam non probo. Quid enim te iuvabit imperii vana iactatio de secundis crastinis fluctuantem? Non enim vides, ut stare fortuna hominum nesciat, utque in his fragilior habeatur, quicumque illa dea victitant nixabundi?' Ad haec Nicolaus: 'Haec quidem,' inquit, 'non invenuste; enimvero velim scirè, cur adsis; nam te Philippi filium fama praelocuta est.' Fatetur Alexander et sese ad certa-

1 ex tatula *P.* ex tutela *A.* 3 studium filii *P.* dimittit *Eberh.* permittit *A.P.* 5 escensa *Mai.* excensa *A.* excelsa *P.* Hefestione *A.* festione *P.*

11. 8 ipse *scripsi.* ipsius *A.P.* ipsus *Mai.Mr.* 10 regulo *Mai.Mr.* reguli *A.P.* 13 ipsius quod et de sibi de suis *P.* 15 nesciens *scripsi cum Maio.* nescius *A.P.* itus *A.* ius *P.* causas *A.* cause *P.* 16 tamen *om. P.* 18 non *T.P. om. A.* 19 arbitrere *A.* tam *A.P.* iam *Eberh.* tamen curiosius *T.* 25 illa dea *Mai*[2]*.Mr.* illa de ea *P.* illi ea *A.* nexabundi *A.* 26 invenusta *T.* 28 et sese *P.* sese *A.*

mina quadrigarum studio coronae venisse. Tum Nicolaus felle de nimia indignatione subfusus despectansque eius aetatulam neque vim animi considerans consputum adolescentulum et maledictis increpitum dereliquit. At vero Alexander, qui omnium disciplinarum continentiam mage ostentare didicisset, abstersit clementer sputamenta, iniuriam quin etiam adridens ait: 'Iuro equidem tibi, Nicolae,' inquit, 'patris mei pariter ac matris maiestatem, ut te et in hoc praesenti certamine et Acernaniae telo superabo.' Hinc soluta est fabulatio.

12. Non multo autem post cum dies certami- XIX.
nis advenisset aurigandique professio studio excitaretur, 3.
novem quidem omnes, sed regii iuvenes competebant *quattuor*, quorum sortito primus Nicolaus adstitit carcere, secundus Xanthias, tertius Cimon, quartus Clitomachus, Balcheus quintus, Aristippus vero sexto in loco, Pierus septimo, Alcan octavo, Alexander post summo nono. Hi cum ex more artis atque certaminis institissent curribus, lituoque signum sollemniter increpasset, cuncti una prosiliunt. Enimvero Alexander erat quartus a primo, Nicolao propius insequente et spe transitus et infesto consilio, ut si praetervehi queat, non absque periculo Alexandri *victoriae* consulturus. Id quidem illum non satis fugerat. Nam et causa odii commonebat, quod bello Nicolai patrem

1 Tunc *P.* 2 suffusus *A.P.* rufus *T.* 6 continentium mage T.*P.* continentiam mago *A.* magistro *Mai.* a magistro *Eberh.* omnium discipulus irarum continentiam *Geier.* 6 abstersa T.*P.* 7 iniuriam quin etiam *T.P.* iniuriamque *A.* irridens *Eberh.* 8 Nichole ait *P.T.* 9 quod, *superscripto* vel ut *A.* 10 *post* 'certamine' *videtur* 'curru vincam' *vel simile quid excidisse.* telo *codd.* bello *Eberh.*

12. 13 citaretur *T.P.* 15 quattuor *suppl. Mr.* primus *T.P.* primo *A.* 16 secundo *A.P.* tertio *A.P.* quarto *A.* 17 quinto *A.* 19 summo *om. A.P.* Hic *A.* certaminis *om. P.* 20 increpassent *P.* 22 quartus *om. P.* proprius *T.* prius *A.* 24 victoriae *addidi; cf. p.* 27, 28. consulat *A.* 26 vello T.

Philippus oppressisset. Igitur astu se dabat Alexander a Nicolao praeteriri. Quippe iam ceteri, qui cursu praevenerant, alius alio casu prolapsi, primam spem potiundae palmae Nicolao dabant. Qui cum finem certaminis iam sperasset, infert sese Alexander voto praeterlabendi. Ad hunc conatum equis Nicolai convertentibus titubans dexter e mediis cernuantique persimilis implicatos reliquos secum moratur. Enim tunc Alexander subiens praeteracto prolapsoque Nicolao supervectus rem belli sub stadio transegit. Exin victor corona redimitus escenso templo cum Iovem Olympium salutaret, aestimatione rei gestae aut instinctu dei sacerdotem ferunt sic fortunam victoriae interpretatum, ut quod primo certamine Nicolaum vicisset, esset sibi coniecturae, perfacile multos eum populos vinciturum universitatisque dominio potiturum.

13. Hisce ergo omine atque laetitia ovans re- XX
patriat Macedoniam. Sed offendit forte ex licentia 4.
regia spreto consortio Olympiadis Philippum tunc in Cleopatrae nuptias demutantem, Attali cuiusdam non ignobilis filiae. Die igitur nuptiarum inruens regis triclinium coronatus 'Sume,' inquit, 'hunc primum, o pater, laboris mei fructum,' et una coronam in caput patris transtulit. Tum adiecit: 'Gaudeo quidem, quod in praesenti laetamini; et ego cum matrem aliis regalibus nuptiis coniugabo, vos quoque participabo con-

1 se dabat, *superscr.* vel dedebat *A.* sedebat *P.* concedebat *Eberh.* 2 a *om.* T. praeteriit *P.* 3 alius T. alii *A.P.* 7 convertentibus T.*A.* concurrentibus *P.* dexterae medio *A.* 8 implicatosque *P.* 9 subiens T.*P.* subiciens *A.* 10 supervectu *T.* 11 *ab* 'escenso' *usque ad* 17 'laetitia' *desunt in P.* 15 coniecturae *Mai. et T. ut videtur;* cognitum, *in margine adscriptum* vel coniuncturae *A.*

13. 19 consortio *T.* consilio *P.A.* *in margine cod. A.:* vel coniugio. 20 Attali *Mr.* Apali *T.P.* alicuiusdam *A.* 21 filiae *A.* feminae *P.* 23 una *Mai.* unam *A.* uno *P.* 24 gaudeo quidem *A.* nam de eo quidem T.*P.* 25 ms

vivio' et una cum dictis adversum Philippum discumbit. Sed rex asperatus ad dictum intus in animo saeviebat. Aderat tunc inter multas regalesque delicias Lysias XXI.
quidam risui excitando quam facetissimus, qui cum in 5.
gratia regis admordere adolescentulum vellet, 'Potiare,' inquit, 'o rex, Cleopatrae, potiare, e qua tibi spero privatos filios atque incommunicatos alteri proventuros eosque, qui vultibus tuis et felici respondeant semini.' Haec ubi dicta sunt, inritatior iuvenis protinus poculum, quod sibi prae manu erat, in Lysiam iaculatur eumque vulnerat. Sed rex effervescente iam irae professione prosiliens in Alexandrum labitur crureque laeso et vulnerato procumbit. Tum parum temperans voci iuvenis: 'En,' inquit, 'ille qui Asiam Europamque subiecit, unius lectuli spatium sine periculo non emensus est!' Et cum dicto rapit gladium omnesque, qui forte sese veluti ad comprehendendum inruerant, disicit, prorsus ut nihilum de Centaurorum Lapitharumque convivio demutaret, aut quod illi rei sit proximum, procos diceres cum ultore Ulixe decernere. Egressus igitur concedit ad matrem.

14. Enim qui aderant Philippum non absque XXII
discrimine vulneratum cubiculo invehunt lectoque 6.
deponunt. Sed is cum post compluscules dies iam bonam spem curationi promitteret, ingreditur amica sollicitudine tunc Alexander adsidensque lectulo 'Quaeso,' inquit, 'o Philippe, — adhuc enim te hoc et

1 adversum T. adversim *A.P.* discumbit *A.* decumbit T. *P.* 2 asperatus T. *P.* asperacius *A.*, *quod defendit Geyer.* ad dictum T. ad dicta *A.* *in margine* vel addictus. addictus *P.* 5 gratia T. *P.* gratiam *A.* 7 privatos T. *A.* privos *P.* 9 irratatior *P.* proculo T. 10 Lisiam iaculat ac vulnerat *P.* 11 iam *om.* *A.P.* 17 forte sese venerant veluti comprehendendum irruerant *P.* dissicit *A.P.* dissecat? (ἡμισφαγεῖς ἐποίησε *Graec.*). 18 Lepitharumque *A.*

14. 23 invehunt *T.* inducebant *A.* cubiculum videbant (indebant?) *P.* 26 tum *P.* *om.* T. asidensque *P.* 27 ad hoc *A.*

communi nomine adloquar, ut amicus, donicum patris in te animum recognovero — quid tandem hoc rei est, quod te avertit a coniuge? Aveo enim scire, iudex et ultor futurus in matrem, si culpa meruit, quod evenerat. Huc adde, si placet, probesne illam Lysiae 5. in Alexandrum petulantiam, probesne etiam patris in filium truculentiam. Quid enim uterque commeruimus a patre et marito? Abiecta Olympias coniux et Alexander filius incusatus. Quin ergo surge, et confirmato corpusculo animum etiam labentem una curaveris, adeo saucium fatalibus forsitan temptamentis. At ego tibi Olympiadam tuam una in gratiam atque in cubiculum iam deducam. Geret enim morem profecto Alexandro filio, cuius tu pater, ut video, esse fastidis.'

15. His dictis transit ad matrem Philippo iam 7. inter pudorem poenitentiamque distento et ad eam 'Ne,' inquit, 'quaeso, ne moveare, mi mater, super hisce, quae in te egerit rex maritus. Etenim ipsa quamvis clam habeas, quid commerueris, age tamen morem conscientiae tuae, cuius memet testem habes, qui hanc tibi concordiam suadeo. Quaeso remees ad coniugem, et redde te marito morigeram.' Cedit auctoritati suadentis filii Olympias et duce tali revenit ad maritum. Tum Alexander: 'En tibi, pater, Olympias tua; iam enim te paterno nomine usurpabo, cuius adeo libens fueris auditor. Igitur et precator ad eam fui, et remittit tibi meritum tuum abolitione omnis in-

1 nomine *A*. numine *P*. adloquar T. alloquor *A.P.* donicum T. boni cum *A.P.* 2 in te animum *A*. ante animum *P*. 3 aveo *Mai*. habeo *A.P.* audeo T. iudex T.*P*. vindex *A*. 8 coniunx *P*. 9 incusatus T. incursatus *P*. incursatur *A*. 10 labentem T. labantem *A.P.* curaberis *P*. 11 At ego *Mai*. At ergo T. adeo *A.P.* 12 Olympiada T. Olympiadem *A.P.* 13 morem *om*. T.

15. 16 et ait ad eam *A*. 17 ne *om*. T. mobeare T. 18 his *P*. egerit *A.P.* gerit *T*. 19 quod *A*. commeruimus *P*. 20 memet *A*. me et *P*. me T. habeas T. 22 coniugem censeo et reddente marito T.*P*. 24 Tunc *A*. 26 livens T. 27 remitti *P*. abolitionem *A*.

iuriae. Agite igitur, quaeso, post iram integrationem coniugalis adfectus. Nec sit pudendum, si filius sim parentibus copulator.' His dictis impetrat, quod laborat, idque ei largiter apud omnes patriae proceres bono admodum testimonio fuit. Placet denique Lysiae nomen coniugalibus ritibus in perpetuum aboleri, quod appellatio illa solutioni coepti cum Cleopatra *coniugii* conivisset.

16. At his ferme diebus, quibus haec acta vi- XXIII.
debantur, descivisse obsequio Mothona civitas nuntiaba- *8.*
tur. Ad quam animo Philippus incitatus, cum adhuc
viribus corporis deficeretur, optimum ratus ultionem
non distulisse, numerum qui forte adesset militum
ducere Alexandrum iubet, idque adolescens properanter
exsequitur diligenterque; subactam enim populatamque
ad vindictae ostentationem raptim Mothonam reversus
adnuntiat. Sed enim cum illo reditu de Mothona in- *9.*
gressus ad patrem foret, videt ibi adsistentes habitu barbaro viros percunctansque agnoscit Persae Darii satrapas; causam tamen adventus esse, quod ex more regi petitum pecunias a Philippo venissent, pretium scilicet aquae atque terrae; his enim nominibus subiectos obsequi sibi Persae deposcunt. Miratus igitur Alexander et petendi morem et titulum: 'Haeccine,' inquit, 'elementa Persae mortalibus venditant, quae cunctis deus in commune largitus est?' Dolebat ergo altiusque adolescentuli vim carpebat, quod viri Graeci nominis ac dignitatis vectigales barbaris fierent, quae res esset pendentibus iugiter ad magisterium servi-

5 bono — testimonio *A.P.* bonum — testimonium T. Lysiae *om. P.* 7 solutione *A.* coniugii conivisset *scripsi.* convivasset *corr. ex* convivisset *A.* conivisset *P.* solutionem capti convivi cum Cleopatra fecisset T.

16. 10 Mothona T. Mathana *A.* Motona *P.* 12 deficeret *A.* 15 et diligenter T. subauctam *P.* 19 percontansque *A.* cognoscit *P.* 21 regi T. *P.* regio *A.* 24 Haecine *A.* 25 elimenta *A.* 27 vim *A.P.* animum *Eberh.* 29 pendentibus *Mai*[2]. (ex *T.*?); petentibus *A.P.*

tutis. Tum igitur pauculum barbaris indidem separatis ferre a se mandata ad Darium iubet: haec sibi Alexandrum nuntiare vel dicere: boni consuleret et ab hac petendi consuetudine temperaret; quippe quem ipse morem petendis pecuniis indixisset, hunc a se protinus exactum iri, unaque cum his, quae ante dispensa sint, propria quoque, quae sint Persis, Alexandrum petiturum. Cum his dictis exigit homines proficisci ne litterarum quidem regem responsione dignatus. Ad hanc animi eius magnificentiam Philippus erigebatur, quod adeo confidentem et intrepidum eum naturae suae bona adserere intueretur. Igitur cum vicina rursus civitas de obsequio vacillaret, datur Alexandro expeditio. Pergitque, quo iussum est.

17. Enimvero interea Pausanias quidam nomine, XXIV.
cum divitiis adfluens tum opibus potens, ex oppido *10.*
Thessalonicae nobilis, in Olympiadis desiderium amoremque animo prolapsus est. Qui cum per internuntios adtemptasset, ecquid mulier consentiret deserto Philippo ad sese transnubere, neque id ei ex sententia provenisset, comperiens filium Philippi, cuius adeo formidolosum in omnes adcolas erat nomen, peregre profectum certamenque thymelae tunc agi a Philippo praesidente, repente satellitio stipatus strictis gladiis theatrum inruit Philippumque vulnere praevenit. Qui cum altius et letaliter ictus esset, veluti caedis absolutione securus ad regiam Pausanias properato festinat,
raptu scilicet Olympiadis desiderio consulturus. Igitur *11.*

1 pauculum *T.* paululum *A.P.* parvulum barbaris irridere paratis *Geyer.* 5 induxisset T. a se *A.* ad se *P.* 6 exactu iri *P.* depensa *P.* 10 hanc *om.* *A.P.* 14 Pergitque T. pergit *A.* pergi quoque iussum est *P. Epit.* iussus *A.*

17. 16 cum T. tum *A.P.* deliciis *Epitomae codices meliores.* *A.* opibus *om.* T. 19 ecquid T. et quid *P.* et *A.* consentiret, ut — transnuberet *A.* 20 neque id *P. Mai*[2]. idque *A.* sentia *A.* 25 vulnere praevenit T.*A.* Philippumque vulnerat *P.* 28 raptim *P.*

cum populus adhuc in theatro turbaretur, Pausanias vero, ut diximus, raptum moliretur, forte rebus ex sententia perpetratis Alexander supervenerat offenditque turbas et vim et vulnera Philippi. Quibus, ut res erat, cognitis auctoremque earum rerum Pausaniam haec designasse, inruens regiam in ipso raptu matris Pausaniae violentiam deprehendit, eumque cum iaculo destinaret teneretur que formidine matris vulnerandae, Olympias sic adhortatur: 'Iaculare,' inquit, 'fili, iaculare! ne dubites; habeo enim praesidem Ammonem et protectorem.'

18. Enimvero Alexander nullo impetu vinci, sed cum spirare etiam tunc patrem Philippum comperisset, eundem advehi illorsum iubet gladiumque, quem gerebat ipse, conlatum in dexteram patris misit, quo manu eius oppeteret Pausanias, cui poenam quamque pro facto debuerat. Ergo iam moriens Philippus, 'Nihil nunc sane est,' inquit, 'quod me vitae finis aut huiuscemodi mors contristet; ultus enim auctorem iniuriae libens oppetam. Atque ideo illaec nunc ab Ammone dicta reminiscor, quae tunc matri tuae Olympiadi filium fore talem praegnanti dixerant parituram, qui non eius modo adsertor esset, sed vindex quoque patris foret futurus.' Et cum his dictis moritur. Curatur igitur Philippo regia sepultura maerori eiusmodi omni Macedonia et reliqua Graecia conspirante.

19. Ubi igitur iam moti animi hominum illa XXV
rerum novitate quietiores visi esse potuerunt, scandit

1 Pausanias, quae diximus, moliretur *P.* 4 Philippi *om. P.* 6 haec *om. P.*

18. 13 tum *P.* 14 eundem ei advehi illos *P.* 15 conlati *P.* misit *om. P.* 16 poenam quoque profecto *P.* 18 ad huiuscemodi *P.* et h. T. 20 illaec *P.* illa et *A.* 22 praedixerant eum non eiusmodi adsertorem, sed ut vindicem quoque patris futurum T. *similiter P.* 24 dictis *om.* T. *P.* 25 a Philippo *P.* merori eiusmodi T. *P.* in memoriam eiusdem *A.*

19. 27 iam moti *P. Mai*[2]. (ex *T.*?). amoti *A.* 28 esse *om.* T. *P.*

Alexander paternae statuae suggestum et propter illam adsistens in haec verba contionatur: 'O Pellae proles et Macedonum vel Atheniensium Corinthique progenies ceterarumque Graeciae gentium nomina, en tempus est, quisquis Alexandro sese cupiat militare, ut scilicet nunc nomen labori fateatur. In eos quippe militabimus barbaros, qui nos iampridem re, nunc vero spoliare pergunt etiam libertate. Igitur eamus ducere in servitutem Persas. Hi, quibus turpe erat servientibus non subvenire, enim nunc iam etiam ipsi servimus.' Et haec quidem dicta praesentibus edicit. Tamen it eadem illa sententia et per singula oppida civitatesque, ut una cum classibus ii, qui armorum desiderio tenerentur, ad sese confluerent. Igitur ut si incentivum aliquod divina voce intonavisset, quo facilius ad eiusmodi opus studia hominum exardescerent, ita votum certamenque erat Macedonibus militandi. Alexander aedibus reseratis, quibus condita patris arma militaria visebantur, his quos inermes viderat dilargitur.

20. Sed enim quisque armiger Philippi aetate pro- *14.*
vectior, diu iam militiae laborisque pertaesus, negabat se idoneum his conatibus fore, aetate scilicet sua praesentibus refragante. Ad haec Alexander 'Equidem,' inquit, 'veridicentiae isti testis accedo nec labores vestros, quos praetenditis, non adstipulor. Enimvero militiae vis eiusmodi res est, uti magisterio callentium ordinata mox fiducia virium exsequenda sit. Peritia quippe veteris usus rudis manus audacia dirigenda est: quorum alterum vos, alterum iuventus existimatur.

2 in haec verba *Mai*^{2}. ad h. v. *A. P.* 3 chorintiique *P.* 4 en tempus T. en *om.* *A. P.* 5 nunc quisquis *P.* scilicet hunc *P.* 8 servitium T. 10 enim *post* Hi *collocat Kluge.* en *Eberh.* iam *om.* *A. P.* 11 it *om.* T. *P.* 14 incendium *T.* 15 intonuisset *P.* huiusmodi *P.* 17 certamen (*om.* que) *P.* At Alexander *T.*

20. 21 diu iam *scripsi;* divinam *T.* de vi *A. P.* 22 idoneum his *Geyer.* idoneis *A.* negabat se conatibus fore idoneum *P.* 25 in quos *P.* 26 militiae ius *A.* militia vis eius eiusmodi restituti *T.* 27 exaequanda *T.* sit *om.* *P.* 28 erigenda

Nam ut ille iuventutis fervor ad audaciam promptior, ita inconsultior ad cautionem, ac sic eorum boni coeptus plerumque malos eventus reperiunt. At vero ista maturitas vestra etiam arduis quibusque felices exitus parit et desideratos eventus, quoniam perito consilio manum duci commodat obsecuturam. Par est igitur, inquit, vos meo commilitio numerari, non ut ipsi bellorum urguentiam subire cogamini, sed ut iunioribus manibus consilium vos fiatis. Alterum quippe alterius egere quis dubitet? Cum, nisi per prudentiam vestram illorum titubantia sit directa, perfracto praesidio iuventutis in seniores periculum vadat. Contra autem si recti per vos voto fruantur, vos quoque gloriae parte potiore celebremini.' His dictis eos quoque, quos senium iam obsederat, in sententiam suam ducit.

21. Connumeratis igitur vel veteri milite vel XXV
quos ipse recens scripserat, congregat Macedonas quin- 1
que et decem milia pedites, auxiliaque diversa in octo milibus, equites vero indigenas septingentos et duo milia, levis quoque armaturae Thracas numero octingentos. Unde hoc numero cum veterano milite congregato sexcenti quinquaginta quattuor ad septuaginta milia militantium erant. Tunc viae sumptum a Philippi thesauris conlatuque studentium rebus suis auri talenta sexaginta cum quadringentis quatuorque et decem millibus cogit. Classi ergo elaborata in Macedonia, tam longis quam onerariis navibus, transit in Thraciam,

est audacia *P.* 1 iuvente *P.* audacia *A.* 2 boni coeptus *Mai*^{2}. boni coepti *P.* bona coepta *A.* 4 felices *Mai*^{2}. faciles *A.P.* 5 quoniam me perito consilio, manum duci, commodat obsecuturum *Mai*^{2}. 6 Par *superscript.* vel pars *A.* 7 inquit *om. P.* in meo commilitio *Eberh.* 8 urguentiam *Mai*^{2}. urgentia *A.P.* 9 fiatis *Mai*^{2}. *P.* faciatis *A.* 12 vadit *P.* 15 ducit *Mai*^{2}. *P.* vicit *A.*

21. 16 vetere *Mai*^{2}. 17 recens scripserat *A.P.* recenseri praestat *T.* 18 milium *T.P.* auxilia *A.* 22 DCIV *T.Epit.* LXXVII milia *Graec.* 24 collatumque *A.* conlatum quae *T.* 25 quattuor (*om.* que) *P.* 26 ergo *A.* quoque *P.* 27 Thracia *P.*

quae sibi patris Philippi virtute quaesita hereditarium
studium deberet atque deferret.

22. Unde illic etiam rebus ad ordinem redactis, XXIX
quod sibi ea gens studiosius obsequeretur, lectissimos *16.*
quosque et argenti talenta quadringenta viribus suis
cum adiecisset, pergit ad Lycaoniam, cui nunc aetas
recens nomen Lucaniae dedit. Igitur eius loci magistratibus
ad amicitiam communi sacrificio foederatis
transmittit protinus ad Siciliam atque ibi, si qua forte
ab obsequio refragarentur oppida, recepit; exinque Italiam
transiens legatione pariter et honore potitur Romanorum.
Per Aemilium quippe tunc consulem corona
ei auri pondo centum, insignita etiam margaritis, honoraria
datur ad argumentum amicitiae perpetuo post
futurae; idque Alexandro magnae gratiae fuit amicitiamque
amplectitur et verbis liberalibus Aemilium
honoratum remittit. Addunt tamen Romani et militum
duo milia et argenti talenta quadringenta eoque amplius
fore daturos sese respondent, ni sibi bellum adversus
Carthaginienses intentissimum agitaretur. Indidem XXX.
igitur Tyrrheno transmisso cum Africam quoque ad- *17.*
pulisset Alexander, eius gentis sibi magistratus obviantes
precario quaesunt, uti a se vim Romani exercitus
amoliretur. Sed haec dicta non modo ad favorem
regis animum non convertunt, verum ignaviae eos increpitos
tali responsione dimittit: quod boni Carthago
consuleret, si aut melior hostibus foret aut potioribus
praecepta dependeret.

23. Hinc igitur pergens paucis admodum comi- *18.*

1 quaesita *A. P.* quaerit *T.*
22. 4 exequeretur *P.* 5 quoque *P.* 6 Liguonam *T.* 7 Ligunae *vel* Liguriae *T.* 9 Siciliam *A. P.* Massiliam *T.* 11 potitur *A. Epit.* petitur *P.* 14 dantur T. ad *om. P.* 15 gratiae T. *A.* gloriae *P. Epit.* 19 ni sibi T. nisi *A. P.* 20 agitaretur T. ageretur *A. P.* 21 igitur *om. A. P.* 23 precario quaesunt *P.* precario sunt usi ut *A.* praecati sunt T. vim T. vis *A. P.* 24 favorem *A. P.* foventem T. 25 ignaviae *om. P.* eos *om. A. P.* 26 talis responso T.

tatus omnem Libyam peragrat. Itaque ad Ammona, qui loco deserto Aegypti celebratur, ipse contendit; enimvero exercitus multitudinem navibus superpositam Pharum destinat. Ipse ergo Ammona veneratus operatusque largioribus ibidem sacrificiis praesidium sibi operis et coeptorum veluti a deo patre deposcit, quippe eius fabulae tenax, quod huiusce dei cum matre per somnium fuerit coniugatio. His denique verbis deum convenit: 'O pater Ammon,' inquit, 'si quid materni seminis est verum, eaque mater conceptus nostri ex te principium est sortita, quaeso uti istud adstipulere praesenti meque ut filium praestes.' Igitur doctus evidentibus monitis non absque cura sui esse numen illud, et templum deo operosius et augustius fabricatur et ad prodendam militibus confidentiam Patri Ammoni id se fecisse inscriptione testatur. Tum responsum etiam quaesiit a deo, ecquid sibi monumentum imperii sui aliquotiens instaurare fas esset. Animo quippe conceperat urbis quam maximae conditum. Ergo per somnium sic eiusdem dei adloquio fruitur:

Haec tibi, rex, Phoebus lunatis cornibus edo:
Nomen si pergis aevo celebrare perenni,
Urbs tibi condenda est, qua stat Proteia tellus,
Praesidet et numen cui Dite potentius ipso,
Vertice quinqueiugo rerum secreta gubernans.

23. 1 athamonia *P.* ammonan T. 2 loco *Eberh.* locus *Codd.* deserta *P.* 3 multitudine navibus imposita T. 4 operatusque *P.* operatisque *A.* ammonem generatusque largioribus ibidem praediis T. *cf. Haase Miscell. phil. II p. 19.* ibidem *om. A.P.* 7 tenax *om.* T. huius *P.* 9 mater sermonis T. 10 ea que *P.* 11 adstipulere T. astipulare *A.* astipulare praesentūs *P.* 13 non absque numen illud esse curam sui T.*A.* cura *P.* (*cetera sicut* T.*A.*); *emendavi.* 16 se *om. A.* 17 quaesiit T. quaesit *P.* quaesitum *A.* et quid T.*P.* quo *A.* 18 aliquotiens T. aliquod *A.P.* 19 quippe *A.P.* quoque T. 20 eius T.*P.* 22 Phoebus *Mr.* (Φοῖβος *Graec.*). Phoeba *A.P.* Phoebi *Mai*[1]. Phoebes *Mai*[2]. 23 pergis T.*P.* pergas *A.* 25 ditis mundi potentius T.*P.* *Quaecunque post versus leguntur in* T.*A. usque ad p. 43, 22, desunt in P.*

Ad haec doctus Alexander tali responso omni diligentia rimabatur, quam Proteiam insulam deus vellet quidve illi numinis praesideret. Quae etiam tunc animo *19.*
volutans peractis rite sacrificiis indidem proficiscitur. Multo denique itineris exanclato apud vicum Astrata fessum commilitium refecit. Ipse autem rex cum forte XXXI.
in agro, ut adsolet, spatiaretur, cervam intuitus pastui occupatam unum ex his, qui destinandis sagittis sollertior habebatur, iaculari bestiam iubet. Qui cum rem non ex opinione praeiudicata fecisset leviusque ictum animal evasisset, exclamasse Alexander fertur Graeco scilicet verbo, quod remissior arcus intentio sagittam imbecillius exegisset, para tonon istud factum videri. Ex eoque dictum Paratonium; etiam post frequentatae urbi nomen idem datum.

24. Hinc porro ad locum, qui vulgo Taposiris *20.*
diceretur, adpulit. Inquirens tamen nominis causam accipit ab indigenis sepulchrum Osiridos illic esse, quod a veteri compositione corruptum Taposiridus dictus esset. Operatus igitur illicce deo ad id loci transit, quem extensum quidem magni et uberis aequoris pulchritudine miratur, frequentem tamen commanentium conventiculis. Sedecim quippe et instar urbium vicis decoriter admodum distinctis atque dispositis consistit, quorum magnitudini pariter et pulchritudini honor et cura deferebatur. His sedecim sessibulis flumina quoque duodecim intererrabant, pariter omnia vergentia iuxtim in mare, sicuti nunc etiam ad memoriam veteris insulcationis datur visere. Quippe quamvis congestu postea sint ad aequoris uniti faciem exaequata, quis-

4 volutans *Mai.* voluntas *A.* proficiscitur multo *A.* proficisci igitur T. 6 ipse T. ibi *A.* 7 pastui T. pascuis *A.* 9 iacularibus ē iam iubet T. 10 rem *om. A.* 11 Alexandrum fertorem T. 12 remissio arcis T. arcus et intentio *A.* 14 dictum *A. om.* T. 15 idem *scripsi.* ibidem *A.*

24. 25 pariter et pulchritudini *om. A.* 26 sessibulis *scripsi.* desessilibus *A. in* T. *nil legi potest.*

quis tamen ille ductus fluminis fuit, is nunc plateis apud Alexandriam tractus est; sed duo tantum ingressus fluminum reservati, ceteri nomina partibus oppidi praestiterunt. Igitur omne spatium *ab* eo loco, cui Bendidium vetus nomen est, usque ad Hermopolim urbis eius ambitu occupatum est. Sed enim nomen hoc longe secus, ac se veritas habet, in usu appellationis resedit; Hormu enim polis, non Hermopolis, dicta est, quod portuosius illic alveus Nili latiusque in latera descendens fidam stationem navibus per sese labentibus faceret.

25. Hanc igitur urbem nominis sui appellatione 21
dignatus in omnem, quantum visi datur, magnificentiam laboravit, quamvis Cleomenes de Naucrato et Dinocrates Rhodius in eam sententiam non accederent, ut tantam illam urbem, quanta nunc est, niti deberet, quod neque repleri aedificiorum spatia metita turbis competentibus opinarentur nec repleta ali facile potuissent. Ex quo fore arbitrabantur bella frequentia vel necessitate quaerendae alimoniae ab ipsis incolentibus ineunda, seu opulentia praevalerent, seu viribus deficerentur, dum aut peterent aliquid aut peterentur. Quippe moderatum urbium statum et consiliis facilius cedere et ad sustentationem sui promptius occursare amicum, siquidem multitudini nec facilis sui apud omnes singula dinoscentia atque etiam difficilis vel conspiratio.

Quamquam igitur longe auctius rex metitus loco- 22
rum amplitudinem foret, tamen ad sententiam persua-

4 ab eo loco *Mr*. eo loco *A*. 5 Bendidium *Letronne*. īndidium *A*. 6 ambitu *Mai*. ambitum *A*. 8 Hormu *scripsi*. Hormo *A*. 9 portuosus *Mr*. 10 stationem *Mai*. aestimationem *A*.

25. 14 de Naucrato *Geyer*. ac Neucratus *A*. 17 metita T. et ita *A*. 18 facile *A*. facere T. 22 deficerentur T. ? deficerent *A*. peterent T. impeterent *A*. 25 amicum siquidem *etc. corrupta; in* T. *nil legitur*

dentium ire aliquanto contractius sivit ambitus lineam. Quare facesserat magnificentiae animo contemplatae. Longitudinem quidem urbi procurat ab eo loco, cui Draco nomen est — est autem pars supradicti Taposiris — usque ad locum, cui Agathudaemonos appellatio manet. Latitudini vero indulget a Canopo usque ad locum, qui Eurylochi vel Melanthium dicitur. Iubet igitur omnes, quique per ambitum usque ad lapidem tricesimum coluissent, universos eodem commigrare locumque omnem, unde ad oppidum convenissent, suae dicioni servire. Et haec quidem super spatio urbis eius accipimus.

26. Adhibitis tamen rex architectis, qui ex arte nobiles et celebratiores habebantur, ut Cleomene de Naucrato et Olynthio Cratero, Herone etiam Libyco, qui cum fratre Hyponomo erat, accepit omne magnificentiae huiusce monumentum in eo posse tuto consistere, si antea quam fundamenta urbi iacerentur, subductiones aquae purgamentisque reliquis procuraret; quibus iugiter ablutis derivatisque atque in mare perpetuo dilabentibus neque aedificiis perniciem aliquam remansuram et ab hisce, quae intervenire conrumpendo aëri soleant, purgatius oppidum fore. Elaboratis igitur his cloacis, quibus haud facile capaciores

2 facesserat *corr. ex* facesserari *A.* contemplatae *scripsi.* contemptat *A.* quare facessendum ratus a magnificentia animo contenta (*vel* concepta), longitudinem *etc. Mai.* quare faciem desideratae magnificentiae animo contemperat *Geyer.* 4 Taporis *A.* 6 indulgent *A.* T. 7 Melantium T. Melanchium *A.* 10 dicione T. editioni *A.*

26. 13 architectis T. architectoribus *A.* qui — habebantur *A.* quisque — habebatur T. 15 Olynthio Cratero *scripsi cum Muellero.* olyntio eratheo T. Olynthio et Erateo *A.* Libyco *scripsi.* libii *A.* libi T. 16 Ipomono T. Eponemo *A.* omnem *A.* 17 consistere *A.* constituere T. 18 antequam T. 19 reliquis *scripsi.* reliquias T. *A.* residuis *Geyer.* relinquendas *Mai.* 20 derivatisque T. dirivatisque *A.* 23 purgatius *A.* purgatum T. 24 capaciores ulla T. captiores illa *A.*

ulla urbs habeat, omnis post id operum imposita molitio.

Quare cum hae urbes, quae in omni orbe terreno 24
maximae celebrantur, in haec spatia numeratae sint:
Syriaeque sit civitas vel amplissima Antiochia extenta
stadiis octo pedibus septuaginta duobus, Carthago
vero, quae principatum Africae tenet, stadiis decem
porrecta videatur stadiique parte quarta, Babylon
porro stadiis duodecim longa sit et pedibus ducentis
atque viginti, ipsa quoque domina omnium gentium
Roma quattuordecim stadiis et pedibus centum atque
viginti longa primitus fuerit, nondum adiectis his
partibus, quae multum congeminasse maiestatis eius
magnificentiam visuntur, Alexandriam mensi sunt sedecim quidem stadiis, pedibus vero trecentis atque
septuaginta quinque.

27. Occupato igitur omni solo, quod praedictis 2
alveis atque vicis olim consitum mox urbs una contexuit, videt insulam eminus perbrevem rex. Cui
nomen Pharus esse cum diceretur, coluisse vero Pharum istam Protea, conlapsum etiam ibidem cerneret
Proteos sepulchrum, id quidem protinus et reformari
ad faciem novitatis et coli religiosius mandat — exinque
civitas Pharos est — eiusque mos ad nos usque prolapsus Sacrum inter nostros Heroos dicitur. Additur XXXI
tamen ad fabulam metatae primum discretaeque urbis 2
huiusce, quod cum lineae ductae ab architectis forent,
quibus spatium et descriptio metatae urbis notaretur,
subiecta sit lineae farina pro pulvere. Sed ubi id
factum fuerit, mox congreges multi numeri et generis

Verba inde a 'Carthago vero' *usque ad finem capitis 26 leguntur etiam in Cod. Paris. 8319 membr. saec. XI, unde a Mommseno edita sunt in Abhandl. d. sächs. Ges. d. Wiss. Vol. III (1857) p. 276 sq.* 3 orbi T. 12 abiectis *in marg. correct.:* adiectis *A.* 14 magnificentia *cod. Par. 8319.* visitur *in marg. corr.:* visuntur *A.* visitur *cod. Par. 8319.*

27. 25 Heroon *Mr.*

aves eodem advolavisse, raptimque omnem illam de farina lineam obligurisse. Id ergo portenti turbulentius Alexandrum formidantem consuluisse protinus peritissimos coniectorum eorumque sententia rescivisse, civitatem hanc non suis modo, verum peregrinis etiam populis ad alimoniam uberrimam fore. Ut enim in illo avium numero non solum indigenae, verum advenae etiam atque undique versus adlapsae iacto polline avide pastae sint, ita hominibus quoque et incolentibus et adpellentibus urbem hanc fructuosissimam fore.

28. Aedificandi tamen Alexandriam constat principium ex meditullio esse factum idque etiam nunc nomen in ea urbe retineri, quod Mesopedium vocetur. Coeptis autem molitionibus surgere visitur draco quidam terribilis magnitudine ac maiestate, qui plerumque opifices incursabat, eoque nonnihilum impediri opera videbantur non minus metu visentium quam religione. Quod cum in aures Alexandri perventum foret, iubet insequenti sub die, sicubi forte sacra illa belua videretur, omnes undique confluentes necem draconi moliri. Idque naviter factum oppressusque eo loci est draco, ubi nunc Stoam vocant. Et sepulchrum tamen draconi consurgit opere admodum laborato et iuxtim Alexander iubet coronarias quoque opificinas adiacere, ut quod haec bestia famulitium quoddam templis praestare videbatur — daemon *enim* melior appellatur —, ipse quoque divina quadam religione coleretur. Atque cum multa sint Alexandriae

2 abligurisse? 4 rescivit *superscr. vel* consipivit *A.* *emend. Mai.* 8 versus *corr. ex* versos *A.*

28. 14 Mesopedium (*Μεσοπεδίον*) *scripsi auctore Wachsmuthio* (*Mus. Rhen. 42, p. 465*). Mesonpondio *A.*, *in margine manu multo recentiore additum* *μεσοποντίον*. 17 eoque *scripsi.* eiusque *A.* eiusque interventu? 20 iubet *Mai.* lubet *A.* 23 Stoam *Mr.* Scoam *A.* 27 enim *addidi.* 29 Atque *Eberh.* Quae *A.* Alexandriae *Mai.* Alexandria *A.*

et alia vel miranda, mons quoque propter illic visitur ex congestu, quem incuriosi vetustatis naturalem etiam opinantur. Sed ea moles egestis undique terra atque ruderibus, quibus fundamenta sint moenibus exhausta vacuataque, eoque conlatis ac superfusis huiusmodi erecti et ardui montis magnitudinem sumpsit.

29. Omnem tamen moenium varietatem distinxit *28*
nominibus et secrevit sub appellatione Graecorum
elementorum primarumque quinque litterarum, non
utique quod hoc regi sit tantummodo libitum, verum
uti ex hisce litteris sui nominis perpetuitas in urbis
partibus celebraretur: significante scilicet prima lit-
tera nomen Alexandri, secunda vero regis ex Graeco,
tertia porro generis, quarta etiam Iovis, quinta sese
fecisse. Sic enim si quis hasce quinque orationis
partes usurpaverit Graeca lingua, inveniet his nomi-
nibus ac verbis primas has litteras fuisse praepositas,
quod Alexander Rex Genus Iovis Fecisset. Sepulchro *29*
tamen draconis illius iam perfecto, cum trabes quae-
dam, quae ad ingressum eius columnas impresserat,
casu repentino conruisset dissiluissetque, angues com-
plusculi indidem emersisse sunt visi, hique reptabundi,
prout cuique ad lubentiam impetus fuit, constructarum
domuum penetralia invasere. Quod cum ipsum quo-
que terribile admodum videretur, non cunctanter arioli
pronuntiavere hos quoque daemonas et praesules lo-
corum esse domibusque singulis colendos pro diis
penatibus tradi oportere; eiusque mos vivit et adhuc
Alexandriae religiosus est sub penatium deorum ho-
nore et statis diebus suetus coli more religionis eius-
modi: polentam ex tritico, quod sit esui anguibus,
iaciunt, et coronatis optimatium mos est templum

1 valde miranda *Eberh.* 4 sint *A.* sunt *Eberh.*
29. 9 elimentorum *A.* 17 primas *scripsi.* pronas *A.* 18 quod et *A.* 20 quae *Eberh.* qua *A.* ingressum *Eberh.* gressum *A.* 21 dissiluissentque *A.* 24 penitralia *A.* 30 statis *Mr.* aestatis *A.* 32 coronatos *Eberh.*

Heroi scandere, cui talia scilicet anguina obsequio fa-
mulentur. Quod autem oraculum regi somnio da- XXXIII.
tum quinqueverticem fore urbem [somnio] praenun-
tiavisset, advertens diligentius invenit eius universi
loci esse eminentias quinque. Quibus in cetero aequore
extuberascentibus decus urbis est maximum constructa
ara quam maxima in eo colli, qui adversus Heroos
locum visitur erigi.

30. In ea igitur ara deo summo rerum prae- *30.*
sidi opulentioribus sacris et religiosius operabatur
cum prece tali: 'Quisquis tu deum rex es, qui prae-
stare diceris huic terrae mundumque istum inter-
minem regis, recipias quaeso sacrum hoc litanti-
que mihi auxilio fias rebus pacis et bellicis.' Et
his dictis exta flammis ex more inferebat. Enim-
vero repente advolans invisitatae magnitudinis aquila
exta quidem e manibus Alexandri proripit, tranans
vero volatu quam tranquillissimo aëris intersitum
spatium alteri cuidam arae procul exta, quae prae-
ripuerat, superponit. Quem depositi locum cum qui-
dam e speculatoribus regi nuntiasset, properato eodem
venit agnitisque extis, quae sacra ales advexerat, videt
templum quoque illic vetus magnitudinis religiosae, quod-
que aevi longinquitas superasset ac diruisset, simulacrum-
que intrinsecus sedens ex ea materia figuratum, quam
dinoscere hominis virium non est. Sed propter seden-

1 Heroi T. *Eberh.* Herois *A.* 2 somnio datum T. somnio dato *A.* somno *Eberh.* 3 *alterum* somnio *delevi.* praenuntiavisset T. pronuntiavisset *A.* 7 adversus T. adversi *A.* Heroos *A.* heros T. Heroi *Mr.*

30. 11 cum *A.* qui cum *aut* que cum T. 12 istum *A.* ipsum T. interminem T. intermine *A.* 15 exta T. ista *A* 16 repente *om. A.* advolans T. involans *A.* 17 e *om.* proripit T. praeripit *A.* tranans vero T. transvers 19 spatium et alteri *A.* spatium ali T. 22 extis quae 23 quoque *om. A.* 24 ac diruisset *om.* T. 26 *Eberh.* homini T. *A.*

tarium deum adstiterat puellaris effigies spectabili magnitudine et pulchritudine veneranda. Cumque eius 31.
religionis numina percunctaretur, sese quidem adcolae certius scire renuebant, accepisse tamen traditu veteri, Iovis ac Iunonis templum illud fuisse. In eo obeliscos quoque duos videt proceritudinis erectissimae, qui adhuc Alexandriae perseverant in Sarapis templi circumsepto extrinsecus adsistentes, eius templi, quod aetas iunior laboravit; sed haec saxa, quos diximus obeliscos, quod ad veru ferreum saxi sublimitas quadret, insignita sunt et inscripta Aegypti sacris litteris. Eorum causam et originem cum requisisset, Sesonchosim regem eorum auctorem esse dicebant, qui potitus universitatis id suo monumento esse voluisset, quod diis religiosius consecraverat. Lectae denique per interpretem litterae continere sunt proditae huiusmodi gratiam: 'Rex Aegypti Sesonchosis orbis potens praesuli mundi totius deo Sarapi consecrat.'

31. Adit ergo Alexander prece maxima depo- 32
scitque, uti si ista rata esset fama, quae scripta sit, sese numen illud mundi totius dominum recognosceret et idem evidentius intimaret. Ergo quietis proximo tempore eidem deus confessus super regni magnitudine pariter ac maiestate sic ait: 'Nonne,' inquit, 'memineras, Alexander, sacrificantem te cum primum exta sacris inveheres, totius mundi orbisve domino eadem te sacravisse eiusque auxilia petivisse? Quae

2 et pulchritudine *om.* T. *sed aliquid superscriptum.* eo pulchritudine *A.* 4 certius *A.* certum T. 5 ac Iunonis T. acui *A.* 6 erectissimae *A.* rectissimae T. 7 templi circumsepto T. templo circum septa *A.* 9 saxa, quos T. *Mai.* saxarios *A.* 10 ferreum saxi T. ferreo saxis *A.* 11 Aegyptii sacris T. Aegyptiis ac sacris *A.* 14 id suo T. (monum. *legi non potest*). ad sui monimentum *A.* 15 quod T. quos *A.*

31. 20 que uti—esset fama *om.* T. 22 et idem *Mai.* et eidem *A.* idem T. 23 super regni *scripsi.* se regi *A.* se regia *Eberh.* 27 eadem te *om.* *A.*

cum dicata mihi merito quoque sint meae areae trans-
vecta, quid dubitationi relictum erat, quin eum me
crederes, quem auxiliatorem tibi religionibus cooptas-
ses?' Ad haec Alexandro de urbis perpetuitate quae- *33.*
renti, et an nominis sui inhaesura appellatio videretur,
visus est deus manu sese adprehendisse exinque ad
editum celsumque admodum montem una duxisse, at-
que ibidem consistenti 'Potesne,' ait, 'o tu fortissime,
molem hanc montis in diversa transducere?' Negi-
tante Alexandro addidisse: 'Haec ergo similitudo est
eius scilicet difficultatis, quam de tui nominis muta-
tione quaesisti. Ut enim naturae viribus spes ista
deficitur, quod mons tantus loco mutari queat, ita
possibilitate res caret, inolitum nomen tuum urbi nunc
conditae olim posse mutari.'

Ibi adhuc petente Alexandro, ut sibi de fine vitae *34.*
deus aliquid fateretur, in haec responsum est:

Prae cuncta vitae commoda est mortalibus
De fine.......nescium
Quibusque metis fata claudantur sui.
Mens quippe homulli non videt variantia,
Quod haec reformat perpes aevi aeternitas.
Nam si facessat casuum scientia,
Laeta est timoris omnis ignoratio.
Quare id putato tute commodissimum,
Si spes futuri nullo foedetur metu.
Ergo hisce, quae fas, instruere, ut praescias.
Tu nam levatus nostra praepotentia,
Quaecumque gens sit obvia, sternes manu.
Tuncque haec revises animo, liber artubus.

1 dicata *A.* dicta T. meae areae T. mea ara *A.* 3 coobtasses T. ceptasses *A.* 4 urbis T. orbis *A.* 5 an *A.* ad T. 8 tu *om. A.* 13 deficitur T. deficit *A.* 18 Prae cuncta vitae *etc. carminis tantum frustula legi possunt in* T. *cf. praef.* 19 De fine certum finisse quibus metis *A.* de f....escium quibusque..tis T. de fine fortunae fuisse nescium *Br. Keil.* 22 quod haec T.? quae *A.* 23 facessat T. cessat *A.* 26 spes futuri — metu *om.* T. 27 hisce quae fas ŝ *A.* his quaequae... T. instruere ut T. instruare et *A.* 30 artubus T. artuus *A.*

Urbs vero, quam nunc erigis mundi decus,
Nitore surgit, cunctis exoptabilis
Saeclis, virescens temporum recursibus
Unaque semper fulta beatitudine,
Frequens deorum templis atque numine
Decusque vincens civium concordia:
Optata sedes vitae....
.................letum capit,
Cunabulisque gratior genitalibus.
Quippe ipse laetis coeptis praesul civicis
Interminatis saeculorum cursibus,
Fundata quod sit tellus hisce legibus,
Rides sereno vel corusco lumine.
Quippe austri solum, sontibus iam libera,
Flabris fovetur blandius spirantibus,
Ne quis potentum seu vis ulla daemonum
Exim noceret imperioso numine.
Est namque fatum motibus nutantibus
Telluris huius penita contremiscere
Famemque nosse celere perfunctam metu,
Tractus luales atque bella percita.
Enim facessent ista ceu si somnium.
.....reges multigenarum gentium
Honore divum, summo cultu, exambient
Astris receptum caelitumque congregem,
Quorum frequente cultu sis beatior;
Tuosque praestas numine augustissimo.
Haec quippe sedes corpori est caelum tuo.
Nunc ipse quis sim, mente bibula percipe,
Nomenque nostrum *ex* hisce numeris collige.
Sub Graia primum bis centena littera

1 erigis mundi decus *A.* regis mundi dedecus **T.** 2 nitore surgit **T.** nitoris urguet *A.* 7 optata *Geyer.* obtata *corr. ex* oblata *A.* *versus deest: in* **T.** *legi nequit, in A. omissus est.* 8 qua letum sapit *Geyer et Baehrens Fleckeis. Ann. 105, p. 636.* quale tum sapit *A.* letum capit **T.** 10 coeptis praesul civicis **T.** coetibus praesul chao *A.* 13 rides **T.** ridens *A.* 14 austri *scripsi.* astris *A.* ..stri **T.** 15 blandius spirantibus **T.** blandeque aspirantibus *A.* 16 nequis *scripsi.* nequit *A.* ne... **T.** seu vis ulla **T.** vis meditulla *A.* 17 noceret, *t expuncto A.* 20 perfunctam *Baehrens l. s. s.* perfuncta *A.* 23 reges *A.* ...por(?)reges **T.** Te semper reges *suppl. Schlee.* 24 Honore *scripsi.* honorem *A.* divum **T.** divinum *A.* 26 sis **T.** is *A.* 28 corpori *A.* corporis **T.** 30 ex *add. Eberh.* 31 graia *Eberh.* grata *A.*

Unum repone numerum et centum dehinc
Unumque post id, tunc quater viginti sint
Decemque iuxtim, eaque sit novissima,
Quae prima fixa est: idque sit nomen mihi.

32. Hoc igitur oraculo per quietem doctum Ale- *35*
xandrum deus in somno dereliquit. At ille expergiscitur recoltisque verbis ac memoriae confirmatis hunc demum esse, quem quaerit, scilicet Sarapim mundi totius dominum rectoremque confirmat. Ara igitur vel maxima maximo opere laborata largioribus sacris tam animantium stratu quam odorum profusione munificus convivia etiam exsequitur ibidem quam laetissima. Tunc Parmenioni architecto laborandi scilicet simulacra cura mandatur, ut ne illis Homeri versibus demutaret, qui sic loquuntur:

Caerula tunc illi Saturnius adnuit arce,
Aurea caesaries quem signat motibus almis.

Et Parmenion quidem iussa complet, ipse quoque non inhonorus hoc labore. Quippe templum etiam nunc Sarapion Parmenionis appellatur. Enimvero hactenus tibi super civitatis illius conditu dictum habebis.

33. Alexander porro coacto omni exercitu exim XXXIV
ad Aegypti ulteriora contendit classi iussa sese apud *36*
Tripolim opperiri. Sed id iter longe laboriosissimum

2 post id *Mai.* post idus *A.*
32. 6 in somno T. cum somno *A.* expergiscitur T. expergitus *A.* 8 quaerit T. quaereret *A.* 10 maxima T. *om. A.* 11 stratum T. 13 artio...arcitecto T. 14 illis *Mai.* illi T. *A.* 15 qui sic locuntur T. quasi elocuntur *A.* 16 illi T. oli *A.* caerulea huic oculi *Geyer.* 17 quem *Geyer.* que T. *A.* signat *A.* signa T. motibus T. mentibus *A.* 19 inhonorus T. inhonoris *A.* 20 hactenus *scripsi.* actinus T. *om. A.* 21 conditu T. conditum *A.*
33. *Hoc capite iterum incipit Cod. P., in quo initium capitis ita legitur:* Alexander inde digressus ad Aegypti ulteriora contendit. Et cum Memphim venisset, inductum eum in aedem templumque Vulcani statuam quandam nigro lapide intuetur cum illa super Nectanabo inscriptione, imperatorem scilicet *etc.* — 24 id itiner T. iter *A.*

militi fuit, quippe ob locorum et itineris difficultatem. Omnes tamen adcolae, qua perrexisset Alexander, una cum diis deorumque simulacris religiosisque operationibus obviam pergere festinabant, iuniorem Sesonchosim praedicantes. Quare cum Memphin venisset, inductum eum in aedem templumque Vulcani Aegyptii regni veste dignitati sunt et sella ac sessibulo dei. Tum ibi Alexander statuam quandam nigro lapide 37.
intuetur cum illa super Nectanabo inscriptione, imperatorem scilicet eum, qui fuga indidem abfuisset, rursus Aegyptum reventurum, non seniorem, enim iuniorem, eumque fore loci illius hostium subiugatorem. Statim igitur scripti istius causas diligentius quaerit refertque responsum, hunc illum Nectanabum fuisse, qui infestantibus Persis, cum deorum monitu praescivisset fortunae suae lapsum, locum casuum declinasset. Tum sese quaerentibus civibus oraculum datum, quod sub illa statua legeretur. Igitur Alexander his auditis involat statim *in* statuae complexum ac parentem salutat, eiusque se filium profitetur, ut congrueretur de responsione cum spe Alexandrum demirantium.

34. 'Unum tamen mihi de civitate vestra miraculo est,' ait, 'ecquid vis barbara adversus huiusmodi 38.
muros potuerit obtinere, quos coram cerno supra humanarum manuum violentiam pulchritudine pariter

3 simulacris T. simulatis *A.* 4 Sesonchosim T. se sorte sui *A.* 6 aedem T. *P.* eadem *corr.* *in* eandem *A.* Aegipti T. *A.* 7 dignitati T. dignatae *A.* *in marg. adscr. a correctore:* vel egyptii regni veste dignum eum duxerunt. sessibulo T. sessibile *A.* 8 Alexander cum T. lapide intuetur *om.* T. 10 abfuisset *A. P.* fuisset T. 13 causa *P.* 16 declinasse *P.* 18 datum *Mr.* datur *A. P.* Tum esse quaerentibus civ. orac. datum *Geyer.* 19 in *addidit Schlee. cf. p. 142, 14.* 21 congrueret *P.* ut congruerent verba responsionis cum spe *Geyer.*

34. 23 miraculo T. miraculum *A. P.* 24 et quod *A.* huiuscemodi *P.* 25 potuerat *A.* coram *P.* curam *A.*

ac firmitate congestos, praesertim undique fluminibus convallantibus, ut murorum quoque ipsorum haec sit firma munitio; aditus porro tenues angustique, quique agminibus militaribus inviabiles atque exim occursui perfaciles habeantur. Cuius quidem rei ipse periculum certius fecerim, quamvis huc manu parva, non congregato exercitu commearem. Enimvero haec est illa deorum aequitas ac providentia, ut vos, qui ex ubertate terrae praecluatis atque his fluminibus obvallemini, eorum violentiam sentiatis, qui ista non habeant. Quippe ad hanc opulentiam rerum si vis quoque et militare vobis exercitium adfuisset, nulla profecto gens foret, quae duabus hisce fortunae viribus obviaret. Est igitur ita natura descriptum, ut qui ista rerum opulentia sint donati, idem careant bellicis viribus, ut si quid illi, qui armis et manibus indulgent, de solo genitali indigebunt, ab huiuscemodi adfluentibus petant.' Hisce dictis exigit protinus ab Aegyptiis, ut quidquid illud pensuros sese Dario recepissent, id sibimet inferrent; quod quidem eo se petere testatus est, non ut opibus suis indidem incrementi aliquid pareretur, enimvero ut exstruendae urbis foret substantia largior. Haud cunctanter in haec Aegyptii obsequuntur datisque pecuniis et honorata deductione per Pelusium properantem votis pariter et vero amore prosequuntur.

35. Rursus igitur recepto omni exercitu et XXXV.
in Syrias itinere destinato urbes eas, per quas sibi *39.*
transitus foret, nomini suo addit; unde mille etiam

1 ac *om. P.* 2 convallentibus *P.* 3 *inde a verbis* 'aditus porro' *quae usque ad finem huius capitis leguntur, desunt in P.* 4 occursui T. occursu *A.* 6 manu parva *etc. cf. init. cap. 33.* congregatum exercitum T. 7 commearem *om.* T. 8 deorum T. *om. A.* 14 ita T. *om. A.* 15 qui T. quis *A.* donati T. donata *A.* 17 de *om.* T ab huiuscemodi T. huiuscemodi *A.* 22 paretur T.
35. 27 recepto *A.P.* recto T.

cum cataphractis viros accipit, quod armaturae genus orientis inventio est; ac tum Tyrum advenit. Sed enim Tyrii moenibus clausis ab ingressu oppidi arcere Alexandrum obfirmaverunt, non contemptu scilicet virium tanti nominis, sed oraculi cuiusdam memores, quo docerentur, quod si rex urbem Tyriam invectus cum exercitu transivisset, fortuna tunc lapsum oppido minaretur. Alexander tamen cum admolitus violentiam oppidum cuperet subiugare, ancipiti proelio, multis etiam Macedonum caesis ac vulneratis pedem refert. Praeter illud igitur prius magnanimitatis suae studium iam etiam indignatione ferventior excidium Tyriis minabatur deque ea re somniat admoneri sese, ne legationem sui Tyrum per sese faciat; id enim animo praedestinabat.

36. Missis igitur internuntiis litteras dat Tyriis 40
perferendas, quarum sententia haec est: 'Macedonum rex, filius Ammonis Philippique, rex regum maximus Asiae seu Europae vel Libyae, Tyriis haec dicit. Equidem Graecum et imperiale videbatur cum clementia pariter ac iustitia invehi urbem vestram. At enim vos primi omnium exstitistis, qui mihi insolentius obviaretis. Igitur per vos ceteris etiam magisterium procurabitur, quid virium sit in Macedonum dexteris ac fortitudine; neque enim vos iuvabit oraculi illius iactatio. Transgrediar enim oppidum vestrum, sed dirutum atque disiectum. Valete, si sapitis: non enim valebitis, si perseveratis.' His litteris lectis Tyrii 41
primates legatos protinus corripi iubent eisque mul-

1 armaturaec tenus T. 3 clausis T. obseratis *A. om. P.* ingressi *P.* 4 obfirmaverunt *A. P.* obsignaverat T. contemptu *A.* contepto T. contentus *P.* 7 fortuna tunc lapsum *A. P.* fortunae tunc lapsum oppidi dominarentur T. fortunae lapsus *Eberh. cf. p. 44, 16.* 11 igitur T. *A.* etiam *P.* 12 iam etiam T. *A.* iam *P.* 13 admoneri T. moneri *A. P.*

36. 17 sententias *P.* 19 seu *om. P.* 24 sit in *om.* T. 25 fortitudinem T. iubabit T. 27 enim *om. P.*

tatis pergunt exigere tormentis, quisnam eorum ipse Alexander foret. Sed de hoc, ut res erat, negitantes crucibus adfixere. His igitur incentivis exstimulatus Alexander inruptionem oppidi acrius agitabat et rursus in somnio Satyrum conspicatur assem sibi tyrum porrigentem eumque projectum sese pedibus protrivisse. Quod interpretibus haud difficile in enodando fuit. Tyrum enim proteri mox pedibus habere principis respondere. Ex quo sive admonitu sive impetu suo adgressus oppidum vehementius capit pariter ac vastat, indiscrete satis sexubus et aetatibus interemptis. Tres vero vicos, quorum navo auxilio ad operam bellicam usus erat, ad magnitudinem confrequentat urbis Tripolimque appellari iubet.

37. Tyriis ergo satrapam praeficit atque inde XXXVI.
Syriam pergens accipit litteras Darii Persae in hanc 42.
sententiam scriptas: 'Rex regum et consanguineus deorum consessorque dei Mithrae unaque oriens cum sole Darius ipse Alexandro famulo meo iubeo dicoque haec. Mando tibi reverti ad parentes tuos, famulos scilicet meos, atque illic in gremio matris cubantem doceri virile officium. Ad quam rem habenam Scythicam tibi et pilam loculosque cum aureis misi: quorum habena admonet te disciplinae videri indigentem, pila vero, quod eius congruat cum tua aetatula lusitatio, non haec opera, quam latrocinantium ritu cum tuis similibus es adgressus. Neque enim si omne eiusmodi hominum genus ad te pari despera-

2 negitantibus *P*. 5 in somnis *Eberh*. saturum *A*. saturnum *P*. assem sibi τυροῦ porrigentem *Mai*. assem sibi porrigentem *P*. caseum sibi porr. *Eberh*. 8 habere *Thielmann, in Wölfflini Archivio II, p. 175*. haberi *A. P*. Tyrum enim portendi mox pedibus teri principis respondere [interpretes] *Eberh*. 11 indiscrete *Mai*. indiscreta *A. P*. 12 navo *Eberh*. navi *A. P*. 13 urbium T.

37. 16 pergens *A. P*. petens *Eberh*. 18 concensorque *A*. 22 Ad hanc rem *P*. 27 *verba* 'ritu — hominum' *desunt in P*. 28 desperatione *P*. conspiratione *corr. ex* despiratione *A*.

tione conduxeris, adtemptare quatereve Persarum imperium queas. Tanta quippe mihi multitudo exercituum adest, ut quis promptius arenae quam nostri numeros adsequatur. Auri porro argentique ea copia, ut humum ipsam, si libitum est, consternere indidem possim. Quare tibi loculos auri refertissimos misi, uti si indigebis sumptibus ad reversionem, tibi tuisque habeas, quod subfecerit. Quod si hisce monitis ac praeceptis ulterius refragare, mittam protinus, qui te comprehensum huc transferant; non enim ut Philippi filius coercebere.'

38. His lectis ab Alexandro publicatisque me- XXXVI
tus plurimos quatiebat dictorum magniloquentiam con- 43.
templantes. Quod ubi Alexander mente intuitus est, in haec verba contionatur: 'O Macedones nostri, quid tandem adeo dictis barbaricis perturbamini? quae adrogantiae quidem vanitatisque habent testimonium, confidentiae vero carent probatione. Nam et canibus imbecillioribus mos est, quanto plus defuerit virium, tanto cristas acuere sublimius et latratibus inritatioribus indulgere. Haec mihi visa est competentior ad Darii iactantiam comparatio; quod enim praestare viribus non potest, verbis indulget. Ego tamen aveo cuncta perinde a vobis existimari, ut verbis etiam exprimuntur. Malo enim nos praesuspectantes aliquid difficultatis animis fortius praeparatis in rem bellicam vadere, quam fiducia hostium molliorum inopinatas offendere difficultates.'

39. Et ubi haec dicta sunt, corripi internuntios 44.
iubet crucibusque subfigi. Cuius supplicii merita cum

1 attemptare peterevere *P.* 3 ut quid *P.* 5 humum ipsi *P.* 8 his monitis *P.* 9 qui et comprehensum *P.* 11 cohercebere T.

38. 13 quatiebat *A. P.* capiebat T. 16 adeo *A.* ad deo *P.* quo arrogantiae *P.* 20 inritantibus T. 22 quod enim T. quod *A. P.* 23 aveo *Mai.* habeo *A. P.* 27 vadere *P.* vadare *A.*

a sese barbari defensarent ac ius legationis intemeratum sibi vellent, 'Non,' inquit Alexander, 'ex sententia vel moribus meis est forma praecepti; enim quoniam ut ad latronem a vobis ista suscepta legatio est, uti latronis etiam vehementiam iniquitatemque sentiatis.' Tum illi: nec Darium omnia pro merito eius potentiae cognovisse et se pariter opinione deceptos esse; haec cum dicerent, magnificis verbis eius exercitum praedicare viresque coepere confiteri tantas, quantas si rex quoque sedulo rescivisset, moderaturum profecto verbis fuisse. Tum Alexander neque sibi verum interficiendorum hominum consilium fuisse profitetur et maluisse potius ostendere, quid iniquitas soleat tyrannorum, quam iustitia Graeca permittat. Et post haec curari homines liberalius *45.*
iubet participatque convivio dapsili et adfluente. Eius convivii tempore cum unus e numero legatorum proditionem quoque sibi regis Darii subsereret, prohibitus ab eodem est ulterius super hac re addere, quam promiserat, praesertim cum is, qui ista dixisset, mox ad regem rediturus fortunae posset ansam improsperam dare, ne qua ab ipso quoque proditio aut proditionis causa quaereretur. 'Id enim demum ago,' inquit, 'non tam mei commodi cura quam vestri metuoque, ne cuipiam mali semen ac principium videar praestitisse.' Ad haec Persae verbis honoratioribus gratias confitentur; neque detenti ultra donatique omni auro, quod secum in loculis advexerant, ad regem cum litteris remittuntur, quae fuere huiusmodi:

39. 1 defensaret *P.* 2 ex sententia *A.P.* haec sententia T. 3 est forma] est *corr. ex* et *A.* et *P.* 7 et se *om.* T. 8 haec *om.* T.*P.* diceret T. 10 et moderaturum T. 18 subsereret *A.P.* subsederet T. 22 ab ipso T.*P.* ab illo *A.* 23 quaereretur *A.P.* proderetur T. 24 curam T.*P.* 25 metuoque *A.P.* metuo quoque T. mali semen ac] malus eius aut *P.* 27 omni eo auro *P.* 29 fuere *corr. ex* futurae *A.* fuerunt *P.*

40. 'Rex Alexander patris Philippi, matris XXXVIII.
Olympiadis, regi regum et consessori dei Mithrae simul- *46.*
que cum sole orienti, maximo Persarum domino Dario salutem dicit. Turpe mihi admodum videri solet tantum regem Darium et hisce viribus confisum, deorum, ut praedicat, consessorem, sub dicionem homullorum, ut retur, contemptibilium deventurum et inter eos abiecto cuidam ac latroni Alexandro serviturum. Quippe ista magnificentia nominum ubi semel cuipiam sit persuasa, corpora membratim vel spiritus eriguntur imprudentius. Magno dolori tibi fore ista, quae pronuntiantur, intelligo; ac si superna caelitum vis abusione huiusmodi in ultionem contumeliae suae facile consurgit, equidem spero priora esse, quae spondeo, quam quae tu minaris. Quare adero ut mortalis mortalem violentiam experturus, inclinationisque eius vis ac potestas est penes superos. Nam illud quaeso te: *47.*
quorsum tanto opere congestum est auri te et argenti opibus aestuare? An ut his cognitis, si modo eorum amor nobis est, spe praedae obstinatius et audacius dimicaremus? atque hinc fiat, ut superato te hinc quidem nobis in commune quaestus et emolumentum victoriae fiat, mihi vero istud, quo tute gloriare, Persidos cunctae orbisque totius accedat imperium? Sin tibi [*fors*] faverit, nihilum amplius quam oppressum latrocinium gratulabere. Adde nunc illud, misisse te mihi habenam unam vel pilam loculosque auri refertos: de quibus quamvis tu, quae visa fuerint, dicti-

40. 1 matrisque T. 2 concessori *corr. ex* concensori *A.* 4 Turpe — solet *om.* T. 5 his viribus *P.* deorumque *P.* 6 concessorem *A.* 7 et *om. P.* 8 quippe si *P.* 9 ubi semel *om.* T. 10 ericuntur T. erigunt *A. P.* imprudentius T. imprudentium *A. P.* 11 pronuntiatur *P.* 12 intelligo *om. P.* 13 consurgit T. *P.* consurgat *A.* 16 vis *om. A.* 18 congestis auri et argenti opibus aestuere *Eberh.* 19 Aut ut his *A.* 23 fiat *corr. ex* fuit *a multo recentiore manu A.* quod tute *P.* 24 accedet *A.* 25 fors *add. Mai.* 26 latrocinio *A.* gratulabere *Mai.* gratulare *A. P.* 28 dictitares *P.*

taris, ego tamen mihi ut auspicato cuncta ex te concessa ac sponsa profitebor. Accepi enim habenae scilicet potestatem, ut habeam, qua in subiectos uti scientius possim; pilae vero simulamen, quoniam ex ambitu sui et rotunditate orbis imago videatur, haud dubie mihi universitatis ipsius per te imperium repromittit. Quodque hic tertium est, loculos ego auri ac si opum tuarum factam mihi accepi cessionem, subiectumque te viribus meis annuum istud mihi fore pretium servitutis depensurum.'

41. His igitur litteris palam lectis atque signatis XXXI
redire internuntios iubet. Ipse tamen omni mox Syria 4
superata ac redactis eius gentibus in potestatem ad Asiam ire contendit. Enimvero acceptis Alexandri litteris rex Darius eisque gravius et adrogantius motus ad satrapas suos ultra Taurum regentes talem continentiam scribit: Nuntiatum sibi Alexandrum Philippi, insanientem admodum adolescentem, Asiam incursantem. Igitur sese oportere eum protinus obviantes compeditum ad sese dirigere: esse enim regi consilium, uti adfectus verberibus puerilibus amictusque post veste purpurea cum talis et crepitaculis matri reddatur: sic enim Macedonum pueros lusitare. Tum fore ut, cum illi praefectus ad observantiam disciplinae Persa aliquis comitaretur, virile officium rectius disceret. Igitur oportere satrapas quidem classem eius una cum navitis alto submergere, milites vero cunctos ferro vinctos ad Rubri maris ulteriora transduci, ut illic colere iuberentur; equos ceteraque militum impedimenta sibi ipsos habere privos amicisque largiri.
Sed hisce litteris nihilum ad metum satrapae moti 4

5 rotunditatis *A.* 7 Quodque id *P.* 10 pretium *om. P.* servitutis *Eberh.* servituti *A. P.*

41. 19 sese *P.* se *A.* 20 compeditum *Landgraf.* compertum *A. P.* correptum *Eberh.* 22 talis *P.* tabellis *A* ἀστραγάλους *Graec.* 27 navitis *A.* nautis *P.* 29 et ceteri quae *P.* 31 his *P.*

regi respondere: 'Hystaspes et Spinther deo Dario salutem dicunt. Miramur satis latuisse te, rex, tantae multitudinis impetum supervenire nostratibus, qui quales quantique sint, quo facilius noscitares, quinque, quos forte indidem captos haberemus, vinctos transmisimus, non ausi eorum ultra aliquid inquirere, quae sint fortassis melius regi praescitui. Boni igitur consules, quamprimumque cum exercitu vel potentissimo eidem obviabis.'

42. Sed ne sic quidem abiciendam mollien- 50.
damve Darius adrogantiam putat. Enim respondet ducibus memoratis, ultra illis spem vitae agendae iam deponendam, si modo creditis sibi finibus abscessissent. Quippe virtutes hosticas magnifice executos nihilum periculi monstravisse, quo reapse scire Macedonum fortitudinem potuissent. 'Et quem enim vulneratum,' inquit, 'vestrum, quemve interemptum audiens hoc coniectem?' Nihil igitur superesse, quam uti probro fuisse huiusmodi duces Persarum regno sentiret. Sed inter haec iam Alexandrum iuxtim posuisse castra XL.
noscit propterque vicinum fluvium mansitare. Igitur ad ipsum rursus et nominum adrogantiam et deorum consortium sibi vindicans gentiumque se centum atque viginti dominum praedicans ita scribit: 'Latuitne 51.
te solum, Alexander, Darii nomen honosque ille, quo nos donat atque participat supera maiestas? eoque ausus es transmisso mari Persas veluti hostis appellere? non beatissimum ratus, si contentus imperio

1 Staspes et Spyntes *P.* Spynter *A.* 6 inquirere *P.* fortasse T. 7 melius *om.* *A.* praesciuit *P.*

42. 10 nec sic quidem *A.* 12 agendae *Mai.* agere *A.P.* 14 magnifice *om.* *P.* 15 quo re ab se T. qua re ab se scire *P.* quare abscessu ire *A.* 19 eiusmodi T. 21 mansitare *P.* invisitare *A.* 22 arrogantium *P.* 23 se centum *A.* sexcentum *P.* 25 te *om.* T. Darii *om.* T. 26 donat T.*A.* dat *P.* 27 ausus es transmisso *Mai.* rursus ex transmisso *A.* rursus retransmisso *P.* appellare *A.*

Pellae ac Macedoniae secessu audaciam tuam inter proximos iactitares? Enimvero usurpas et regium nomen et congregata tibi ad societatem sceleris parilium conspiratione hostem te nostri profiteris, cui quam longe praestantius foret id inter Graeculos iactitare, quos Graecos fere ut inutiles nec necessarios Persarum regna non quaerunt. Sat igitur habeo vel hoc tantum imprudentiae signum, quod ratus nos vestratibus similes huc contendisti. Quin ergo errata corrige nec addas huiusmodi facinoribus incrementum. Est enim scire nos, quibus deorum pariter et prudentia et dignitas favet, peccatis istis ut hominum subvenire. Censeo igitur, ut adorandum me venias, ne contra inobsequens poenam pro venia merearis. Quod ut tibi ratum sit, Iovem iuro et parentes meos omnem tui iniuriam protinus e meo pectore recessuram.'

43. Et haec quidem scripta regis Alexander XLI
legerat. Enim ulterius non verbis, sed gladio agen- 52.
dam rem ratus per Arabiam exercitum ducit atque in aequore, quod agendae rei opportunius videbatur, aciem extendit. Qua inspecta Darius spem primam eamque vel maximam in falcatis curribus ponit, qui ut facilius aciem hostium incursarent, a latere conlocantur. Sed id consilium Persae disici Alexander facilius opinatus incurrentibus curribus per acies phalangasque locum transitui pandi praedicit tumque in

1 secessu T. sessu *A.* esses si *P.* 2 usurpas et T.*P.* usurpasse *A.* (sse *in litura*). 4 palilium *A.* conspirationem T.*P.* 5 praestantius T. praestantia *A.P.* 6 inutiles nec necessarios *P.* inutiles necessarios *A.* inutiles necessario T. 10 corrigis nec das T. corriges nec des *P.* 11 nobis *superscr.* vel nos *A.* nobis T.*P.* 12 istius T. 13 igitur ut *A.P.* enim T. ne *A.P.* nec T. 15 tui *A.P.* tibi T. 16 e *om.* T. recessuram] *in A. superscr.* vel recensuram.

43. 17 rex Alexander *P.* 20 quod *superscr.* vel quo *A.* 22 eamque *A.P.* meaque T. 23 collocat *P.* 24 dissici T.*A* dissicit *P.* 25 opinatus T. inopinatus *A.P.* 26 locum *A.P* loco T. pandi *A.P.* prendi *corr. ex* prandi T. praedicit T.*A* praecepit *P.*

transvehentes peditum suorum iacula torqueri: eoque perfectum est, ut brevi omnis ille curruum numerus teneretur una equis et aurigantibus fixis. Igitur sedata formidine, quam Persae de curribus intentaverant, aequatum omne proelium videbatur. Agebat porro Alexander in dextro cornu, quod laevo scilicet Persico obviabat. Inscenso igitur equo signum increpari bellicum mandat, unaque coeuntium clamor adtollitur ancipiti satis, proelio ac diuturno. Cum interea sinistrum cornu Macedonum a Dario, qui in dextris suorum agebat, vi maiore pelli conspicatur implicatosque ordines universos non tam discriminum necessitate quam multitudinis, inconsulto subpetiari laborantibus properaverat. Exim pari utrimque oborta caede cum 53
spes exitus fluctuaret, repentino forte imbri procedente, vel adversari sibi caelites id Persae interpretati vel ad elementi eius iniuriam molliores fuga facessunt unaque his Amyntas Macedo, Antiochi filius, qui olim transfuga Darii amicitiam cooptaverat. Quippe fugientibus et tempus horae blandiebatur, quod vesperascens foeditatem fugientium pariter et periculum pertexisset. Darius tamen [*difficilius*] ratus delicatiore illa fuga et vehiculo regali periculum evitare, quodque e suggestu regiae turris promptius conspicabilis foret, currum quidem in loca quaedam abdendum mandat et avertendum, ipse autem equo conscenso properantiae consulit.

1 peditum *A. P.* militum T. 4 formininе *P.* 7 Inscenso *A.* incenso *P.* conscenso? 11 pelli *Mr.* belli *A. P.* conspicatur *corr. ex* conspicatus *A.* 14 utrique *P.* 15 procedente *codd.* procidente *Vinc. Bell. et Mr.* 16 coelites *Maehly.* caelitus *A. P.* 17 fugam *P.* fugam capessunt *Epit. cf.* II, 28. 19 coaptaverat *A.* ceptaverat *P.* captaverat *vel* coeptaverat *Eberh.* cooptaverat *Mai. Mr.* 20 horae *Eberh.* ore *A. P.* 21 pertexisset *corr. ex* protexisset *A.* protexisset *P.* 22 difficilius *addidi.* deligatiore *A.* delicatione *P.* 23 vehicula *A.* delicatiorem illam fugam scilicet vehiculo *Eberh.* periculum proten' sed evitare *P.*

44. Sed enim Alexander hanc sibi peculiarem *54.* gloriam adpetens, si rex fugiens comprehenderetur, animosius insecutus currus quidem armaque regalia matremque una et uxorem cum virginibus filiabus emensis stadiis sexaginta comprehendit; ipsum vero Darium non minus tenebrosior nox quam cursus velocitas liberaverat quippe iam primum in haec et huiuscemodi fortunaria dispositis equis et itinere proviso. Macedones vero potiti victoria in castra Persica migravere unaque Alexander tentoriis regiis superveniens expertus ibi primum est una cum militibus suis fortunae illius ac victoriae emolumentum. Neque mage *55.* uspiam continentis animi moderamen Alexander potuit ostentare, quam quod in hoc fortunae favore ex aequo suae atque adversae partis iniit rationem, non secus scilicet probatis hostium navioribus, qui pro patria fortiter oppetissent, quam si quis suorum strenuus exstitisset. Cunctos igitur, quos in bello nobilitaverat militiae experimentum et mors inclytos fecerat, inquiri prostratos et magnifice sepeliri et sepulcris honorari iubet. Matrem porro Darii una cum uxore filiabusque cultu regio prosequebatur, ac si qui praeterea in potestatem hostium devenissent, fortuna pristina donabantur. Enimvero cecidisse tunc Macedonum satis constat peditum quidem septingentos, equitum

44. 2 appetens *corr. ex* petens *A.* petens *P.* 9 vero *A.* igitur *P.* 21 *Post* honorari iubet *ita pergit P.*: et quemque vulneratum curari. quamvis ipse foret gravi femoris saucius vulnere. Audito tamen captarum mulierum Darii ululatu, quibus visa arma Darii et currus opinionem caesi regis afferebant, et iisse ad eas fertur et honorifice vidisse regieque observari iussisse. Ubi additur testimonio Efestiona una cum vidissent indiscretius cultum de actu corporis melius opinatas ipsum pro Alexandro salutasse. Sed hunc errorem matre Darii erubescente dixisse regem nihil eam erroris eius paenitere debere. mutoque enim se Alexandrum salutantem. Matrem porro Darii una uxore *etc.* porro T. vero *A. P.* 24 donabantur T. *P.* dignabantur *A.*

porro centum et sexaginta, sed vulneratorum numerum in duobus milibus exstitisse. Contra Persarum desiderata quidem centum et viginti milia, praedae autem una servitiis pecuisque et quae vehebant pecunia fuit talenta quattuor milia.

45. Sed Darius fuga reversus longe auctiore XLI
numero contracto in Alexandrum moliebatur suisque 5(
undique convenire, in quantum manus armari potuerat, iubet. Id tamen comperiens Alexander ex hisce exploratoribus, qui in dicionem Macedonum devenissent, omniaque illa Darii milia iuxta Euphraten castra posuisse, ipse quoque ad Scamandrum, ducem suarum partium, qui curabat tunc Macedoniam sese profecto, scribit omnis phalangas, quas [*haberet*], armare, aut si quid praeterea in auxiliis virium foret, propere admoliretur, neque enim hostis longius adsidere. Quae dum pro commodo festinantur, ipse una exercitu Achaia peragrata multisque praeterea civitatibus receptis aut quaesitis etiam centum et septuaginta milia collegit armatorum Taurumque transducit. Tumque summo in culmine Tauri montis hasta defixa dixisse fertur, quisquis illam rex milesve Graecus aut barbarus humo evellere ausus foret, edictum sibi urbis ac patriae suae suisque excidium meminisset.'

46. Ipse tamen ad civitatem Pieriam, quae Be- 5
bryciae urbs habetur, iter exim fecit; qua in urbe et

1 numerum *Mai.* hominum *A. P.* 2 in *om. P.* duabus *A.* 4 pecuisque *A.* pecuniisque *P.* pecusque T. *inter* Persarum *et* pecusque *in* T *tres versus fuerunt, quos legere non potui; verba in A et P tradita duorum tantum versuum spatium in* T *complerent.*

45. 7 novum proelium moliebatur *Eberh.* 8 undique *A. P.* unicuique T. 9 his *P.* 11 iuxtim *P.* 12 Scamandrum *A. P. Epit. Graec.* Cassandrum *Mai. Mr.* ducem *A.* decem *P.* 13 qui *P.* quique *A.* 14 haberet *addidi.* armaret *Mai. Mr.* 15 propere *P.* propterea *A.* 20 Tuncque *P.* 21 de defixa *P.* 22 *a* 'Graecus' *usque ad* 'patriae' *in* T *tres versus sunt, qui legi nequeunt; verba in A et P tradita duorum tantum versuum spatium complent.*

46. 25 bebriciae T. quam Habruchiae urbs habetur *A.* quae Babruciae dicitur *P.*

templum opiparum et simulacrum Orphei erat admodum religiosum. Ibidem Musae etiam Pierides consecratae videbantur unaque omnigenum figmenta viventium Orphei musicam demirantia. Cum igitur admirationis studio simulacrum illud Alexander intueretur, sudor repente profluere et per omne simulacri illius corpus manare visus non sine admiratione videntium fuit. Motus ergo portenti novitate coniectatorem vel celebratissimum Melampoda sciscitatur, quid tandem ille sudor sibi simulacri minaretur. Tum ille: 'Sudor sane largus laborque,' ait, 'quam prolixissimus tibi quoque in his rebus praesentibus, o rex, erit; quippe et gentium peragratio et operum difficultates tete manent, quod illi quoque Orphei fuit, qui peragrans urbes Graecas et barbaras ad favorem sui animos admirantium flexerit.' Hisce auditis Alexander *58.*
honore quam largo Melampoda muneratur. Eximque in Phrygiam venit atque illic Hectora Achillemque unaque alios heroas divum honore participat. Praecipue tamen Achillem veneratur ac rogat, uti sibi et ipse faveat et dona, quae ferret, dignanter admittat. Haec enim a sese non ut ab externo ac superstitioso, verum ut consanguineo ac religioso dedicari:

Hinc primus extat Aeacus Iovis proles,
Atque inde Peleus Phthiae regna possedit,
Quo tu subortus inclyta cluis proles;
Pyrrhusque post id nobile adserit sanguen,
Quem subsecuta est Pieli fama non dispar;
Pielique proles Eubius dehinc regnat.

2 ibidem *A.P.* eidem T. 5 illud Alexander *om. P.* 11 Sudor sane largus *etc.* T. *P.* sudor sane largus labor est qui erit quam *etc. A.* prolixus *P.* 12 his *om. P.A.* 13 et *om. A.P.* 14 manentem *P.* orfei T. *P.* Orpheo *A.* 15 barbaros *P.* faborem T. 17 largo *A.* longo *P.* *In margine cod. P. hic adfertur* 'ex alio auctore' *locus Itinerarii cap. X* (*ed. Volkm.*): Fuit tamen Alexandro — pactus est. 18 unaque *A.P.* una T. 20 veneratur T. muneratur *A.P.* 22 ut *om.* T. 24 eacus T. *P.* itachus *A.* iobis T. 25 phthyae *A.P.* pueriae T. 28 Pieli *Mai.* pieri T. *P.* pueri *A.* 29 Pielique *Mai.* pierique *Codd.* eubius *A.P.* ubius T.

Post Nessus ardens excipit domus nomen,
Argusque post id, qui potens fuit Xanthi.
Ex hoc Arete nobilis genus ducit.
Areta natus Priami nomen accepit,
Tryinus unde, et Eurymachus post illum,
Ex quo Lycus fit dives, et dehinc Castor.
Castore natus est Dromon, qui dat Phocum.
Atque hinc suborta est Metrias, quae suscepit
Neoptolemei nominis vicem dignam;
Cui substitutus Charopus. Hic Molossorum
Regni potitus auctor exstitit stirpis
Nostrae..............................
....erit que viscus inclytum matris,
E qua subortus vestro sanguini adnector.
Quaesoque nomen adseras tuum nobis,
Bellisque praestes gloriasque subtexas,
Velut feracis seminis ◡ _ fructum,
Quod cuncta late spatia terrae pervadat:
Unaque metis nostra fac Phaethonteis
Regna explicari, mundus adserat cunctus.

47. Haec precatus in istum Alexander modum *59.* ibidem flumen Scamandrum cum videret clipeumque Achilli templo Herculis consecratum, nec alvei illius latitudinem demiratus nec magnificentiam clipei pondusve famosum, 'O te beatum Achillem,' fertur saepe dixisse, 'qui Homero praedicatore celebraris!' His auditis ab eodem cum multi admodum litterati studiosius erga amicos religioneve tracti iter eius prosequerentur parique sese stilo opera sua prosecuturos esse promitterent, optasse se dixit vel Thersitem apud Homerum mage, quam apud scriptores eiusmodi Achil-

1 domos *A.* 3 arete *A. P.* aretes T. ducit T. *P.* duci *A.* 4 accepit *A. P.* accipitis T. 5 Trynus *P.* in dus T. erimachus *A. P.* 6 licus T. *A.* lucis *P.* Castor *om.* T. 8 hinc suborta est Metrias quae *om.* T. 9 Neoptelemei *A.* Neoptolomei *P.* Neoptolemi T. 12 *exciderunt nomina Alcetae et Neoptolemi. cf. Paus. I, 11.* 13 erit qui viscus inclitum T. sicque iustum inolitum *A.* eritque iustum inclitae *P.* 14 adnector T. *P.* adnotor *A.* 18 late *P.* lex *A.* 19 fac *om. A.* fac et hoc teis *P.* 20 cunctus *P.* totus *A.*

47. 22 clypei *A.* clipeus *P.* 25 Achilles *P.* 27 studiosius *Codd.* studio eius *Schlee.* 28 religionemve tractum eius *P.* 29 persecuturos *P.* 31 mage *P.* magis *A.*

lem putari maluisse. Huc usque tamen comes eius itineris ac laboris mater Olympias fuit. Sed exim participato convivio cum illam ad Macedoniam remisisset, dat una ducere comitatum spectabilis multitudinis optimatium captivorum; ipseque devertens iter instituit ad Darium.

48. Igitur cum sibi per urbem Abderam trans- XLIII.
itus foret, obseratis urbis suae claustris Abderitae, eum 60.
ne reciperent, obfirmaverant. Id contumeliam ratus et convenire protinus milites et urbem illam igni vastare mandavit. Sed legatione Abderitae docent sese illud non odio contemptuve Graeci regis eiusque iustissimi factitare; enim metuere impetum barbarorum motusque Darii inconsultiores; cui si potestatis aliquid in sese relictum foret, non absque poena Abderitarum fore, quod Alexandrum in amicitiam contra Persae commoda receptassent. 'Igitur reverso tibi,' aiunt, 'et victori parebimus.' Ad haec rex illum, quem conceperint de Dario metum, abicere supplices iubet neque ulterius eius vim atque impotentiam formidare. Nunc tamen se velle, respondit, urbem quam confidentissime reserent, se in praesenti oppidum haud ingressurum. 'Enim cum revenero,' inquit, 'non hospes
vobis, sed amicus ero.' His dictis iter ad Euxinum XLIV.
tendit omnesque sibi urbes eius litoris vindicat.

49. Equestri denique Neptuno sollemniter ope- 61.
ratus ad Maeotim paludem venit asperam satis et inviabilem prae rigore. Quae circa occupatus omnibus hisce deficitur, quae ad alimoniam requiruntur. Igitur

1 comes *om.* *P.* 2 ab laboris *P.* 5 iter *A.* iam *P.*
48. 7 abdiram *A.P.* 9 inciperent *P.* 11 mandare *P.* 14 potestatis *Mr.* post ineatus *A.* post maius *P.* aliquando *P.* 15 fore *P.* foret *A.* 16 Alexandro *P.* 17 receptasset *P.* 18 illi *P.* conceperunt *P.* 20 eius *om.* T. 21 nunc T.*P.* nec *A.* se *om.* T. quam fidentissimam T. 22 aut T.*A.* *om.* *P.* 23 hospes et amicus vobis ero T. 24 Hisce dictis ad iter euxinum tendit omnes sibi T.
49. 29 Igitur *om.* T.

fame obsessus ita praesentibus consulit, uti equos militum interfici iuberet eisque milites vesci. Enimvero quamquam id consilium ferme ex necessitate sequerentur, tumultus tamen et indignatio omnium congruebat, veluti studio factum, ut necessitate praesenti spes sibi futura laberetur. Quare cum omnis militaris observantia solveretur neque ad custodiam solitam vigiliae ceteraque munia servarentur, rex motus in haec verba contionatur: 'Neque me fugit, fortissimi *6.* milites, rem militiae necessitatisque bellicae prima subsidia equos haberi oportere, quos ego interfici iusserim et de usu illo ad alimoniam victumque proficere. Sed cum in ea re duorum nominum periculum versaretur, ut aut equis aliti viveremus aut hisce servatis vel priores vel pariter oppeteremus, secutum me fateor consilium, quod pro deteriore melius videbatur. Quippe spem foveo diis coepta iuvantibus fore, uti cum primum gentem aliquam et subsidium uberius nacti fuerimus, equos quoque haud deterioris usus parare sit nobis facultas. Quippe si vos, quod omnes superi difflaverint, detestabili illa necessitate ac fame animas poneretis, milites quidem forsitan possem, sed Macedonas milites ubinam repperissem? Quare animos reformate in melius vobisque suadete nullum esse vestrum adeo sui amantem atque sollicitum, quem non pro se mea cura praevertat.' Hisce dictis sedati erant animi militum revocatisque viribus ad officia castrensia sese converterant. XLI

50. Quare perculsis plurimis civitatibus iter in *63*

1 obsessus *P.* obsessos T. obsessis *A.* 2 iuberet T. *P.* iubeat *corr. ex* iubet *A.* 3 quamquam ad consilium *P.* ferme T. *om. A.P.* 6 cum T. *P. om. A.* 9 me *om.* T. 12 iusserim T. *A.* iusseram *P.* de usu illorum *Mr.* vinctumque *P.* 17 iubantibus T. 20 si vos T. *corr. ex* sivis *A.* sivis *P.* 22 ac fame T. fame *P.* famis *A.* 24 vobisque *A.* vobis *P.* 26 prose mea cura praevertet (tat?) T. praesumo mea cura praevertet *P.* pro sūma cura praevertat (m̄a *in litura*) *A.* His *P.* 28 castresia *P.*

50. 29 percolsis T. percussis *P.* persis *A.* civitatibus *om.* T.

Locros protinus vertit. Qua in urbe refectis animis omnium Agragantum tendit. Eam urbem ingressus nihilum moratus scandit Apollinis templum sacerdotemque, quae ibidem antistabat, solitam vaticinari in id ipsum coepit urguere. Enimvero cum vates dei in se spiratione cessante nihil tale se posse fateretur, Alexander motus, ni faceret, interminatur tripodam quoque se ad Herculis fabulam sublaturum. Et cum dicto aufert scilicet tripodam, quem Croesus quidem opulentissimum consecrarat; sed per eum divino spiritu commeante vaticinari antistitem fas erat. Tum fertur ex adyto vox ad Alexandrum: 'Id quidem, quod tu facis, Hercules fecit et ille deus et tu divinitati iam destinatus. Quare te par est nihil in nostri contumeliam niti, si modo virtutibus tuis ex favore numinum consulis.' Hisce dictis ex adyto addit et vates: 'En vides, rex, quod illa tibi numinis praestigiat divinatio, quae et Herculem et Alexandrum vocat. Igitur praenuntio tibi fore actus tuos humanorum omnium fortiores nomenque per saecula porrigendum.'

51. Hinc cum Thebas Alexander transcendisset XLVI.
peteretque Thebanos indidem armatorum mille comi- *64.*
tatum, Thebani portas post haec praecepta clauserunt, factique eius temeritatem cum supplicatione non excusassent, arma sumpsere et ad resistendum violentiae Alexandri sese paravere; adduntque his illud: quingentos armatos e suis muris insistere ac voce maxima

1 qua *om.* T. agragantiis ostendit rex urbem T. 2 *Quae a verbis* 'Eam urbem' *usque ad finem huius capitis leguntur, om. P.* 6 se *om.* T. 9 tripoda T. 10 opulentissimo T. 11 antistites T. 12 *Versus Eberh. ita restituere conatus est:* Id quidem quod tu facis | Ille fecit Hercules | Ut divinitati iam | Destinatus et deus | Quare et te par est nihil | Nostri in contumeliam | Niti, si modo tuis | Consulis virtutibus | Ex favore numinum. 14 nostri *A.* nostris T. 17 vatis T. illud T. praesgia T. 18 quae Herculem Alexandrum T. 19 praenuntiari fore T.

51. 21 Alexander *om. P.* 23 clausere *P.* 24 excusarent *P.* 26 se praeparavere *P.* 27 ad vocem maximam *P.*

clamare iussere atque Alexandro dicere, uti aut veniret ad proelium aut de moenibus et obsidione discederet. Sed ad haec ridens Alexander, 'O vos fortissimos,' ait, 'qui cum ipsi custodiam vestri murorum vallo teneatis, nobis praecepta bellandi praebetis!' Igitur gerendum his ait morem proeliaturumque se minatur, non ea tamen opinione, qua cum fortibus disceptaret; enim protinus iubet mille quidem equites circumvallare *6*
eos, qui in muro constiterant, pedites vero securibus vectibusque adgredi claustra portarum ac fundamenta subruere murorum. Non enim difficile esse id aedificium armis excidere, quod per lyrae cantus et musicam tumultuario convenisset; et statim inici flammas arietesque admoliri iubet, quorum crebro et vehementi admodum pulsu non difficile nec diu casus omnium est moratus. Ipse vero cum [mille] funditoribus totidem obire discursim, adeo ut omni telorum genere fatigatos aut prosternerent Thebanos aut vulnerarent. Atque ita tertio fere die conlapsis omnibus, quae obstabant, invehitur Alexander Thebas eamque diripere exscindereque festinat tot scilicet saeculis et Cadmi ceterorumque imperiis nobilem.

52. Ad quam fortunam ceteris praestupescentibus *6*
prae vi malorum uni tibicinum forte consilium subit aptare tibias et melos, quam posset fabrile, canere regis pedibus provolutum. Quod cum Alexander videret acuto et religioso consilio efficax multum atque ad movendam sui misericordiam esse provisum, tunc auloedus ille manibus extensis:

2 subsidione T.*A.* obsidione *P.* 3 fortissimos *A.P.* *in A superscr.* vel stultissimos dixerim. 4 ait *P.* at *A.* 7 disceptaret. Enim *Kluge.* disceptare. Etenim *A.P.* 11 id aedificium *P.* ad aedif. *A.* 15 non difficile ⟨muri succutiuntur⟩ *Eberh.* 16 mille *del. Eberh.* 21 exscindereque *A.* et scindere *P.*
52. 25 febrile *A.* flebile *Mai.* 26 provolutus *A.* 28 *post* provisum *Eberh. inserit* permisit. 29 auloedus *Mai.* aulo eius *A P.*

Hancine tu urbem, maxime regum Alexander,
Properabis exscindere, quam tibi dii
Immortales, prosapiae tuae principes,
Pepererunt? nonne te subit hinc Liberum
Ortum? hanc Herculis esse nutricem,
Hinc illa orgia et praestantissimos
Deorum cultus diffusos esse per mundum?
Boni igitur consules ac facesses
Ab hac tam sacrilega voluntate.
Neque enim, si quid inpatientius
Ira belli mandavit, non mox te
Ad poenitentiam reversurum....

Addebat etiam:

Hos tibi muros, haec moenia Zethus ille
Vel Amphion, stirpis tuae pars maxima,
Apolline Musisque adminiculantibus
Fecit. Nec vides in rem tuam tuique
Generis gloriam te saevire? Quid quod
Idem illi dii, praestites et maiores tui,
Laetitiam suis et ultionem ex hostibus,
Pacem denique etiam ignotis
Maiestate sui et virtutibus peperere?
Hoc Liber ex India, hoc nobis Hercules
Ex omni terrarum orbe procurat:
Quorum te malo imitatorem potius
Quam invidentem fuisse. An tibi putas
Sine sacrilegio rem futuram
Locum istum ferro et igni populari,
In quo Semelen suam rex deum Iupiter
Maritaverit, in quo Alcumenam quoque
Eiusdem Iovis ulnae dignitatae sunt?

53. Addebat et fabulas, quaecumque Thebanae *67.* sunt, et memorias religiosas, quas vetus historia commendat. Sed hic commotior rex 'Quam vellem,' in-

4 peperunt *A*. 6 origa et praesentissimos *P*. 8 facesse *A*. 10 impatientius *Eberh*. impatientibus *A. P*. 12 *ante* reversurum *Mai inseruit* arbitror. 14 Hos muros *P*. 18 quicquid *A*. 19 illi idem dii praedites *P*. 21 etiam *T*. tum *A. P*. 22 pepere *A*. 28 populari *P*. postulari *A*. 30 alcmenam *A. P*. 31 ulnae dignitatae sunt *Keil*. eiusdem iovis iune (*vel* uine?) dignitate sunt *P*. isdem iovis dignatus sint *A*. idem toris dignatus sit *Eberh*.
53. 34 vellet *A*.

quit, 'o tu, qui civium tuorum infortunio subfragaris, consultor potius fuisses in melius et illic tuam prudentiam exercuisses, ubi cautione opus fuerit, non huiusmodi experimento! Quare neque tibiis vinci pectus martium potest nec contumelia militaris tam artificio quam supplicatione sopitur.' Et post haec peragi omne excidium iubet. Sed Thebani, quicum- XLV
que fugae contra eversionis suae impetum consuluerant, ubi tempus fuit, congregati sciscitatum Apollinem mittunt, ecquid sibi redintegrare urbem Thebanam fata permitterent. Ad haec igitur huiusmodi Apollinis est responsum:

> Maiugena, Alcides, et Pollux cestibus auctor
> Arte sua Thebis reditum cultumque dedere.

Hac sorte data opperiebantur Thebani, si quid tale proveniret.

54. Alexander vero cum Corinthum devenisset 6
eamque occupavisset, forte acciderat sollemne certamen gymnicum apud illos agitari; unde Corinthii quoque, uti adesset atque illi certamini praesideret, magnopere contendunt. Adnuit igitur rex; cumque plurimos pro merito coronis donisque largissimis muneraretur, Thebanus quidam, cui Clitomachus nomen esset, certamen luctae profitetur idemque de cestibus pugnam atque identidem pugillatum; denique tria ista certamina idem profitetur et subit. Ergo cum primum luctando adversario praestitisset coronamque laboris exegisset, iubet Alexander cetera quoque eundem prius exsequi, quae promisisset, quaeque si pari fortuna obtineret, nihil omnium fore, quod sibi petenti rex negaret. Igitur usus fortitudine atque fortuna cum cestibus potior et pugillatu felicior foret,

5 militaris artificium quam supplicatione *P.* 7 omne *om. A.* 8 fuga controversionis *P.*

54. 19 apud chias *superscr.* vel illos *A.* apud pthias *P.* 28 exegerit T. 29 quaequae *A.* quae *Eberh.* 32 cum esset cestibus *A.* cum celestibus potior ut pugilatu *P.*

revertitur ad regem coronandus. Sed ab eo cum *69* quaereret praeco more sollemni, quis esset nomine quemve se civem profiteretur, ut illud ex more praedicaretur, Clitomachum quidem se appellari ait, civitatem vero habere desisse. Sed id cum coronis redditis iam deesse diceret Alexander gloriae victoris illius, addit Clitomachus olim se habuisse etiam civitatem, sed priusquam Alexander regnum adeptus foret; eo vero imperante sibi patriam deperisse. Hinc intellecto, quo pergeret intentio deprecaturi, uti suum esset, quod ille foret pro patria petiturus, edici per praeconem iubet: condi Thebas esse permissum in honorem scilicet trium deorum, Mercurii, qui repertor luctandi cluat, Herculisque, qui pugillatus invenerit, Pollucis etiam, qui cestibus sit magister. Eoque effectum est, uti oraculum Apollinis congrueret cum Alexandri pronuntiatione.

1 revertit *P*. 2 et praeco *A*. 6 Alexandri *corr. ex* Alexander *A*. victor *A*. 10 deprecaturi *A.P. in A corr. in* deprecantis. 11 illi *P*. per praeconem T. praeconem *A.P.* 13 honorem *Mr*. honore *A.P.* 14 pugillatos *P*. *Subscripta sunt in A et P haec:* 'Iulii Valerii Alexandri Macedonis Translatae (translata *P*) ex Aesopo Graeco Liber Primus explicit (*om. A*) Qui Est Ortus. Eiusdem Incipit Liber secundus feliciter' *in* T: IVLI VALERI ALEXANDRI VCI POLEMI ALEXANDRI MACEDONIS ORTVS LIBER PRIMVS EXPL INCIPT ACTVS EIVSDEM LIBER SECVNDVS.

LIBER SECUNDUS

QUI EST

ACTUS ALEXANDRI.

1. Igitur Alexandro iter e Corintho Plataeas I.
erat, urbem quidem illam operis maximi populique, *1.*
enimvero religioni intentam Proserpinae deae, cuius templum etiam erectum ad magnificentiam visitur. Sed forte illo in tempore annuo sacro tegmen numini parabatur. Coniectura vaticinandi sacerdoti eiusmodi fuit, multum ad gloriam gestarum rerum et gerendarum eidem Alexandro auspicari, quod illo in tempore sacris supervenisset; idque responsum et ad spem et gaudium illi fuit, liberaliterque acceptam vatem a se dimittit. Enim et aliud testimonium vati ad veri- *2.*
dicentiam forte tale provenerat. Stasagorae quippe, magistratui Plataeensium, postea ingresso templum locumque eum, in quo idem tegmen numini texeretur, cum ei perexiguum superesset, adversum ea vates, quae secunda Alexandro praecinerat, illi respondit eumque ait magistratu suo protinus deponendum. Quod cum inclementius vir ceteroqui melioris conscientiae accepisset, in iram commotionemque conversus incre-

1. 4 Igitur *om.* T. 6 intentum *P.* 7 magnificentia *P.* 8 *Quae a verbis* 'Sed forte illo' *usque ad verba capitis secundi* 'contumelia temperavere' *leguntur, om. P., qui solam hanc sententiam exhibet:* Dirigunt autem Alexandro Athenienses litteras, in quibus nec a regis quidem contumelia temperavere. 12 sacris *scripsi.* sacri *A.* 16 Platensium *A.* 19 eumque ait *Mai.* eum quaerit *A.*

pare vatem falsidicentiae coeperat. Verum ad haec
sacerdos: 'Ne sane,' inquit, 'moveare his dictis, o vir;
nam cuncta ista, quaeque hominibus divinitus prae-
noscuntur, colligi coniecturis argumentisque praenosci 4
diis sedet. Accipe denique argumentorum vias. Quippe *3.*
ut illud melioris spei Alexandro diceretur, id temporis
supervenerat, quo insigniri vestis intextu purpurae
coeperat. Id enim demum ad ornamentum rei prae-
paratae adhibebatur. Enimvero, ut vides, iam textu
ferme completo et labore omnis operis absoluto tumet
ingressus. Igitur quod ista vestis ab opere laboris
pausam haberet, idcirco non ab re visum est tibi
quoque terminum magistratus futurum.' Id cum altius
animum Stasagorae descendisset simulque metu po-
nendae potentiae ageretur, quo vates sibimet, non
Stasagorae contraria praedixisset, ipsam illam sacer-
dotio deduci iubet.

2. Quod cum Alexandro nuntiatur adversum II.
iudicium et gratiam suam Stasagoram nisum, graviter *4.*
infestus eundem illum, ut praedicatum fuerat a sacer-
dote, spoliat magistratu sacerdotemque loco restitui
iubet. Quod igitur Stasagorae magistratus ab Athe-
niensibus datus foret, eo recurrit ibique iniuriam facti
deflens opem ab his, a quibus dignitatem illam ac-
ceperat, imploravit. Animo incitatiore Athenienses ne
verbis quidem a regis contumelia temperavere. Quibus
acceptis Alexander in hanc sententiam litteras ad
Athenienses dedit: 'Equidem me scio post susceptum *5.*
patris mei regnum procuratione fortunae iampridem
occiduo orbe disposito, idque per litteras, pacatisque
his partibus et ad auxilium exercitus mei commilitio

7 purpurae *Mai.* purpureae *A.* 15 quo *coni. Mai.* quod *A.*
2. 19 graviter infensus *Eberh.* 28 ceptum *P.* 29 iam pridem *A.* etiam primum *P.* 30 orbe composito *Eberh.* pacatisque *Haase Miscell. phil. II, p. 26.* paratisque *A. P.* 31 exercitus mei *Haase loc. cit.* eius mei *A.* et auxilium mei *P. et* T. (?)

copulatis gratiam reliquis eius studii fecisse, contentum his modo, qui mecum a Macedonia inierant hunc laborem, quorumque comitatu Europa nobis omnis accesserat. Sed ex his omnibus Thebanos quidem non levi de causa occidione interemi. De Atheniensibus vero spes mihi erat dextros mihi satis et obsequentes futuros. Enim cum secus dictis vos insolentibus velitatos audierim, accipite sententiam meam non verborum scilicet agmine gloriantem — quod decentius fieret a potentiore —, verum uti sciatis boni vos consulturos, si praeceptis mandatisque nostris libentem operam commodetis. Aut enim meliores esse oportet aut melioribus obsequentes. E qua re mille annua talenta dependi mihi ab Atheniensibus iubeo.'

3. Ad haec illi rescribunt: 'Non nos diffitemur II.
et patris tui vita diu offensos et eius morte gavisos 6.
esse; quod idem iam coepimus tui quoque velle, iuvenis inconsultissime, cum tibi ab Atheniensibus dependenda mille talenta scripseris, uti scilicet inter nos principium bellandi parares. Quod si tibi tanta est confidentia, paratioribus occursabis.' His rescribit 7.
Alexander in haec verba: 'Iam quidem miseram Leontam, qui vos excisos linguis ulcisci vecordiae potuisset vestrosque una oratores ad me perducere. Enim consultius visum est ipsum me ad evertendas Athenas protinus militare, quia iussis nostris obieceritis contumaciam. Si igitur declinando huic experimento consulitis, decem oratores vestros ad me deduci patiemini. Hoc enim modo reliquorum urbisque vestrae habebitur ratio.' Hisce Alexandri litteris cum hoc tantum, non se facturos esse, superscripsissent, eandem epistolam

2 a Macedonia *A*. e Macedonia *P*. 5 interimi *P*. 9 quod *P*. sed *A*. 11 consultores *P*. 13 E qua re *A*. eaque re *P*.
3. 16 diu *om*. *P*. 17 tui *P*. de te *correctum ex* suis *A*. 18 ab *add*. *Mai*. *om*. *A*.*P*. 21 rescriptis *P*. 24 perduceret *P*. 26 quia *A*. que *P*. obieceritis *Schlee*. obiecerit *P*. abiecerit *A*. 29 urbis *A*. 30 His *P*.

referri protinus mandavere. Quae causa cum mox curiam contraxisset deliberationi praesentium necessariam, orator Aeschines in haec verba contionatus est:

4. 'Etsi video, Athenienses viri, quantum nos impendeat ex praesenti, propiusque et saluti vestrae communi et voluntatibus stare dedi nos Alexandri voluntati, tamen comprehendisse me sentio ...... neque commodis vestris neque, quod ad nos pertinet, saluti propius videri, quam si in hac sententia perseveretis, uti condicionibus regiis praeceptisque pareamus. Non enim inani iactantia periculum periclitandi videor mihi hanc fovere sententiam, sed quod intuear spem cupiti infirmiorem, cum et Alexandri institutionem et Philippi vehementiam recordor atque considero. Etenim Philippo adrogantiae mos propior erat, Alexandro vero adsunt Aristotelis disciplinae. Neque in hoc ducor, ut qui illis educationibus laborarit, non his reverentiam deferat, a quibus ortae sunt sibi hae disciplinae ipsique ars regnandi sit tradita. Quare fiet, profecto fiet, ut omnem intentionem animi, quam ad nos armasse videbatur, in benivolentiam protinus vertat, nisi mavultis mage arma hominis experiri.' *8.*

5. In hanc fere sententiam cum Aeschines perorasset, Demades e numero oratorum, viribus haud contemnendus, intervenit atque hinc oritur: 'Quousque tandem, Aeschines, meditatis hisce et ad mollitiem effeminatioribus verbis timiditates nobis et dissolutio- *9.*

1 quae causa *A.* qua de causa *P.* 2 deliberationi *P.* deliberatione (e *in littura*) *A.* necessariam, *sed* m *erasum*, *A.* necessariam *P.*

4. 4 non impediat *P.* 5 salute vestra *A.* 6 didi *A.* 7 *Lacunam statui propterea, quod folium VII·d. codicis Taur., quamquam legi iam non potest, tamen tribus vel quattuor versibus plus continuisse patet, quam in A. et P. traditum est.* 12 spe cupiti formiorem *A.* 13 et *om. P.* 15 proprior *A.* 17 laboraret *A.* 18 sibi hae *A.* eaedem *P.* 21 benivolentia *P.* 22 mavultis *Mai.* mavult *A. P.*

5. 24 e numero *Mr.* numero *P.* enimvero *A.* 25 ^{ex}oritur *A.* oritur *P.* 26 his *P.*

nes Atheniensibus struis territans nos et avertens a belli studiis, quibus inclyti semper atque inopinabiles fuimus? Aut quae te tam infesta caelestium vis in haec verba sollicitat, cum tu suaseris et merito olim constanterque persuaseris arma nos sumere adversum Persas et in illa tot hostium milia instructos ferme sola animi virtute militasse, at nunc contra, quasi intentos arcus, sic idem obfirmatas sententias nostras remittendas ac relaxandas putes? Censesne igitur vitandam declinandamque nobis pueritiam cum tyrannide, duo nomina inconsultissima, freta temeritate sola et audacia patris confidentissimi? Deinde illi nos horum tela atque aciem perhorrebimus, qui Xerxae milia averterimus, Lacedaemonios vicerimus, Corinthios straverimus, Megares in fugam verterimus, Zacynthios exciderimus? Nosne ergo Alexandro illi quem dixi, ut Aeschines suadet, vitabimus obviare?

6. Enimvero ait memorem illum magisterii vestri *10.* disciplinarumque, quas apud nostros peritos acceperit, et pudore flectendum et reverentia molliendum vultusque ipsos nostros religione praeteritae consuetudinis minime aspernaturum. O rem ridiculam et puerilis, me dius fidius, abiectaeque sententiae! Absentes nos contumeliis lacessivit et ad supplicium dedi sibi tyrannico spiritu postulat et interitum nostrum molitur civitatisque praeludit exitium is, a quo praesenti nobis humanitatem istam et amicitiam hariolamini. Neque illud mage nunc ante oculos venit, Stasagoram nostrum Plataeensium magistratu deiectum? in cuius

7 At *A*. Ac *P*. 8 intentos *correctum in* intentus *A*. nostras remittendas *om. P*. 11 temeritatem scilicet et audatiam *P*. 12 illos *P*. 15 Megares *Epit*. Megarenses *Mai*. mageros *A*. megaris *P*. verterimus *A*. averterimus *P*. 17 vitamus *P*.

6. 20 ut reverentia *P*. 25 molitur *scripsi*. interitum nostrum moliens civitatis praeludit exitio *Mr*. iter nostrum olym civitatisque praeludit exitium *A*. inter nostrum olim civitatisque praeludit exitium *P*. 26 praesenti *A*. praeferri *P*. 27 amicitias *P*.

scilicet contumelia nostra iniuria continetur, quod illud, quidquid nostrum universitati moliatur, in illo priore signaverit. Is ergo exspectabitur, ut praesentia nostra moveatur, quem Stasagorae purpura et magistratus facesque minime moverunt, cum in illius unius nominis dignitate puero isti universae Atheniensium curiae maiestas obviaret atque oculis eius sese et vultibus ostentaret, siquid tamen recte sapere didicisset? Is ergo nostram praesentiam mitius opperietur, an mage, cum semel in eius manus potestatemque venerimus, dedet suppliciis ultionibusque poenalibus?

7. Et haec quidem sint dicta de moribus. Huc *11.*
tamen addite aliquid etiam de eius aetate, in qua aestimatu perfacile est, quod illa dimicare forsitan confidentius, consulere dementius possit. Enimvero, ait, Tyrios excidit: neque enim poterant illi forsitan restitisse. Thebanos evertit: non illos quidem inertes aut belli artibus alienos, sed enim frequentibus admodum discriminibus fatigatos. Peloponnesios, ait, captivitate subiecit, neque hoc addit: non bello, non telis, enimvero lue corruptos et fame. Hic nunc, si placet, hic sane proferte in medium nostra Xerxique experimenta, qui mare molibus presserit, qui altum illud navibus straverit, qui terram illam omnem exercitu suo texerit, qui aëra ipsum telis iaculisque velaverit. Deinde illum quidem Persen adeo spirantem et confidentem abegimus incensis eius navibus aut etiam superatis, et tot illa milia exercitus ab hac civitate repulimus Cynaegiro et Antiphonte et Mnesicharmo aliisque non multis illi violentiae occursantibus. Nunc autem nos, quorum duces roburque virium enumerare difficile est, reniti Alexandro decli-

7 curiae *Mai.* - curae *A.P.*

7. 13 Hunc *P.* 18 non *P.* nam *A.* 26 exerit *A.* 27 s enim illum quidem *Eberh.* Persen adeo *A.* p sona cto 33 declinabimus *Mai.* declinavimus *A.P.*

nabimus, puero confidenti, et hisce noxiis satellitibus, qui imprudenti imprudentius obsequentes temeritatem eius praecipitare mage poterunt quam fulcire?

8. At quos — id per deos deliberate — quos tandem *12.*
destinandos Aeschines censeat decem pariter oratores? Eosne omnes, quorum singulis saepe salutis vestrae consilia rexistis? Neque hoc videtis Alexandrum vobis subtili quodam et clandestino consilio monstrasse, quid illud sit tandem, quo ipse quoque intelligat se disparem Atheniensibus fore? Quippe cum in rebus agendis bellicis pariter atque civilibus omne factum fundari stabilirique videatur utilitate consilii, ut tunc demum rectius atque consultius manuum opera subsequatur, id ipsum vobis avertere ac praevenire conatur, ut veluti inermem ratem sollertia gubernantis sic vos urbemque Atheniensium totam desertos consiliariis vestris opprimat et incurset. In quo ne quid a militibus † de oratoribus dixerim: equidem puto vel canes decem solo latratu suo et infestissimis lupis et ceteris bestiis terrori esse, etiamsi in illos dente nil valeant; his vero quiescentibus aut facessentibus vel ignavissimam bestiam totis gregibus perniciosam satis atque infestam esse consuesse.'

9. In hanc fere sententiam Demades dixerat. At III.
vero Athenienses Demosthenis tunc consilia flagita- *13.*
bant, quod scilicet eius viri orationisque maiestas saepe eorum commoda consiliaque rexisset. Tum dicitur is orator consurrexisse, manuque de populo tumultuante silentium poscens in haec erupit: 'O cives

1 his *P.* noxiis *Mai.* noxi *A.* noxio *P.* 2 imprudenti *A.* imprudentes *P.*

8. 4 At quos *scripsi.* Ad quosque *A. P.* quos tandem *scripsi.* quid tandem *A. P.* 8 quid illud *P.* quod illud *A.* 17 ne quid a militibus *P.* nequidā militibus *A.* ne quid ambitiosius *Boysen Philol. 1883 p. 308.* ne quid immirabilius *Rönsch* (*Zeitschr. f. östreich. Gymn. XXXIV p. 896 sq.*). 19 et infestissimis *A.* infestissimis *P.* 20 dente *P.* dentes *A.*

9. 27 Cum huius orator consurrexisset *A.* 29 poposcit *A.*

viri! placet enim in praesenti vos hac communi nostrum appellatione nominare, ut scilicet sub nomine adfectus huiusmodi intelligi promptius sit, quidquid omnium dixerò, id non meo mage quam communi scilicet vestrum commodo profuturum. Agitur enim haec curia, ut video, super tractatu, utrumne vobis arma adversum Alexandrum sint sumenda, an vero nobis eius condicionibus obsequendum. In quo quidem accedere me laudareque Aeschini sententiam non segniter profitebor. Usus est enim oratione admodum modesta et temperantissima, ex qua videtur neque viribus nostris diffidere, si bellandum foret, neque contemplatione harumce praesentia commoda neglexisse.

10. Enimvero quoniam haec illo dicente a multis *14.* audio sic accepta ut segnis cuiusdam et alieni de bello sententiam, interim nunc ad orationem eam transeam, qua Demades usus, robustus sane ille vir ac disertissimus, ita in suadendo peroravit, ut nos putaret exemplis olim felicium gloriarum ad praesentia quoque pericula producendos. Ait enim nos Xerxem finibus eiecisse, Cynaegiro scilicet duce et hisce, qui una cum ipso militabant. Ad quam partem orationis quaeso, Demade, ut paulisper ea, quibus magnopere confidebas, mecum conferre tractareve ne dubites. Quid enim tandem mihi diceres, si a te exactum iri vellem, uti tales aliquos nunc mihi etiam duces promeres ac tum demum in Alexandrum hortarere? Quod si illi non adsunt tales aut tot, utique nobis quoque sunt consilia tutioris commodi volutanda considerandumque prae omnibus, an prae-

2 nominari *P.* 6 haec *A.P.* hac *Maehly.* tractatu *P.* tractu *A.* 7 sint *om. A.* 11 modesta et *A.* modestate *P.* 13 harum *P.*

10. 15 accepta *A.* accipi *P.* segnis *A.* senis *P.* 18 ita in *A.* itahinc *P.* 22 una his qui cum ipso *P.* 24 confidebas *P.* consulebas *A.* 25 si sic unum a te exactum velle *P.* 27 Alexandro *P.* 28 tales *A.* aut tales *P.* 30 an *Mai.* ut *A.* in T. *P.*

sentibus commodis periculorum gloria praeoptanda sit. Non enim si orationis plusculum in curiam detulerimus aut compta satis atque ornatiora verba prompserimus, exim nobis aliquid virium accessurum est et arma fabricanda nova de verbis.

11. At dices magnum illum et potentissimum *15* regem Xerxem fuisse, sed eundem nostro apparatu superatum. Donamus. Et quamquam haud dubie profitendum sit nos illius viribus minores longe fuisse, consilio vero vel prudentia potiores, nunc tamen intelligo videoque ne illud quidem Alexandro deesse, quo a nobis Xerxes potuerit superari. Tredecim ferme iam numero eius bella pariter et victoriae numerantur, civitatesque illi innumerae, quin immo provinciae consensere, aut quae contumacius sponte cedere detrectaverint, subiugatae. Quae quam dant consiliis viam, nisi ut periculo careamus? Videlicet Tyrii imbelles, ut ait Demades, fuere et idcirco superati. Illi sunt Tyrii, qui adversum classem innumeram Xerxi confidentissime restiterunt atque eam deinceps incenderunt. Inermes, inquit, Thebani. Illine qui omne aevum omnemque aetatem suam non in bellis modo, verum in victoriis consumpserunt?

12. Addit etiam Peloponnesios non bello victos, *16.* sed fame lueque superatos: quibus quidem Peloponnesiis Alexandrum satis constat frumenta quoque laborantibus direxisse, adeo ut Antigono, duce Alexandri,

3 aut *A.* ut *P.* et T. 5 fabricanda *P.* fabrica *A.*

11. 6 At dices magnum illum T. *P.* Addis magnum illud *A.* potissimum T. 7 apparatu superatum *A.P.* apparatum T. 8 et quamquam haud dubie *P.* et quam haud dubium *A.* quamvis haud dubia res T. 10 vel *A.* et T. in[et] *P.* 11 de Alexandro T. 12 quo *A.P.* quod T. potuit T. 14 illo T. 16 subiugare *A.* quae *om.* T. consilii T. 17 caveamus T. (?) 20 eam *A.P.* eandem T. 22 aevum *A.P.* eum T. 23 consumpserunt T. *P.* consenserunt *A.*

12. 24 bello T. ab illo *A.P.*

resistente, quod hisce vires et alimonias destinaret, quibuscum sibi mox foret bello et proeliis decernendum, Alexandrum respondisse sit palam: 'Ut,' inquit, 'intrinsecus eos et inter se decertantes bello vincam, nec gloriae meae palmam luis sibi aut famis nomina vindicent.' Et haec quidem ita sint. Mirari tamen vos inter haec non oportet Stasagoram magistratu esse deiectum, cum indignatio illa vobis utilitatique communi proficiat. Nam si Atheniensis Stasagoras aeque quam sacerdos illa templi nostratis est, quam magistratus ille privaverat sacerdotio, nonne praevenisse indignationem vestram et sententias videtur Alexander, cum illam iniuriam in auctorem verterit, quam Stasagoras fecerat in sacerdotem, omniaque, quae ille in contumeliam nostram fecerit, perinde ultus sit, ut a nobis quoque ulciscenda esse praesumeret?'

13. In hisce etiam nunc Demosthenis oratio ver- IV.
sabatur et adclamatio protinus nimia Amphictyonum *17.*
erat et tumultus incongruus. Ac Demadi silentium iubebatur, laudari vero nonnunquam Aeschines ab optumo quoque. Sed enim consensus populi universus ire in sententiam Demosthenis. Cum igitur obortum strepitum is orator aliquantulum compressisset, sic reliqua subnexuit: 'Patiamini,' inquit, 'quaeso, Athenienses viri, ut etiam nunc ad illa, quae Demades magnopere dixerat, respondeam. Ait enim Xerxem maria quidem muro munisse, profundum etiam navi-

1 quod *A.P.* quos T. hisce T. isce *A.* his *P.* 2 qui cum sibi T. cum quibus *A.P.* 3 sit palam *om. P.* patan *A.* 4 decertantibus *P.* 5 nomine *Eberh. sed cf. pp.* 60, 13; 70, 11. 7 inter haec T. *P.* inter *A.*, *in margine ab eadem manu adscriptum:* interim. 9 Atheniensi *A.* Nam tam Atheniensis Stasagoras quam sacerdos T. 11 ille *P.* illi T. *A.* 15 nostram T. nostri *A.P.*

13. 17 hisce T. *P.* his *A.* 18 nimia *A.P.* menima *corr. in margine* nimia T. aufinctionum T. antifictionum *A.* antifictionem *P.* 19 a daemade T. 21 optumus T. enim *A.P.* etiam T. populi — respondeam *om. A.P.* 23 compressisset *scripsi.* conpss...et *legi in* T.

bus constravisse, exercitu Graeciam complevisse, aëra ipsum subtexuisse iaculis et sagittis, gentem Persidos denique superduxisse captivitatibus Graeciae. Laudamusne igitur eius potentiam, qui haec fecerit, an exsecramur, quod urbes Graeciae spolians suam barbariem frequentaverit? Quid ergo ad haec exempla Alexandrum provocamus? qui Graecorum quidem, quisque sibi restiterit, non captivitati addixerit, sed victoriae liberalitate correxerit unaque secum coegerit militare, professus palam id esse votum regno et potentiae suae, ut amicos quidem adficeret beneficiis, inimicos vero transduceret ad amicitias. Quod si id illi votum et propositum fuit, Athenienses nos, qui amici Alexandro fuerimus, qui magisteria nostra eidem praeiverimus, inimici tanto viro malumus esse quam amici? Id vero ego dici turpe Atheniensibus puto, fieri posse porro non arbitror. Turpe enim est nos quidem, qui illi magistri fuerimus, consilio imprudentissimos deprehendi, illum autem, qui a nobis has scientiarum artes acceperit, prudentia nos et sapientia praevenire.

14. Sed haec omittamus. Ad illa nunc animos *18.* advertite. Quis rex tyrannusve quisque Graecorum imperatorum Aegyptum aliquando adgredi aut inruere ausus est, quod ille solus cum deorum auctoritate fecit? Clementiam suam reapse sic et beneficiis commendavit, ut tantam illic urbem condiderit ac fundaverit, quantam sub omni orbe terrarum nullam fama

2 subtexuisse T. *P.* subterstravisse *corr. ex* subteruisse *A.* et *A. P.* aut T. 3 superdixisse *P.* 8 captivitati addixerit T. captivitate duxerit *A. P.* 9 correxit T. militare professus pa — *om.* T. 11 affligeret (l *expunctum*) *P.* 12 id *om.* T. 14 praeierimus *P.* praebuerimus T. 15 mallumus T. quo malumus *A.* quo maluimus *P.* 18 imprudentissimo *A.*

14. 23 tyrannus vel quisque *A.* 24 imperatorum *P.* imperatorem *A.* 25 est *P.* esset *A.* 26 fecit *Eberh.* fecisset *A. P.* Clementia sua *A.* re ab se *P.* se ab se *A.* 27 tantum illos *A.* condiderit *A.* concederet *P.* 28 sub omni terrarum nullam

distulerit, idque in his regionibus factum, quae nuper agere Persae sub dicione videbantur. Enimvero ipsis indigenis id petentibus ac deprecantibus, qui cum Alexandro belli fortunam subire deligerent, ille Alexander, ille, inquam, quem vos mente captum et percitum nominatis, hac Aegyptios oratione compressit, qua diceret idcirco se illis tantam civitatem urbemque condidisse, ut ipsis exercentibus terram et quieti indulgentibus ac remissis ille pro universis subditis militaret.

15. Perfecit igitur partim experimentis et osten- *19.*
tatione virtutis partim ratione pariter et oratione prudenti, ut non solum parere ei libentibus sit Aegyptiis, verum etiam ad ea pendenda, quaecumque sint regibus necessaria, faciles animos habeant et voluntatem. Videte denique, quae quantaque primus omnium apud Aegyptum imperii sui iecerit fundamenta. Quot enim exercitus milia urbs illa alere possit, haud dubium est, neque his modo subficiens, qui moenibus suis atque gremio teneantur, sed procul etiam laborantibus et dimicantibus idonea sustentatrix, una viris unaque his omnibus, quae sint multitudini necessaria, opulens et abundans, facilis ad oboedientiam regis, prudentia eius scilicet, qui sic instituerit obsequentium mores. Alimoniam petit: protinus parent. Auro indiget: sunt vectigalia ditia. Militem quaerit: animis volentibus praesto sunt. Et hisce nos opponemus periculum nostrum, quibus utique per concordiam copulati auctiores esse instructioresque poterimus, laces-

famam *A.* quantum sub omni orbe terrarum nulla fama *P.* 2 dictione *A.* enimvero *A.* enim *P.* 4 diligerent *P.* 6 hac *P.* haec *A.* hic T. qua *A.* quod *P.* qui T.

15. 11 Prefecit *P.* 13 prudenti *P.* prudentiae *A.* deparere T. ei libentibus *A.* et libentius *P.* 16 videte T. vident *A.P.* quae quantaque T.*P.* quae tanta quae *A.* 18 quot T. quod *A.P.* 22 'unaque — abundans' *om. P.* multitudini *Mr.* multitudine *A.* 24 obsequentium T.*P.* obsequium *A.* 25 alimonia *A.* 27 hisce *A.* his *P.* 28 copulatis T. 29 actiores *P.* lacessentibus T.

sitis vero, ne quid infaustius dicam, semper in armis
et proeliis?' In hanc sententiam Demosthenis omnis V.
Atheniensium numerus congruebat. Decernit denique 20.
coronam auream Alexandro esse mittendam pondo
quinquaginta consultumque ordinis sui, quo gratiarum
actio teneretur, una legatis, qui honoratissimi forent
eius urbis, dummodo ab illa oratorum transmissione
temperaretur. Profecta ergo legatio cum apud Plataeas regem Alexandrum offendisset insinuassetque
mandata et Demosthenis una suasionem consensumque Amphictyonum universorum, ad eiusmodi responsum regis benivolentia protinus transfertur:

16. 'Scriberem vobis, Athenienses, ut rex, sed 21.
ab hac me appellatione distulerim, donicum omni barbaria subiugata adfectus hic meus nomini Graeco proficiat. Enim quoniam iampridem scripseram decem oratores vestros ad me destinari, quod eorum culpa inobsequentiae argueremini, scire vos par est non eo me istud consilio fecisse, quo potentiam meam in eos, quorum disciplinis institutus essem, aliquis experiretur. Etenim si id facto opus esset, utique una cum exercitu martioque terrore ad vestra moenia transcendissem. Sed quoniam haec ostentatio inimica vel hostica est, idcirco prudentissimos vestrum convenire conloquio meo malui, ut cum his communis commodi disceptator subsicui metus vos formidine solverem.
Enimvero vos, qui conscientia premeremini, nihil om- 22.
nino sanctum erga mea obsequia consultantes, quin etiam explorantes idoneum tempus, quo meos Mace-

1 nequid *A. P.* nihil T. 2 Demostenis T. Demosteni *A. P.* 3 denique T. *A.* itaque *P.* 5 quo *A. P.* quoquo T. 6 actio teneretur T. actione videretur *A. P.* 8 temperaretur T. temperarent *A. P.* 10 suasionem T. suasione *A. P.* 11 Amphictyonum *Mai.* ac factionum *A.* an factionum *P.* 12 benivolentiam T. transferri *A.* transfert *P.* transferet T. (?) *corr. Mai.*

16. 14 me T. *A.* mei *P.* donec *A. P.* 15 affectus T. (?) *P.* (*quod coni. Mai in ed. alt.*) effectus *A.* 21 enim T. 26 formidinem *A.* 27 conscientiam *A.* 28 scm̄ T. *P.* sem̄ *A.*

donas infestaretis, id animi prodidistis, quod adversum nos tunc etiam habuissetis, cum patre meo Zacynthios oppugnante auxiliatores diversae parti fueritis. Contra autem cum vos a Corinthiis oppugnaremini, Macedonum auxiliis et eorum subfragiis potiti Corinthiorum vim a vobis repulsam esse meministis. Rursusque nobis Minervae simulacrum ritu vestro erigentibus in Macedonia vos simulacra et imagines patris mei e templis ac sacris vestris deponendas esse duxistis. Egregiam igitur vicem pro tot et talibus beneficiis a vobis accepimus.

17. Quae profecto vos etiam ad praesentem dis- *23.*
cordiam memoria iniquitatis vestrae ducebat, non sinens utique animo nostro benignitatique confidere, ob id vel maxime, ne quando maiestate hac regia sublimatus ad ultionem praeteritae iniuriae magis quam ad adfectum civicum raperer. Verum id neque mihi ad naturam est neque civica religio permittit, cum me quoque apud vos studentem et ipsi Atheniensem esse malueritis, et ego nomine hoc participato me glorier gloriatusque sim. Enim intelligo naturale vobis esse sic sapere, cum praeterita quoque exempla in eos, quorum consiliis uteremini, hostili vos animo fuisse testentur. Sic Euclidem praedicatum apud vos sinceritate suadendi clausum carcere necavistis. Sic Demosthenem porro, cuius urbs vestra oratione pariter staret et cura, in exilium proiecistis. Tum Alcibiadem

2 habuissetis *codd.* habuistis *Eberh.* 3 oppugnantem *A.* parti T., *correctum ex* parte *A.* partis *P.* 4 cum *om. A.* 5 eorum T. *om. A. P.* 6 rursumque T. 7 vestro T. nostro *A. P.* 9 ac *om. P.* duxistis T. *P.* dixistis *A.*

17. 12 praesentiam *A.* 14 nostro *om. P.* vestro T. 15 vel *om.* T. 17 raperent *P.* 18 ad naturam T. *P.* ad natura *A.* permittit *etc.* T. permittit quoque apud vos studentem *A.* permittit, cum quoque apud nos studente, *corr. in* studerem *P.* 19 ipsi *A.* ipse *P.* 22 exemplo *A.* 23 hostiles, *corr. ex* hostilis *P.* 24 praedicatu *A.* 25 carcerem *A.*

legationes vestras naviter apud Cyrum et efficaciter prosecutum curiae vestrae consortio abrelegastis. Sapientiae denique totius apud vos Socratem magistrum iniustissima morte multastis. Ingrati Philippo, qui tribus bellis auxilio vobis et subpetiis fuit; quique queramini de Alexandro velut ob Stasagorae iniuriam, quae omnis vindictae vestrae profecerat. Idem enim Stasagoras sacerdotem Atheniensem sacerdotii vestri dignitate privaverat.

18. Enimvero quoniam ista haec nunc omnia ex *24.* animo et memoria nostra placuit aboleri, sic vobis ad praesentiam responsum habetote: probatas mihi satis laudatasque esse suasiones Aeschini, Demadem quoque non improbari, quod constantiam suam civibus curiae probatam vellet, sed enim laudari praecipue Demosthenem, qui unus verae utilitatis et commodi vestri tenax ea vobis, quae essent ad amicitiam nostram, suaserit. Sit igitur Atheniensibus dignitas, quae cluebat, neque ex me quicquam dubium formidaverit, cuius haec est vel maxima summa sententiae, ut cum mihi adversum barbaros pro libertate communi bellum et inimicitias elegerim, eam praecipue urbem Atheniensium tuear, quae theatrum quoddam et communis curia videatur esse Graeciae universae.'

19. Cum in hanc sententiam Alexander Athe- VI. niensibus respondisset, collecto exercitu Lacedaemona *25.* proficiscitur. Id enim sibi vel opportunissimum tempus Lacedaemonii adrogabant, quo virium suarum poten-

1 naviter *A.* graviter *P.* Cyrum *Graec.* Tyrum *A.P.* 5 quique *A.P.* 7 profecerit *P.* 8 vestri *om.* *A.* sacerdoti vestri dignitatem T. sacerdotio vestri *P.* sacerdotio *A.*

18. 10 ista haec *A.*T. ista *P.* 11 nostra *om.* T. ad praesentiam T. ad praesentia mihi *A.P.* 14 improbare *P.* 15 vellam *A.* laudare *P.* 16 et T.*A.* se *P.* 18 igitur *A.* ti *P.* quae *corr. in* qui *A.* 19 dubium *codd.* durius *Eberh.* formidaverit *A.P.* formidaveritis? 21 adversus *P.*

19. 25 in hanc sententiam *A.P.* haec sententia T. 26 collectu *A.* Lacedaemona *P.* demona *A.* 28 Lacedemones *P.*

tiam demonstrarent in Alexandri inimicitiis, cuius concordiam tunc Atheniensium civitas maluisset. Adventanti igitur ad urbem suam obiecta sunt claustra portarum, classemque armis et militibus instruxere, quod utrimque terra vel mari formidolosos se fore Alexandro arbitrarentur. His rex compertis primum *26.* ad eos per epistolam loquitur, qua moneret, uti boni consulerent eamque gloriam bellicam, quam maiores sibi strenue peperissent, nullo turpi periculo amitterent solverentque. Etenim si quid eorum fortuna in praesentibus vacillaret, cunctae quoque priscarum memoriae gloriarum una sibi periturae viderentur, eventurumque profecto, ut dum Atheniensibus obstinationem suam pergerent ostentare, risui potius inimicis quam periculo hostibus forent. Igitur oportere eos navibus derelictis armisque depositis amicitiae suae potius quam armorum capere experimentum. Ceteroquin quos sententia melior indidem non deduxisset, flammis et incendio deponendos.

20. Acceptis igitur hisce mandatis non modo *27.* flexi Lacedaemonii non sunt, sed ut confidentius in arma concurrunt. Coepto tamen atque exercito per biduum proelio non difficile Alexandro fuit flammis iniectis excidii periculum Lacedaemoniis ostentare. Quare tunc demum supplices submissique, ne illud excidium sibi et captivitas perseveraret Alexandro, procedunt. Ad quos rex ait: 'Equidem me scio integris etiam tunc rebus haec consulere voluisse; at enim vos cum post classis vestrae urbisque incendia

1 in Alexandri inimicitiis *P.* quo Alexandro inimici illi T. inimicitias *A*, *om.* in Alexandri. 2 Adventanti igitur Alexandro *P.* 3 obiecta sunt *codd.* obiectarunt *Kluge.* 5 utrique *P.* formidolo *A.* 7 qua moneret *A. P.* quam possint T. boni *om. P.* 9 admitterent *P.* 11 vacillarent *P.* 17 Ceteroquin quos T. ceteroqui si quos *A. P.*

20. 20 his *P.* 21 confidentibus T. 25 supplicesque *P.* illum *P.* 26 Alexandro T. *P. om. A.* 27 Ad quos T. *A.* At quod *P.* 28 rebus T. *P.* redditis *A.* at enim T. *A.* eadem enim *P.*

supplicetis, non improbo vel serum poenitendi consilium. Sed enim utique vos exempla ducebant perinde arma nostra ut Xerxi Persica posse propelli. Sat igitur sit, quod de utroque diversum fortunae senseritis.' Et cum his dictis facessere protinus militem suum ab expugnatione urbis Lacedaemonos iubet liberamque eam et ad formam pristinae maiestatis civibus haberi permittit.

21. Tunc rebus Graeciae sic compositis ire in barbaros tendit itinere per Ciliciam ordinato. At vero Darius conductis in unum satrapibus universis et ducibus bellandi consilia quaerebat frequenter admodum recolens, ut se opinio super Alexandro frustrata foret. Quippe illum incrementis bellicae rei audiebat quotidie sublimari, quem saepe latrunculum nominasset; neque sese iam nescire anceps sibi et viribus hostium et imperii maiestate fieri certamen. Quippe etsi sibi auctior numerus militantium obsequeretur, audaciam tamen fortitudinemque se Alexandri demirari. Denique pudorem suum haud dubie fatebatur, quod ei viro pilam habenamque misisset, quae cuivis magis quam illi ad virtutum meritum iuxta essent. Ergo iubebat omnes in commune consipere, quid facto melius repperissent. Neque enim cessatione aut desidia opus esse, in hosce provectus Alexandri virtutibus procurrentibus, cumque in sese paulatim vices utriusque nominis demutarent, quas sic in contrarium resultare non absque divina providentia arbitrabatur, ut omne illud diadematis Persici decus ferme iam in Macedonica regna transisset. Et haec quidem Darius ad suos.

2 exemplo docent *P.* 4 quod T. quid *A. P.* 6 Lacedemonos T. Lacedaemonis *A. P.* liberatque T.

21. 17 et sibi *A.* 20 aut dubiae T. aut dubue *A.* haud dubium *P.* 22 virtutium *A.* virium T. iuxta T. *A. P.* iusta *Mai coni.* iuvebat T. 23 consipere T. consipire *A.* concipere *P.* facto T. *A. P.* factu *Eberh.* 25 esset *A.* hos *P.* 26 cum quae *A.* 28 arbitrabatur *Mai.* arbitrabantur *A. P.* 29 dediadematis *A.*

22. At vero eius frater Oxyathrus, velut indigna *29.* mage quam si vera dicerentur, 'Heu,' inquit, 'o frater, o rex, quid hoc tandem rei est, quod tantum Alexandro isti laudator testis accedis? Anne,' inquit, 'haec tibi iam meditata sententia est, ut illi regno tuo cesseris, Macedoniam eius tibimet non vindicaris? Quin potius imitare industriam hostis tui: quod ille facturus ad nos pergit ac properat, id nos bellum Graecis inferamus. Neque ego hoc in loco ut ignaviae testis Alexandrum deformavero, qui hortor, uti exemplis eius utare tu quoque, cum illum videas nec ducibus nec praecursoribus confidentem, sed sibimet laboris omnis officia vindicantem haec agere, quae tanta sunt. Quae tu quoque, si recte sapias, per te feceris. Viden, ut primus inruat in hostem, prior intonet bellicum, prior periculum subeat, depositis quidem insignibus regiis, dum est miles, recuperatis vero, cum victor est, nihilum omnium cunctabundus aut differens, enimvero labore praesenti semper consilia subsecutus.'

23. Ad haec Darius 'Et ubinam,' inquit, 'haec *30.* tibi de Alexandro est comprehensa notitia?' Tum Oxyathrus eius temporis memoriam refert, quo ad Philippum missus petitum pecunias ab Alexandro adolescentulo etiam tunc minas eiusmodi excepisset, quas de praesentibus experiretur. Quare boni consuleret rex Darius et satrapas omnium gentium, quaeve indidem cogi possent exercituum milia, laboraret, non Parthis scilicet Elamisve, non Babyloniis aut Mesopotamiae data militiae evacatione, enimvero

22. 1 Oxyathirus *A.* oxiatrius *P.* 4 laudator *P.* salvator *A.* 7 facturos *A.* 8 Graecis *A.* gregis *P.* 10 qui *P.* quae *A.* 11 cum *P.* tum *A.* 14 recte *P.* recta *A.* viden *A.* vide nunc *P.* 15 hostem *P. cum Graecis.* proelia *A.* 17 miles *P.* milia *A.* recuperatisque *P. om.* vero.
23. 22 oxiathrus *P.* quo *P.* quod *A.* 27 queve indidem *P.* que velud idem *A.* laboraret *Codd.* advocaret *Eberh.* 28 elimisve *P.* 29 evocatione *P.*

armanda tum Bactra, Indos etiam et Samiramidos regna censebat, omnesque centum et octoginta gentes, quas sibi subditas sciret, ad commilitium exercitare, ut si nihilum amplius, certe vel ostentatio multitudinis terrore quodam Graecorum animis obsisteret. Haec sententia placebat quidem admodum regi, et adstipulabantur etiam plerique praesentes, nisi quod apud eos unum esse prae ceteris viribus penes Graecos constabat, quod plus prudentia mentis quam valentia corporum possent. Ergo secundum haec Darius iubet omnem undique armatam multitudinem convenire.

24. Alexander vero iter per Ciliciam agens, cum VIII.
multum spatii sub aestivo sole armis onustus pedibus *31*
exegisset, forte Cydnum, haud cuiquam secundum flumen vel magnitudine vel perspicui agminis nimio rigore, cum ponte transiret delectatus eius evidentia pariter et magnitudine, una cum armis *sese* praecipitat e ponte ac natabundus exit. Sed id factum etiamsi ei ad testimonium fortitudinis plurimum contulit, valetudinem tamen discriminosius vicerat. Quippe calente etiam tunc et sudante corpore incidens aquae illius vehementiam vel rigorem tantam nervis iniuriam perniciemque tradiderat, ut undique protinus doloribus concurrentibus morbi causa contracta vix expiabilis videretur. Quare cum tempus plurimum laberetur neque medentibus sedulo curatio illa pareret, Philippus *quidam* nomine, sciens artis eiusdem et sedulitate acceptissimus regi, conficit poculum, quod di-

1 armandi *P.* Sarammidos *A.* semiramidos *P. correx. Mai.* 3 exercitare *A. om. P.* excitare *Eberh.* 5 animus obsistere *A.* 6 regi *P.* regiis *A.* 7 apud eos *P.* eos *A.*

24. 13 spatiis *A.* onustus peditem suum ut ei mos erat ipse in acie pedibus exegisset, ac forte nidum haud ponte transiret *P.* 17 sese *addidi Epitom. secutus.* 18 e *om. A.* 19 ei *P.* eius *A.* 23 pernitiae quae *A.* 26 medentibus *Mai.* mentibus *A.P.* 27 quidam *Mai supplevit ex Epitom.* artis *Mai.* artem *Codd.* sedulitatem *A.* 28 *Verbis* 'regi conficit' *finitur quaternio quartus in A.; quaternio quintus*

ceret secundaturum. Id cum die statuto Alexander hausturus foret, forte Parmenion quidam e ducibus regis, enim infestus Philippo medico, huiuscemodi sententiae Alexandro litteras mittit, quibus Philippum hunc clandestina tractasse cum Dario consilia commoneret, uti per poculum saluti Alexandri insidiaretur; eius rei mercedem Philippo fore, ut sororem Darii partemque regni cum Dario pepigisset; boni igitur consuleret rex et ab illa curationis spe temperaret. Suspectans Alexander proinde, ut res erat, epistolam quidem intrepidus vultu et animo ad caput lectuli protinus ponit. Accepto autem poculo, cum id iam haustui admovisset, eodem momento etiam epistolam Philippo legendam dat. Cumque uno in tempore et ille potum, quem acceperat, transmisisset et hic litteras perlegisset, facile dedit medico intellexisse, quid de sedulitate eius opinionis habuisset. Denique cum curatio illa ad pristinum statum Alexandrum deduxisset Philippusque ultionem mendacii flagitaret, ut insidiatus regi Parmenio poenas capite dependit.

IX.

25. Igitur recepta valetudine Alexander per Medos exercitum ducens iter illud multis admodum diebus per deserta regionis emensus est multamque aquae penuriam toleravit. Tandem denique ad Euphratem veniens, fluvium magnitudine haud cuiquam facile secundum, eoque constrato navibus atque ponte, quo iter suis incunctantius persuaderet, primus omnium pontem emensus auctoritatem cunctis audaciae praestitit. Omni igitur iam multitudine impedimentisque transmissis illico solvi pontem compactarumque ob id navium iubet vincula. Id cum exercitus

cum deperierit, hic incipit magna sedecim paginarum lacuna in A. 2 hausturus *Mr.* hausurus *P.* 4 quibus *Mr.* qua *P.* 7 mercedem *Mr.* mercede *P.* 10 proinde *P.* perinde? cf. *Hermes XXII p. 628.* 13 eodem per momento *P.* 20 parmenium *P.*
25. 25 cuiquam *Cod. Ox.* cuique *P.* 27 incunctantius *Cod. Ox.* incunctantibus *P.*

universus indignantius accepisset, quod enim per viam sibi impedimentum illud intranatabilis fluvii proiecisset, et utile arbitrarentur [*et minus*] secundae meminisse fortunae, accepto hoc murmure et indignatione militum rex in haec verba contionatur: 'Equidem fateor, milites, duas pariter res in animo esse diversas, spem scilicet et pudorem, quarum alterum praerogativa praeteritae virtutis ostendit, aliud vero importuni metus opinionibus adumbratur. Quis enim non videt abolendam prorsus memoriam esse victoriae praecedentis, si praesenti vestrae indignationi commodet fidem, qua regem vestrum Alexandrum inconsulte fecisse opinamini, quod ad fugam vobis infaustissimum iter pontis dissolutione sustulerit? Aut quid prorsus de spe victoriae residebit, si id verum est? Vel quid mage contrarium foret huiusmodi votis, quam si quod animo praecepistis, id vobis tuto pareret? praesertim cum in opere militari formidinis incentivum sit spes tutius evadendi. Sed id quidem deus et virtutis vestrae gloria procul fecerit. Enim ego, qui tot proeliis, tot victoriis doctus nihil aliud nisi de incremento vestrae gloriae cogitaverim, profecto fecisse mihi videor cum sententia fortiorum, quod ignaviae intempestivo reditu amputato soli prorsus victoriae viam dextris et gladiis reserandam esse monstraverim. Neque id dissimulabo, quod sentio, adiuvare me votis fortunam eiusmodi, ut si ignaviae reditus requireretur, longe sit melius hic occumbere gloriose quam post nomen victoriae praecedentis dedecorosius evasisse. Quin legem nobis fortitudinis

1 per viam *scripsi.* pervium *P.* 2 intranatabilis *Schlee.* in tranatabulis *P.* 3 et minus *add. Eberh.* 4 murmure *Mr.* munere *P.* 7 praerogativa *Schlee.* praerogativam *P.* 9 adumbratur *Mr.* adumbrat *P.* 11 praesenti *Mr.* praesentis *P.* 13 vobis *scripsi.* nobis *P.* infaustissimum *Mr.* infantissimum *P.* 20 deus *Mr.* dies *P.* gloria *Mr.* glorie *P.* 24 ignaviae *Mr.* ignavius *P.* 27 adiuvare me votis *P.* avere me potius *Eberh.*

dicimus, solis esse militandum, qui cursum noverint ad insequendum hostem potius quam ad periculi fugam. Quam cum perpetuo ignoraveritis, deos ego vobis immortales polliciti ac spei meae vades dixerim, nihil omnino posse oboriri impedimenti, quin si solita vobis utamini fortitudine, debitam victoriam capessatis.' Ad haec Alexandri verba et favor militum et animus excitatus nihil omnino praeter victoriae desiderium celeritatemque conceperat.

Sed enim cum omnis Darii exercitus propter Tigridis alveum locatus adventum Macedonum exspectaret nec cunctabundus Alexander acie instructa sese hostibus obtulisset, coepto conflictu ferventique re bellica unus ex Persis armis Macedonicis indutus, evitata hoc astu dinoscentia, ut propter similitudinem scilicet munimenti, a tergo Alexandrum ense infesto adoritur ac ferit. Sed ictus propter galeae fortitudinem habitus frustra dissiluit, et ad comprehendendum protinus virum satellites properant regique eum offerunt. A quo cum Alexander requisisset causas ausi huius, 'Primum,' inquit, 'Alexander, neque te clam sit, non ego ex numero tuo sum, enim vestratibus armis Persa vestitus. Verum cum satrapes sim, dignitatem eiusmodi gloriae apud Darium praemium pactus sum, ut si interfecto te tantae rei compendium procurassem, cum regni parte filiam quoque regis ad coniugium promererer. Quae profecto haud dubie fierent, ni tecum fortuna potius quam mecum stetisset.' His auditis Alexander multis suorum praesentibus iterare eum iubet sèrmonem promissi et audaciae, laudatum denique fidei ac fortitudinis ad suos ire iubet, quod eum exemplo strenui... utilisque praecepti apud milites

4 vades *Mr.* vates *P.* 7 favor *Mr.* fabor *P.* 18 ad comprehendendum *Epit.* comprehendendi *P.* 19 regique eum *Epi* regi *P.* 25 procurassem *Mr.* procurasset *P.* 27 fierent *Epi* forent *P.* 32 eum *del. Mr.*

suos id esse vellet, si pari fide in se quoque sui satellites uterentur.

Sed hoc quidem die inclinatione tantum leviter X
pro Macedonum partibus ostentata uterque exercitus ad castra discedit. Cumque reficiendo corpori ciboque capiendo [*dediti*] essent, rursus alius satrapa Alexandro se offert cum dignitatis quidem illius professione, sed qui diceret se multa magnaque rei bellicae opera pro Dario gessisse, enimvero sibi haud parem gratiam repraesentatam. Si igitur sese susciperet, fore sibi admodum facile, ut cum decem milibus reliquos Darii satrapas incursaret et caperet, una etiam ipsum quoque Darium facile comprehensurus. Ad haec Alexander reverti hominem, et si quid valeret, auxiliari regi suo mandat. 'Qua enim,' inquit, 'spe alienos tibi milites tuto commiserim cives tuos propriosque prodenti?'

Id tamen temporis etiamtum res absente rege Dario per eius satrapas agebantur. Hystaspes denique et Spinther scribunt regi: iam pridem quidem se super Alexandri exercitu ea, quae compererant, nuntiasse, enimvero nunc longe auctioribus viribus invasisse partem Persici regni pluribusque interfectis et captis non sine periculo ac discrimine sese vexare; oportere igitur se quam primum una cum omni exercitu ad confligendum *cum* Alexandro praesto esse.

His litteris Darius acceptis ipse quoque ad Alexandrum scribit in hanc sententiam: 'Video tibi laboratum, ne quid omnium faceres, quod tibi apud nos veniam polliceretur. Ita et adrogans litteris et *iactabundus* in hac eadem temeritate exstitisti, ut quidvis horum ad animum meum venerit, excitare me potius

1 in se *Mr.* se *P.* 3 die *Mr.* diei *P.* 6 dediti *addidi.* 10 rep̄satam (*i. e.* repraesatam) *P.* repensatam *Mr.* 25 quam primum *Mr.* quam plurimum *P.* 26 cum Alexandro *scripsi.* Alexandro *P.* 28 hanc sententiam *Mr.* hac sententia *P.* 30 iactabundus *scripsi dubitans.* latus ad andas *P.* elatus ac audax *Mr.*

ad ultionem quam ad misericordiam queat flectere. Non igitur adeo pertaesos deos regni mei et orientis sui esse sedis existimo, ut ad occidua tecum pariter migraturi sint. Quos ego [*testes*] facio iuroque ultioni meae debitae non defuturos. An tu putas servire te mihi artifici isto obsequio, quod matri coniugive ac liberis meis clemens es? Equidem puto matrem mihi in deos abisse, filios vero nec susceptos quidem habere, nec coniugem habuisse. Quin magis omnia haec ferro et vindicta persecuturus sum. Quippe si faceres ac velles eorum aliquid, quod iracundiae meae mederi potuisset, ipse ad me supplex venires ac poenitens; foret enim, ut vertente ad veniam animo his te honoribus prosequeremur, quibus te diis aequatum esse gratularere. Quod si non facias, sane saevias, quantum libuerit, in meos. Neque enim mater aut coniux neque liberi habiti clementius ad mansuetudinem me praevenerunt. Habes igitur mandata haec atque suprema; respondeto, quod voles, alterumque optato vel exspectato, id est veniam mali an poenam.'

Haec cum laetior Alexander audisset suisque legisset, ipse quoque respondit, non minus sibi pertaesas esse vaniloquentias et iactantias barbari, quam sperare illum diis quoque infestis haec dicere, quippe qui timens et metu percitus constantiam verbis inconsultioribus fingeret, verum ageret rem timentis. Quod ergo adfectus eius eorumque reverentiam spectet, non Dario illud, sed communi humanitati praestari. Se tamen protinus ad ipsum esse venturum, modo si adventus ille ceteris Persis placeret, quibus utique praeterita experimenta displiceant; quare a se quoque

3 esse sedis *Mr.* sẹ sedes *P.* sedis *deleri vult Eberh.* 4 testes *add. Mr.* 8 habere *Schlee.* habeo *P.* 10 persecuturus *scripsi.* prosecuturum *P.* 14 aequatum *Eberh.* equantum *P.* 18 praevenerunt *P.* praeverterint *Eberh.* 27 eorumque reverentiam *Mr.* eorum reverentia *P.*

supremas litteras datas, cetera vero manu esse complenda.

Hic uterque exercitus bello paratur. Cui Ale- XI.
xander cum plurimum conscripsisset, satrapis Phrygiae vel Cappadociae Ciliciamque aut Paphlagoniam vel Arabiam obtinentibus vestium militarium protinus competentem ad militantium numerum et armorum quam maximum numerum iubet; in quos usus tria milia camelorum apud Syriam agi mandaverunt, ne quid eorum, quod usui foret belli commodo, moraretur.

Eodem sane tempore Darii duces multas eiusmodi litteras misitavere, quibus fatigari sese multosque admodum optimatium interemptos, quosdam etiam ad Alexandrum transisse nuntiarent. Haec omnia in id Darium excitabant, ne quid segnius praetermitteret. Igitur ad Porum quoque scribit Darius petitque sibi auxilia plurima.

Sed Porus valetudine corporis excusata atque XII.
in tempus dilata petita rescripserat. His compertis Darii mater, quae una cum Alexandro erat, clam litteras facit easque ad filium destinat scriptas in hanc sententiam: 'Rogodune mater Dario filio salutem dicit. Fama est te coacto exercitu ad proelium tendere, profecto nescientem, quod orbis quoque vires ad sese venientes rex Alexander facile contempserit. Nollem igitur, nate mi, incertum futuri a te praeoptari praesentibus, cui fortasse sit promptius de quiete aliquid vel amicitia consultare. Quid enim omnium est, quod te excitet ad indignationem, cum ipsae nos quoque, quibus fortuna timebatur tristior, honore, quo domi, nulliusque indigentes agitemus. Boni igitur consules, si de pactionibus videris.' His lectis Darius illacrimat; hoc ipso tamen ad indignationem excitamento utebatur, quod putaret indici iniuriam viribus suis, si de pactionibus meditaretur.

7 competentem ad *scripsi*. ad competentem *P*. 9 mandaverit *Mr*. mandaverat *Eberh*. 23 quod *Mr*. quo *P*.

Alexander nihilominus propius iam Persas ad- XIII. ierat, adeo ut in conspectu eorum etiam muros haberet. Enimvero aestimationem intellectam adventus sui in hunc modum ludit: pecua multigena seu armenta, quae illis in pascuis abundarent, coacta comprehendi, eorum cornibus frondentes et auctiusculos ramos adnecti iubet; tumque aliis ramulis adnexis ad caudas pecudum singularum agi praeimpedita hactenus mandat, utramque speciem pariter imitatus, ut et erectis frondibus, quae adnexae cornibus ferebantur, silvestrem quandam speciem prae se agerent, ex qua occuli insequentem exercitum foret, et tractis ramulis pulvis excitus omnem dinoscentiam veri eminus confudisset. Et hoc igitur ex pulvere nebulaque eius, per immensum quae latius agebatur, obstupefacti iam primum, tum etiam ultra opinionem magni exercitus territi Persae stupore defixi sunt. Iam per internuntios facultatem belli dari sibi decreverat Alexander postulare eaque cura depressus in somnum est somniatque sibi deum Ammonem adstitisse omnem habitum, quo deum Mercurium pingi visitur, sibimet porrigentem cum his mandatis: 'En tibi, fili Alexander, adsum in tempore moneoque ab illo te, quem legare institueras ad Darium, prodi potuisse. Enimvero forti animo age teteque ipso pro te utere internuntio, videlicet hoc omni habitu adornatus, quem nunc a me tibi offerri consideras. Id enim etsi parum consultum aliis videtur regem sui ipsum pro se nuntium fieri, tibi tamen istud auxilio nostro proclive est.'

26. Paret rex monitis dei protinusque Eumelo XIV comitante equo vectus, praeterea alio subsidiario sibi adscito, mandatum agit. Igitur cum ad Strangam fluvium devenisset, qui plerumque ex vehementia nivium adeo stringitur et congelascit, ut instar saxi viabilem

11 occuli *Mr.* oculi *P.* 20 ammonam *P.*
26. 30 Eumelo *Mr.* Eumedo *P.*

sese transeuntibus viris, carris etiam quam onustissimis praebeat, atque ex hoc ingenio sui tunc gradabilis foret, ibidem accepto habitu, quem deus monitor praemonstraverat, ipse quidem uno usus equo coeptum iter agit, Eumelum porro cum equis duobus ibidem subsistere ac se operiri iubet. Igitur transmisso flumine, cuius latitudo est haud minus stadii mensura, ad ipsa regis tentoria penetrat. Sed cum habitum viri Persae demirarentur opinionemque sibi ferme de deo ipso suaderent, nihilominus, ecquis foret, quaeritant et volentem convenire regem protinus illo deducunt. Enimvero forte Darius tunc visendi exercitus sui causa processerat hortandisque animis suorum de ignavia Macedonum contionabatur. Iamque aderat Alexander et habitum illum pompamque regiae magnificentiae mirabatur. Denique non absque ea dubitatione egit, utrumne adorandus sibi idem rex foret, ita omni cultu tunc capitis tunc vestitus, sceptro etiam et indumentis pedum magnifice adornabatur. Aderantque et satellitum milia stupore barbarico regem suum ut deum praesentissimum demirati. Sed viso habitu eiusmodi rex Darius cum officium quoque, quod simulaverat Alexander, cognovisset, idem Alexander prior: 'En tibi adsum internuntius quidem, enimvero quem nihilo secus ipsius Alexandri praesentia opinere. Verbaque eius et mandata sunt talia: 'Ego,' inquit, 'arbitror eum regem, qui parum festinanter contendet ad proelium, iam ipsum suae ignaviae et diffidentiae testem esse. Quare ne ultra cessaveris, quin protinus respondeto, quod tempus nobis agitando proelio dederis.' Ad hanc confidentiam dicti cum excitatus animo Darius 'Numnam quaeso,' dixisset, 'tu ipse

1 carris *Mr.* caris *P.* 5 Eumedum *P.* 6 Se igitur *P.* 10 quaeritant *Mr.* quaeritantem *P.* 18 sceptro *Mr.* sceptri *P.* 19 adornabatur *Mr.* adorabatur *P.* 25 ipsius *scripsi.* ipsi *P.* ipso Alexandro praesente *Eberh.* 28 suae *Mr.* sui *P.*

Alexander ades, qui adeo nihilum reverens nostri confidentissime loqueris?' responsum accepit sese quidem internuntium esse, enim pro ipso Alexandro uti praesente loqui oportere. Accepit haec Darius dicta clementius et, 'Quoniam,' inquit, 'more legationis huius ne Alexander quidem secus honoratur, ad sacrificium hinc ac deinceps ad convivium convertamur.' Post haec dicta cum manus rex Alexandro adprehendisset atque in regiam ingressi forent, id quoque sibi auspicato fieri Alexander arbitratus est, quod volente rege in eius regiam deducebatur. Igitur ubi tempus XV
coenandi fuit, rexque accubuit ceterique secundum ordinem dignitatis, ut illis mos erat, discubuere, adversum tamen Darium coenare sedentarius iussus Alexander honore legati omnium oculos in se facile convertebat. Quamquam enim brevi corpore neque ad Persicam magnitudinem haberetur — plerique ferme auctiusculi sunt —, tamen et filo oris et reliquorum membrorum situ admirabilis visentibus erat. Igitur convivio iam procedente eiusmodi quid facere Alexandrum subit. Poculum enim, ut quodque ad bibendum acceperat, ubi strinxisset, vas ipsum in sinum sibi condere atque ut proprium coeperat detinere. Quod ubi a ministris regi est indicatum, incertum id damnumne an contumeliam ratus insurgensque Darius 'Ecquid,' inquit, 'hoc est, quod pocula hoc furatrinae genere avertisti?' Sed ubi de motu corporis Alexander intellexit, quid in Dario mobilitatis animi foret, — hac enim ex causa id consilium exsequebatur — 'O rex,' ait, 'morem ratus hic quoque Alexandri nostri servari id, quod apud nostros didiceram, exsecutus sum; quippe illi liberalitatis haec forma est, uti prin-

2 responsum *Mr.* respondum *P.* 5 more *scripsi.* morem *P.* 6 ne *add. Eberh.* 7 convertamur *Mr.* revertatur *P.* 18 filo *Mr.* filio *P.* 24 a ministris *Mr.* ad ministris *P.*

cipibus ac ducibus suis, quos tali convivio dignanter acceperit, privata pocula fieri sinat, quaecumque acceperint haurienda. Quod ergo magnanimitate illi te quoque parem ducerem, non in contumeliam traxeris.' Hoc blandimento responsionisque eius gratia cum rex ceterique permulsi essent, admirationem sui silentio testabantur.

27. Sed id silentium ferme ad periculum vergit. Unus quippe ex convivantibus, cui vocabulum Pasarges erat, olim Philippi hospitio receptus et ibidem Alexandrum etiam puerum conspicatus, paulatim in memoriam relabens eundem ipsum esse, quem opinabatur, animo confirmat. Sensim igitur Dario, quem comprehenderit, Pasarges intimatum venit. Eoque permotus rex praeque magnitudine † prosultans, quid illud esset, quod tantopere excitaretur, nulli mage quam ipsi Alexandro prodit, id enim, quod evenerat, iam pridem animo suspectanti. Unaque cum poculis, quae sinu gestans habebat, conclave procurrit ibique pro foribus offendit unum e Persis equum, quo advectus fuerat, detinentem. Ne quid igitur [*videretur*] improperiter in re tali fecisse, custodem equi gladio perfodit, adscenso autem eo fugae consulit. Quod ubi Persis visum intellectumque est, quaqua raptim arma capere, ipsum quoque fugientem insequi properabant. Enim et illis molitio tardior et Alexandro efficacior fuga erat, eo quod intempesta iam nocte eaque nullis lunae adminiculis inlustri aliquanto cunctantius regi gradienti subpetiata est forte etiam lampas ex obvio. Quae cum sibi praelucens facesseret, eo et ipse properantius et nullo tali subsidio Persae tardius agitabant. Sed enim Darius maestior damno elapsi hostis, cum inter

3 ergo *Mr.* ego *P.*
27. 10 et *scripsi.* at *P.* 11 conspicatus *Mr.* continatus *P.* 21 videretur *add. Keil.* 22 adscenso *scripsi.* accenso *P.* 24 quaqua raptim *Mr.* quamquam partim *P.* 26 eo quod *Mr.* nisi quod *P.* 29 subpetiata *scripsi.* subpetita *P.*

spem metumque animo volutaret, casu eiusmodi ad maiorem formidinem confirmatur. Forte in conclavi eo, in quo tunc rex agebat, imago quaedam Xerxi sublimius posita, vel ob memoriam maiorum vel de picturae gratia spectabilis, Dario acceptissima erat. Ea repente fatiscente compactu procidit dissilitque. Id Darius, ut res erat, coniectans animo macerabatur. Enimvero Alexander omne intersitum spatium iam mensus ubi ad Strangam fluvium accessit, ratus fore uti eum pariter, ut venerat, perviaret, equum quoque, quo vehebatur, impellit primitias congelationis invadere. Sed exesa videlicet vel soluta super omni crassitudine ac gelu cessit aequoris facies ad pondus equitantis. Utrique igitur cernuantes in profundum fluminis ruunt. Sed enim equum agmen violenti gurgitis pessum tractum averterat; rex vero natatu quam valentissimo emensus periculum alterius ripae iam potiebatur, cum eminus videt insecutos sese Persas iam litori advenisse, frustra habitos spe transgressus, desperata etiam comprehensione, reditui consultare, quippe cum Persae non modo ad natatus huiusmodi audere non soleant, sed ne navigabile quidem ob nimiam vehementiam flumen hoc habeant. Igitur stupenti Dario demirantique, quae gesta sunt, cassum laborem referunt insecutores. Alexander vero menso alveo offendit Eumelum, quem una cum equis duobus ibidem sibi subsidiarium dereliquerat. Tum illi et gestae rei seriem explicat, et ubi ad exercitum redit, duces quoque laetos facto participat. Omnem exercitum sibi XVI.
iam iamque adesse instructum armis iubet. Qui cum omnis in centum et viginti milibus numeraretur, 'Ne,' inquit, 'ne sit vobis aliquid, milites, quod cunctemini.

1 animo *P.* animum *Mr.* 5 spectabilis Dario *scripsi.* Dario spectabilis *P.* 14 Utrique *Mr.* uterque *P.* 18 sese *Mr.* esse *P.* 26 Eumedmum *P.* 27 dereliquerat *Boysen, Philol. 1883 p. 308.* delinquerat *P.* deliquerat *Mr.* 31 Ne *Mr.* en *P.*

Quaecumque fuerant ex hostibus noscitanda, ipse per me praesens oculis deprehendi. Neque si foret periculum de multitudine ignavorum, non prompte vobis fidem rei compertae dixissem. Sunt enim illa inexplicabilia hostium milia, sed enim seges prorsus facilisque materia manibus ac virtutibus vestris cedent, nisi cui vestrum arduus quidem et fugiendus hic labor, o Macedones, videatur, si vobis tanta sit caedendi materia, quantam renuat ac recuset victricis dexterae fatigatio.' Ad haec dicta gratantium voces et laetitia militum congruebat omni scilicet alacritate bellum sibi desiderantium exspectantiumque.

28. Aciebus igitur ordinatis propter latus fluminis Strangae, Darium etiam eodem Macedones adventare cum omni suo agmine iam intrepidi cernebant, omni scilicet parte terrarum, qua visentium oculi vagarentur, phalangis eius atque ordinibus confluentibus. Enim cum illa Strangae mobilitas naturalis rursus ad glaciem convenisset et stratum alvei tenacissimum fideliter etiam transeuntibus polliceretur, Darius prior haud dubitans *exercitus* ordines suos perinde, ut in acie constiterant, transgredi flumen intersitum iubet. Emensis igitur universis, quidquid de Stranga metui potuisset, idem Darius e curru regio, cuius suggestu altius vectus eminus cunctis visi consuerat, demutat ad currus, quibus proelialibus utebantur, itidemque cuncti satrapae et optimates eiusdem imitatu fecerant, multis iam exercitum intercurrentibus, qui virtutis solitae singulos et necessitatum praesentium commonerent. E diverso

6 virtutibus vestris cedent *Cod. Ox.* virtutibus nostris *P.*

28. 13 propter *scripsi.* praeter *P. cf. p.* 100, 27. latus *Mr.* lutus *P.* 14 Strangae *Mr.* Strangio *P.*

Hic incipit altera pars eorum, quae Maius in Spicil. Rom. Tom. VIII ex codice Taurinensi edidit.

14 etiam *om. T.* 18 Enim *om. T.* 20 fideliter *T.* fidele *P.* 21 exercitus *scripsi.* eius *P. om. T.* perinde *P.* proinde *T.* 24 vectus *om. P.* 26 utebantur *T.* utebatur *P.* satrapas *T.* 27 imitati fecere *P.* exercitus *P.* 28 virtuti *P.*

autem cum longe tranquillius doctiusque Alexander Macedones in cornua protendisset, ipse Bucephala suo vectus imperatoriis officiis fungebatur. Tandem igitur bellicum lituo praecinente pari utrimque procursu partes in sese procurrunt. Primumque saxis ac missilibus iaculati, mox ensibus etiam strictis comminus proeliantur. Multa denique diei parte consumpta, ubi non discriminis parilitate protrahi bellum Darius vidit, enimvero quod unum id morae Macedonibus videretur, ut metendis Persicis militibus tantummodo laborarent, quo res periculi tenderet, haud dubie interpretatus fugam capessit et cursu sese, quam properiter posset, praesentibus liberat. Strangam denique etiam tunc stratum firmitudine perviabili transmittit atque exit et ipse quidem iter ad regiam properat. Iam vero turbatis Persicis rebus, cum omnes pariter illae tot phalanges, quae tamen ferri hostiumque nondum expertae essent, ad eundem alveum avidius advenissent, sive ex illa fragilitate naturae sive inconsulto agmine pariter inruente, Stranga suum officium deficit ingressosque submergit omnesque, quos alveo acceperat, necat. Reliquos porro insecuti Macedones obtruncant, nec fere fit aliquid ex illis omnibus reliqui, quo semesa curtaque Alexandri victoria videretur. Tum ergo Darius omni spe meliore deposita cum ingressus regiam suam humi sese eiulabundus miserabiliter prorsus et ignobilius constravisset, maerebat quidem et eorum mortes, qui sibi adeo infauste militassent, maerebat etiam damnum regni, quod ad incitas deduxisset, tunc

2 Macedonas *P.* praetendisset *P.* Bucephala *scripsi.* Bucephalo *P. T.* 3 imperatoris *T.* 4 utrique *P.* 5 primum xauxis *P.* 6 proeliant *P.* 7 Multis denique de parte consumptis *T.* de utraque parte *Mai.* 8 vidit *T.* iubet *P.* 10 metiendis *T.* 11 quam rem periculi tendere *T.* 12 ut cursu sese—liberaret *P.* 14 firmitudine *T.* fortitudine *P.* 15 iter *om. P.* 16 omnis *P.* 17 expartes *P.* 18 ad eundem alveum avidius advenissent *om. P.* 19 fragilitate *T.* facilitate *P.* agminis—irruentis *P.* 23 quos emersa cunctaque *T.* 27 et *om. T.* 29 inscitas *P.*

nomen et gloriam et parta tot saeculis deformataque nunc Persidos regna lugebat, recursabantque eum et captae urbes et subiugatae nationes et aequatio sui ad deorum immortalium vires solisque ortus, quem consessorem sibi dixerat gloriatior; qui quidem nunc profugus desertusque et inops omnium foret profecto, dicens, nulli esse hominum rata vel stabilia fortunaria, quae si parvam inclinationem status sui nacta sint, in contrarium protinus resultarent et quosque de culmine ad profundas tenebras urguerent. Indulgens ergo lamentis eiusmodi humi porrectus inopsque solatiorum diu miseriter agitabat.

29. Tandem tamen ubi satietas eum praesentium cepit, veluti sobrius maestitudinis factus conscribit litteras ad Alexandrum in hanc sententiam: 'Darius domino Alexandro haec dicit: Ante omnia quidem hoc moneo, uti te in hac fortunae beatitudine esse tamen hominem recognoscas, siquidem satis idoneum argumentum ad id consilii tibi ego praesto sim, quo profecto docere possim nil homines quam quaeque praesentia sua praesumere oportere. Neque enim id modo de me primum fortuna commenta est. Iam pridem istud in parente meo dea illa Xerxe monstraverat. Is quippe pari adrogantia cupitorum cum in vestros militiam delegisset, alioquin avidior rerum, quae regum glorias trahunt, pro hisce omnibus, quae petebat, opes suas totque illa militantium milia adtrita pariter amissaque... ad poenitudinem vertit. Hisce igitur usus exemplis doctusque de talibus pro Graeco nomine atque XVII.

3 nationes *P.* regiones *T.* 4 ad *T.* atque *P.* 5 gloriatio *T.* qui *T.* hic *P.* 7 nullo *P.* rata *T.* rara *P.* stabilia *T.* stabilita *P.* fortunaria *scripsi.* fortunari *T.* fortuna *P.* 9 resultarent *T.* resultare *P.* 10 urgerent *T.* urgere *P.* 11 inopsque *T.* inops *P.*

29. 13 satias *P.* 17 hoc *T.* unum *P.* esse tamen *Mr.* si tamen *P.* tamen *T.* 19 quo *P.* quod *T.* 20 possim *om. P.* quam quaeque *T.* quamquamque *P.* 21 enim id *om. T.* 26 hisce *T.* is *P.*

clementia competentius feceris, si miseratione hosce impertias, quos tibimet fortuna supplices procuravit. Igitur ego per favisores tui deos nostrique adversatores quaeso obsecroque, uti mecum matris quoque et coniugis, ut te dignum est, filiorum quoque nostrorum meminisse non aspernere. Eius tibi benivolentiae vicissitudinem spondeo, uti thesauros, quos ex vetusto nobis reges parentes subfossos humi abditosque latebris reliquerunt, ipse quoque coram referam indicemque, tumque tibi Persarum deos prosperos et imperium secundum Medorum etiam et reliquarum gentium deprecabor digno profecto tali favore caelestium, si in aliis quoque relevandis tuimet memineris ut mortalis.'

Hisce litteris sumptis Alexander contionem protinus optimatium et praesentium cogit et ea, quae scripta sunt, recitari non differt. Enimvero tunc unus adsistentium Parmenion in eam sententiam vadit, uti nec humanitatis officium Alexander supplici denegaret et ea, quae sibi promiserat, libentius amplexaretur, redditurus scilicet matrem pariter et coniugem una cum filiabus mercede promissi. Sed enim ad haec Alexander, 'Atqui,' inquit, 'o Parmenion, mihi contra consilium est respondere Dario, frustra se illum hisce in nos liberalitatibus iactitare, quod thesauros suos suaque regna pollicetur. Non enim videt cuncta ista haec, quae nobis litteris largietur, iure belli nostra esse perfecta, neque ille super hisce nobis aliquando bellum indixerat. Enim quod ipsi, quaecunque Darius possederat et obtinebat, nostra esse, id est virtutis praemia, arbitraremur, idcirco in haec ipsa me mili-

1 hosce *T.* hos *P.* 2 tibimet *P.* tibi *T.* 3 ego per *T.* expers *P.* adversitores *T.* 4 *post verba* 'uti mecum' *desinit fragmentum Taurinense a Maio editum; incipit folium codicis Taurinensis 42, quod ipse legi.* 6 aspernere T. aspernare *P.* 8 abditos T. 18 officium *om. P.* 21 mercedem T. 26 largietur T. largitur *P.* esse *om. P.* 27 his *P.* 28 indixerat T. induxerat *P.* 29 et *om.* T. virtutis T. virtuti *P.* 30 me *corr. ex* se T. se *P.*

tavisse, neque mihi in Asiam transeundi aliam quis dixerit esse causam, nisi quod cuncta haec mihi ac meae praeiudicaveram possessioni. Sat igitur Dario videatur id modo unum lucri habere, quod imperterritus his omnibus veluti alienissimis incubaverit.' Et in hanc sententiam dictatas litteras ferri ad Darium iubet. Ipse vero transit ad huiusmodi diligentiam, uti et vulnerati competentius curarentur et desiderati bello sepulchris ad meritum decorarentur. Atque in haec occupatus hiemis spatia transegit, quidquid interea temporis fuerit, diis praestitibus sacrificiis obsecutus. Atque cum interea motu quodam animi repentino iussisset regiam Xerxi, quae opulentissima et pulcherrima videbatur, iniecto igni concremari, id quoque mox per poenitentiam reformatus exstingui atque ad faciem pristinam retineri praecepit.

Fuit eidem inter haec curae, ut sepulchra Persa- XVIII
rum et sepulta olim eorum corpora intueretur, quod in his sepulchris multi crateres aurei multaque magni pretii condita ad templorum magnificentiam dicerentur. Sed egregie ceteris anteibat Cyri aedes, quae scilicet turris ad faciem lapide levi quadratoque in summam altitudinem exstructa processerat. Ipsi vero Cyro conditorium erat e lapide visendo, cuius sive natura perspicua sive inscalptio adeo tenuis erat, ut nihilo prorsus, quidquid intererat, impediret intuentium diligentiam, adeo ut propter saxi illius evidentiam capilli etiam conditi cadaveris viserentur.

1 mihi *corr. ex* sibi T. sibi *P.* 3 Sat sit igitur Dario si videatur *P.* 4 imperterritus *scripsi.* imperterritum *P. ante hoc verbum* tam diu *vel simile quid videtur excidisse.* 9 bello sepulcris T. vallo sepulcri *T.* 15 reformatus *Keil.* reformatum *vel* reformatam T. reformatam *P.* 17 curae T. cura *P.* 19 crateres T. pateres *P.* 21 quae T. quare *P.* 22 lapide *om. P.* quadratoque T. quadroque *P.* 23 ipsi vero Cyro T. ipsius vero Cyri *P.* pro conditorium T. 24 e *om. P.* 27 propter T. praeter *P.* evidentiam T. evidentia *P.* 28 cadaveris *P.* caveris propter T.

Sed propter hoc sepulchrum flebile spectaculum Alexander protinus conspicatur. Erant enim Graeci ibidem complures, quos cum variis ex causis diversisque temporibus captivitate rex aut regii subegissent, praesectis naribus auribusque et quaecumque hominum vultibus decoriter natura providit, suppliciali post servitio devincti circa haec sepulchra custodes agitabant. Hi igitur omnes ubi iuxtim Alexandrum agere sensere, pariter voce et eiulatu suae gentis Graecisque supplicationibus obsecrantes audientem linguae propriae insignia facile permoverunt. Quare productos cum videret adeo flebiliter mutilatos atque laniatos fideliterque causas et ritum Persicum cognovisset, misertus eorum dederat quidem volentibus facultatem, uti viatico sumptuati, si vellent, ad patriam remearent. Enim cum sese ignobiles foedatosque latere melius a conspectu popularium quam ad ludibrium forsitan occursuros civibus praesentirent, huius quidem rei gratiam fecere regi, sibi tamen et locum, quem colerent, et vitam ab indigentia laxiorem protinus impetravere. Dat igitur his et agros dapsiles et cetera etiam, quae ad agrorum exercitia secundarent, proque supplicum civium consulit voluntate.

30. Sed inter haec rursus Darius comparando XIX. exercitui scribendisque militibus animum confirmarat. Scribit denique Poro, regi Indiae, talia: 'Clam me non est in indignationem tuam te ducere, quidquid nos ex

1 sepulchrum T. sepultum *P.* flevile T. 2 conspicatur *scripsi.* conspicatus *Mr.* contionatus T. *P.* 3 ibidem T. idemque *P.* 4 regii T. reges *P.* 6 providit P. providet T. 8 ubi iuxtim T. ibi iustim *P.* 9 pariter *scripsi.* pari T. *P.* heiulatus T. 11 permoberunt T. 12 fleviliter T. mutilatos *Mr.* multilatos T. *P.* 17 a conspectu T. conspectu *P.* 19 fecere regi T. facere regis *P.* locum *P.* loco T. 20 laxiore *P.* 21 agros dapsiles T. agros et dapsiles *P.* 22 pro quae supplicium T. pro quo supplicum *P.*
30. 24 comparando *P. corr. ex* comparandus T. 25 exercitui T. exercitus *P.* 26 regi T. *om. P.* 27 in indignationem *scripsi.* in dignationem T. indignationem *P.* ducere T. deducere *P*

hostico patiamur; ferinam etenim expertus hostium rabiem vel ipsis etiam orbatus adfectibus ex illa regia beatitudine in extimam veni Darius ille miserationem, cum mihi non mater amantissima, non uxor conspirantissima, non suavissimi filii propter sint, quin haec cuncta adversantibus serviunt. Quare pollicente me non 32. modo thesauros opesve regales, sed regni quoque nostri quam amplissimam portionem, spretis Macedo supplicibus eiusmodi una tantum proventuum suorum adrogantia delectatur. Ergo, mi Pore, iam opibus fatigatus, animo tamen ad sententiam milito, si modo faveas. Rursus enim proelium meditor, et si quos queam, ad communionem duco sententiae. Quod si tu quoque tam iustae indignationi nostrae accesseris tuamque iniuriam existimaveris, quae in me grassata est, ita praecavebis, ut te dignum erit et maiorum nostrorum, et isti conspirationi consulere tuisque commodis non deesse. Igitur ex opinione nostra feceris, si gentes quam plurimas congreges, quamque primum queas, ad portas Caspias tendas. Enim ne sit militia tibi mili- 33. tantium inhonora, dabuntur a me singulis armatorum aurei tres pedestrium, equiti vero quinque, ceteraque quae alimoniis abundarint. Praedae quoque bellicae pars ex medio vestra fiat. At enim tibi privum munus istud habebis, quod indidem regalissimum est, Bucephalam equum scilicet una cum regiis phaleris regioque cultu concubinisque omnibus, quas octoginta centumque numerant, qui noverunt: eas omnes ac tales

6 *Inde a verbis* 'quare pollicentem' *etc. rursus incipit Cod. Ambr.* (*Quat. VI*). 6 pollicente *Keil.* pollicentem *A.P.* 9 provantuum *T. om. A.P.* 12 proelia *P.* queam *P.* quem *A.* quam *T.* communem *T.* 15 grassata *T.* crassata *A.P.* 16 praecavebis, ut *T.* praecabis *P.* pavebis *A.* erit *om. P.* 17 non *om. T.* 18 opinioni nostrae (*om.* ex) *A.* 22 pedestrium *A.* pedestri *T.* pedessum *P.* equiti *T.P.* equitum *A.* 23 abundarent *A.* habundarint *P.T.* 24 media *A.* primum *T.* 25 istud *A.* tute *P.* est *om. P.* bucefalum *P.* 26 scilicet egregiis phaleris *T.* 27 cultu *om. P.* omnis *P.* 28 talis *P.*

cum ornatibus propriis consequere. Quare acceptis his litteris, ne versaveris, quaeso, verterisve tale consilium; quin properato ad nos venias una cum hisce, ut dixi, gentibus, quae circa Indum colunt.' Et haec quidem Darius.

31. Sed Alexandrum ista nequaquam latuere do- 34.
ctum ex transfuga Persa quodam. Quare coacta manu ad regiones Medicas tendit, comperiens Darium Ecbatanis agere [quod nomen genti est]. Omissa denique Asia iter, quod instituerat, festinabat satis adserentibus internuntiis, quod si Darius fugiens portas Caspias intravisset, inefficacem illam insecutionem Alexander laboraret. Quae quidem etiam tum, veluti parum fideli sermone acciperet, dubia rex arbitrabatur; sed cum Bazanus quidam, eunuchus regius, transfugisset isque certius enarrasset Darium protinus fugiturum, addita est Alexandro properatio.

Aderant tunc Dario fugam molienti satrapae XX.
duo, quorum nomen alteri Besas erat, alius vero dictus Ariobarzanes. Hi, cum iam rumoribus calidioribus adesse Alexander nuntiaretur, rati se plurimum in gratiam provisuros esse victoris, si necem Dario intulissent, regem suum in sua regia solitárium opprimunt et letaliter vulnerant ac si iam mortuum derelinquunt cautissimum confirmantes, si tantisper a conspectu Alexandri recessissent, donicum illud facinus, quod perpetrarant, ut victor perpenderet, divulgaretur.

3 his *P.* 4 Indiam *A.*

31. 7 persa *A.* per se *P.* 8 Ecbatanis *Mai coni.* in Balanis *A.* in Bathanis *T.P.* 9 gentile *T.* *Verba uncis inclusa spuria iudico.* ammissa *A.* 10 institerat *P.* 12 intrasset *P.* insecutionem *T.* inexsecutionem *A.* inexcutionem *P.* 14 acceperat *P.* dubia *Mai.* dubie *A.P.* 15 idque *P.* 19 Besas *Epit.* beas *A.* bases *P.* 20 Ariobarzenes *A.* ariobazanes *P.* 21 Alexandrum *P.* 22 provisuros *Codd.* proventuros? provenire *Epit.* 24 ac semimortuum *Kluge.* 25 cautissimum *T.P.* castissimum *A.* 26 secessissent *T.* 27 perpetrarunt *T.* perpetraret *A.* perpetrarent *P. emend. Mai.* ut *P.* et *A.*

32. Iamque exercitus Macedonum rursus Strangae memorati fluenta transmiserat et Alexander protinus superveniens regiam, in qua obversari Darium comperserat, cursim inrumpit eumque recens vulneratum atque adhuc spirantem miseriter offendit. Sed id Alexandro ultra opiniones omnium flebile et luctuosum admodum fuit. Videns enim participem illius regii nominis ac maiestatis adeo misere vivendi clausulae reluctantem, flens eiulansque iacenti homini circumfunditur, eumque amplexabundus et contegens regia chlamyde in haec verba solatur: 'Erige te, quaeso, Darie, nec deseras: si quid enim ex animo est, quod iusseris, ratum habeto regna te tua recepturum futurumque rursus illum, qui fueris.' 35.

33. Sed ad haec Darius exsangui iam corpore cum voce etiam ad primum impetum deficeretur, manus supplices tendens adtrectansque genua Alexandri adsistentis et circumplexus, ut poterat, tandem talibus loquitur: 'Licet mihi iam, Alexander victoriosissime, in hac constituto fortuna liberalius aliquid, quam qui victuri sunt, loqui idque a me amicum tibi, non hosticum putes. Inter haec verba blanda disceptes. Numquam igitur te regii nominis decus tollat, nec si quid blandius fortuna promiserit, idcirco te coeli compotem arbitrare. Enimvero consultius futuris quam praesentibus consules. Nihil enim interest, quod dispescat regiam nostram aut plebeculae dignitatem. En tibi ille Darius, nosti, quippe qui fuerim 36.

32. 2 memorati *Mai*². memoranti *P*. a strage admemorati *A*. 3 obversari *T*. observari *A.P*. 4 irrupit *P*. 9 heulansque *A*. eiulanusque *P*. iacenti homini circumfunditur *T*. recenti homicidio confunditur *A*. iacenti homicidio confunditur *P*. 12 dari *P*. 13 iuberis *P*. luberis *T*. futurusque rursuque ille qui fueris *P*.

33. 18 assistens *P*. 20 qui victuri sunt *T.P*. qui (*superscripto* quae) victoris sunt *A*. 21 quidque *T*. 24 promiserat *A*. competem *A*. 26 quam *P.A*. atque *Mai*². 27 aut *P*. ut *A*.

dominus et deus scilicet huiusce mundi existimatus, ut flebilem mortem oppeto. Sed habeo obitus huiusce grande solatium, quod in tuis manibus hunc spiritum iam effundam. Quare, quaeso, non invideas sepulturam, quam mihi una cum Persis tui quoque Macedones exsequantur. Tum Rogodunen matrem meam commendatam tibi ad honorem dignum nomine nostro habeto atque participem Olympiadi tuae. Colito uxorem etiam meam; filiam vero Roxanen hac prece tibi commendo atque in manum do quaesoque eam dignam coniugio tuo censeas. Erit enim illi ad solatium largiter, nihil sibi de regia coniunctione defuisse.' Et in hisce verbis Darius spiritum transigit.

34. Multis igitur lacrimis miserationem regiam XX
Alexander prosecutus auferri cadaver et ad magni- 3
ficentiam debitam proque sui dignitate ritu Persarum sepeliri iubet. Denique corpori regio transvehendo cum baiulos quosque nobilissimos suorum atque indigenas esse iussisset, ut illis officium tale non dedignantibus fieret, primus ipse onus feretri subiit. Quo viso cuncti quoque illud honoris primi maximum testimonium competebant. Infertur igitur sepulchris maiorum omnium tum Darius ac paulo post aedes ipsi templumque construitur et lex dicitur religiosaque sollemnitas datur more praescripto, uti dies ille annuus Persis celebratissimus fieret, non sacris modo et laetitia hominumque congregatu, verum spectaculis

2 at flebilem *T.* appeto *A.* 5 quoque *om. A.P.* 6 exequerentur *P.* 7 commendo ti ad honore *P.* 8 atque *T.* utque *A.P.* participe *A.* cilito *P.Epit.* colito *correct. ex* cilito *A.* 10 commendo atque *om. A.* habeo atque participem Olympiadi tuae colito uxorem hac pr[a]ece tibi in manu do *T.* 13 his *P.*

34. 14 regiam *A.P.* rei clam *Mai*^{2}. 17 corpore *P.* 19 esse *om. P.* 20 fieret *A.P.* foret *Mai*^{2}. 21 illud honoris primi *T.* illud ut privi *A.P.* 23 'ac paulo post — 106, 4 annuos statuit' *om. P.* 24 et lex *T.* est lex *A.* dicitur *scripsi.* dici [dicit] *T.* dii *A.* 27 congregatu *Mai.* congregatus *A.*

etiam atque certamine tum ad mulcedinem aurium solitis procurari tum ad delectationem oculorum. Nam et fortitudine decertantibus et voluptate sua cuique praemia et honores annuos statuit.

35. Postque haec, quod ex incerto regiae incita- 38.
tionis multi victoris animum formidarent eoque vagis
terroribus agitarentur, quo cunctorum animos deliniret,
edicit in verba, quorum sententia haec fuit: 'Rex Ale-
xander, Ammonis et Olympiadis filius, Persis dicit. Ea
quidem, quae iure belli transacta sunt, nullum profecto
sapientium puto pro culpae merito putaturum. Etenim
diis ista sententia est, quam exsequi mortalibus sit
necesse. Quare superis quidem habeo gratias, favi-
soribus meis. Enim nunc quoniam vos quoque nostra
cura esse coepistis, scire vos par est, satrapas quidem
regionibus constitutos, quibus ex more parebitis haud
secus prorsus, ac si sub Dario mos erat; eoque id con-
sultavi, ne incerta regentium observatio plus penes
vos haberet formidinis quam veritatis. Utemini igitur 39.
legibus vestris pariter ac moribus. Idem enim vobis
conventus, eaedem sollemnitates et suavia; nec vagum
quemquam a regione vel sedibus suis aberrasse quo-
piam probaturus sum, quippe quibus patrimonia pri-
vata habere permiserim, exceptis auro pariter et ar-
gento, quae communis hic usus magis esse regia
confitetur. Reliqua vero omnis moneta, quae cuique
est, domino permittetur. Armamentaria sane privata,
si in usum publicum satrapae necessaria viderint, his
quoque eos uti oportere mandavi. Agmina pariter
peregrinari inque aliena transire interdixerim, nisi

1 mulcedinem *T.* dulcedinem *A.* 2 delectationem *T.* delectationis *A.*

35. 8 dicit *P.* haec *om. P.* 10 nullam profecto sapientiam *T.* 12 diis *T.* *om. A. P.* 13 superis *T.* super his *A.* super *P.* 21 solemnitates *A.* festivitates *P.* 23 probatus *T.* privata *T.* priva *A. P.* 24 permissum est *T.* 26 quae cuique *P. T.* quaecumque *A.* 27 permittitur *Mai*[2]. 30 peregrinari *P.* peregrinare *A.*

quod tuendi sui gratia usque ad decem vigintive hominum numerum congreges facient. Cetera multitudo pro rebellatione et hostico punietur.

36. Mercaturarum versurae sint itidem ut sub 4
Dario pateantque commercia vel Graecis in Persas vel Persis etiam ad Graecos. Quippe provisum est, ut per satrapas etiam dimensa spatia viae publicae consternantur. Sollemnitates vobis et certamina gymnica erunt; sed hisce omnibus praesides dedi ex Alexandria mea viros Aegyptios, quibus aureae quoque coronae gestamen et amictus purpureus est permissus, praeterque eos ingressu ceteros sacri templique prohiberi [*placuit*]. Iudicia etiam, quae vulgo privatim quisque faciebat, nisi per curiam publicam civitatum celebrari non licebit. Ac si praeter haec aliquis ausus erit, hostis supplicio punietur.' Et haec quidem Ale- 4
xander usibus publicis. Quod vero ad comprehendendos eos, qui Darium vulneribus incesserant, dicit haec: 'Equidem me gaudeo hostem maximum Darium servitio subiugasse, eiusque mortem licet ipse exsecutus non sim, habeo tamen hisce, qui id fecerint, gratiam. Quare quod benivolentiae suae erga me studium protestati sunt, ii, quique sunt auctores huiusce, hortor ac moneo, uti se prodant mihique indicent praemia debita recepturi. Neve istud in ambiguum dubiumque quis transferat, iuro deos maiestatemque patris Ammonis et Olympiadis matris meae, quique hi fuerint, eos me sublimes ac notissimos omnibus effecturum.

3 rebellione *P*.

36. 9 his *P*. 10 Aegyptios *Mai*². egypti *P*. ex Aegypto *A*. 11 gestamen *T*. res tamen *A.P*. 12 praeterque *A.P*. pariterque *T*. ingressu *T*. ingressus *A.P*. 13 placuit *add. Mai*. In ducia *P*. 15 Ac *A.P*. Hinc *Mai*². 16 hoc *P*. 21 his *P*. 22 benevolentiae suae erga me *T*. benivolentiam suam erga mei *A.P*. 23 ii quique *T*. hi qui *P*. ii quoque *A*. huius *P*. 26 deos *T*. *om*. *A.P*. maiestatemque *T.P*. maiestatem *A*. patris et *P*. 28 eos me *A*. eosque *P*.

Neque enim non maximo digni praemio, qui eius consilia praeverterint, qui rursus bellum et nova mihi proelia meditabatur.'

37. Ad hoc edictum multis quidem fletu res 42.
digna videbatur. Sed enim Besas et Ariobarzanes, auctores scilicet caedis Darii, Alexandro sese obvios ferunt et professi facinus sponsionem praemii repetunt. Tunc viros protinus comprehendi et quam editissimo in loco cruci subfigi iubet. Quod cum praeter spem omnibus accidisset, patefecit rex dignum se suo nomine existimasse, si quid de regia liberalitate subtraxerit, dum Dario modo ultio debita procuraretur. Neque tamen hisce ipsis de periurio se reum fore, cum sublimes eos notissimosque omnibus fore edicto promiserit, quos quidem facile sit visere in illo suggestu crucibus adfixos. Tum omnibus et oratio placuit et regis benignitas comprobata est.

Sed hisce gestis ex voto Persarum et illic XXII.
satrapa constituto, qui patruus Dario fuisset, eiusmodi 43.
litteras Alexander ad Rogodunen, matrem Darii, facit: 'Ea quidem cuncta, quae mihi adversum Darium fuere, perinde ut diis libuit, sunt transacta. Enimvero ego votis petivi, ut eius incolumitatem nanctus socio ipso uterer atque amico. Sed is quoniam suorum insidiis Besae vel Ariobarzanis sit interfectus, nihil a me reliqui fuit, quod ad prosequendum eius funus ultionemque dignum foret. Verum quoniam supremo Darius adloquio filiam suam Roxanen mihi in coniugio esse mandavit, voto eius et precibus accessi; idque e re est de litteris iam praesciri.'

2 qui *T.* quibus *A.P.* novum — proelium *Mai*^{2}.
37. 5 Besas *A.P.* Besus *Mai*^{2}. 9 affigi *P.* 10 rex dignum *T.* ex dignum *A.* dignum *P.* 11 liberalitate *Mai*^{2}. libertate *A.P.* 13 his *P.* 16 placuit *om. Mai*^{2}. 17 benignitatis *P.* 18 his *P.* ex voto T. et ex voto *A.P.* et illic T.*P.* illic *A.* 23 incolomitatem nanctus T.*A.* incolumitatem nactus *P.* 24 Sed his *A.P.* Sed et his T. 25 Besae *codd.* Besi *Mai.* 29 idque T.*P.* Itaque *A.* 30 praesciri T.*A.* praecui *P.*

38. Ad haec Rogodune mater Alexandro sic re- *44.*
spondit: 'Nobis quoque id voti maxime fuit, ut quo-
niam diis inclinare Darii nomen ab illa potentia li-
buisset, in te nobis et illius dignitas et spes omnis
incolumis servaretur, quem virtutum scilicet et sapien-
tiae merito dignum fortuna sua nullus addubitet. Id
ergo ut cunctis, ita nobis praecipue voluptati est,
quas et in illa versura fortunae nihilum triste experiri
contenderis et habitas pro veteri ac tui nominis di-
gnitate nunc etiam regno participes. Igitur nobis
quoniam id, Alexander, quod Darius, es, in te nobis
deos et deorum beneficia numeramus, hancque gratiam
ut tibi confessae, ita Persarum quoque proceribus pa-
lam fecimus, quo ipsorum etiam votis deorum immor-
talium numeris et consortio congregere. Quare tecum
una, quod iubes, Roxanen quoque deinceps venerabi-
mur.' Et haec quidem mulieres ad regem. Eaedem *45.*
tamen satrapis et optimatibus talia: 'Agamus largiter
diis immortalibus gratias, quod Dario desinente Darii
nobis beneficia non desunt. Nam et Roxanen Ale-
xander suam fecit eamque coniugii honore dignatur:
qua cunctos de gratia una cum diis ipsis deorumque
simulacris [*obviare*] vos regi adeo benignissimo opor-
tebit, atque id, quod in commune proficiat, confiteri,
cum eos, in quos dominus factus est, mutuari gau-
dium suum maluerit quam exercere.'

38. 5 incolomis T. *A.* incolumis *P.* et *om. A.* 6 nullius *A.* id ergo *A. P.* et idcirco T. 7 ita T. *P.* id a *A.* 7 voluptatis T. 8 quas *Schlee.* quos et illa versura T. quos et in illa versum *A. P.* 9 pro veteris ac tui nominis dignitatem T. 11 id T. *om. A. P.* es *A. P.* est T. 14 quo T. *om. A. P.* votis T. *P.* vobis *A.* 15 congregere *P.* congredere T. congregare *A.* 17 regem agenda *P.* Eaedem T. *A.* (*corr. ex* meaedem T.) 18 largiter *A. P.* taliter T. 19 mortalibus *A* 22 cum diis — oportebit atque *om. A. P.*; *locus servatus in* T., *qui tamen in imo margine sinistro mutilatus est: desunt initia quattuor imorum versuum:* qua — obviare — id quod — quos do —. cunctos *scripsi.* cuncti T. *A. P.* 23 obviare *supplevi coll. cap. I, 33; III, 57.* 24 confiteri *corr. ex* profiteri T.

39. Sed ad eiusmodi legationes Alexander gravabatur. 46 Neque enim se parilibus cum diis honoribus exaequabat, quin immo meminisse semper *ut* mortalis suimet oportere admonebat. Nihilominus, ut quisque in haec officia venisset, laudatos atque donatos honoratius dimittebat. Idque quod de Roxanes nuptiis consuluisset, cum matre participat Olympiade iubetque id, quod ex priori praeda mundi regii fuerat Rogodunes atque Roxanes, referri ad eas protinus. Enim ut adfluerent regalibus copiis, ita monet verecundiae quoque disciplinaeque Graecae meminissent, colentes scilicet Olympiada ita, ut se rege et marito dignum foret; id enim uxore faciente nihil fore, quod magis esset Alexandro placiturum. Atque his ita institutis et factis ordinatoque omni regno Persarum in Porum ducit exercitum.

39. 1 eiuscemodi *P.* 3 exequebat *A. P. in A. correctum in* exequabat. ut *addidi. cf. p. 99, 13.* mortalis T. mortales *A. P.* 4 oporteret T. 6 idque T. itaque *A. P.* 7 iubetque *A. P.* iubet T. 9 id referri *A. P.* 12 Olympiata *P.* Olympiadaem *A.* regem et maritum T. *A verbis* 'et marito' *incipit prior pars schedarum Basileensium* (*B*), *quas Wackernagel repperit. cf. Zeitschr. f. deutsche Philol. I, p. 119.* — 16 *Post verba* 'ducit exercitum' *P. pergit ita:* Transmis (*leg.*: transmissis) ergo regionibus niceam oppidum obsidens sagitta humerum superscribitur. Incensam tamen urbem ducenta triginta [*milia*] bovum illic capta forme merito destinatum a captivis Macedoniam cultum agros suorum et suascitum (*leg.*: pascitum). Compertoque gentes achas sexaginta milia armavisse, in eos ire festinat. Pugnaque conmissa alexander crus sagitta vulneratur. Sed die quarta belli in opere interfecto rege se dedunt. — Iulii Valerii res geste Alexandri macedonis Translate ex esopo greco liber secundus Explicit, qui est actus eiusdem. Incipit obitus eiusdem liber tertius. *In T. subscript.*: IVLI VALERI ALEXANDRI POLEMI VC RES GESTAE ALEXANDRI MACEDONIS... LATEX EROPRO GRECO EXPLCT LIBER SECVNDVS QVI EST ACTVS EIVSDEM INCP OBITVS LIBER TERTIVS. *In A*: Iulii Valerii Alexandri Res Gestae Alexandri Macedonis Translate Ex Hesopo Greco Liber Secundus Qui Est Actus Explicit. Incipit Obitus Libri III.

LIBER TERTIUS

QUI EST

OBITUS ALEXANDRI.

1. Emensus igitur desertas Indiae regiones aqua- I
rumque indigentissimas, bestiolarum quoque examini- *1*
bus infestas, quas phalangia vocant, multo labore ipse
atque exercitus fatigantur; in eademque iam duces
eius se conloquia conferebant, quod sibi satis esse
deberet usque ad Persas proeliis laborasse. His quo-
que subditis et Dario consultum, quantum oportuerit,
Graeciae, si modo vectigales Persas patriae fecissent.
Quo vero ille tenderet labor in Indiam properantibus,
adeo infestis omnibus locis feritate bestiarum? Quod
si in tantum cupidine rei bellicae Alexander urgueretur,
non sane videri consultum, inconsultae isti cupidini
si comes fieret reliqua multitudo. Iret ergo, quo vellet,
duceretque, qui vellent; se tamen missos facere deberet
tot iam bellis exercitos ac fatigatos. Enimvero his *2*
Alexander cognitis advocatoque omni tam Persico
scilicet quam Macedonico exercitu in haec verba
contionatur: 'Unus mihi idemque est sermo apud

1. 4 *Codd. A.P.B. incipiunt ab* 'aquarumque'. *Initium libri servatum est in* T. 5 indigestissimas *A.* 6 falangia *A.P.B.* sfalangia T. 8 se T. *om. cet.* 9 debere T. 9 Persas T. Persarum *cet.* proeliis T.*B.* prodiis *A.* proelia *P.* 12 in Indiam *A.B.P.* in insidiam T. 13 infestibus *B.P.* 14 tanto *P.* cupidine *Schlee.* ordine *codd.* re bellica *P.* bellica *B.* 15 consultum *scripsi.* consilium *codd. verbo* 'inconsultae' *finiuntur schedae Taurinenses.* 16 quo *A.B.* quod *P.* 17 se *P.* sit *B.* 20 scilicet *om. P.* 21 Unus mihi denique est *B.*

utrumque vestrum, o fortissimi milites, quive mecum Macedones huc venistis, quive Persae experti imperium post victoriam nunc mihi commilitium profitemini. Igitur in commune vobis dictum hoc habetote, quod si me solum ire in Indos eorumque bella decrestis, faciam id quidem intrepidus ac libens. Enimvero unum admoneam, quod adtestemini, nihil esse mirum, si ad futura quoque discrimina solus ire compellar, cum prioribus quoque solus animi virtute subfecerim.

2. Neque mihi est arduum, Macedones mei, ea- 3.
dem consulere nunc, quibus vos rectos in hanc solus possessionem victoriae duxerim, sola ferme cura imperatoria militans in hisce, quas confecerim expeditiones, nisi forte istud a me adrogantius ac non verius dictum esse miremini, cum unum quodvis imperatorium sapiens prudensque consultum praestet manum multorum inconsultius laborantium. Recognoscite igitur pariter et recensete, an vos umquam subficere potuisse tot illis Darii milibus ac fortitudini putaretis, quae ego princeps semper militiae laborisque semper dux in proeliis insuperavi, nisi forte aliis addubitantibus timentibusque egomet ipse legationem mei apud Darium facere dubitavi, nisi uspiam me cunctantem aut residem in proelio denotastis. Si ergo vobis ista sunt amica consilia, uti deserto me solitarii ad Macedoniam repedetis, ite sane: libens vos votis properantibus prosequar, modo si concordi animo id facere possitis neque dissidentes in nulla pericula prolabamini, ex quis facile noscatis omnem exercitus fortunam atque virtutem consistere in animo sapientis imperatoris.' His auditis haud dubie cunctos [*pudor*]

4 habeto *B.* 5 bella *om. P.B.* decretis *A.*
2. 13 his *P.* 14 ac non verius *om. P.* 19 tot *Mai.* ut illis dari *A.* ut illis darii *P.* fortitudi *A.* 20 quae *P.* qua *A.* 21 superavi *P.* 22 ac dubitantibus *P.* 24 aures idem *B.* 26 solitario *B.* ita *P.B.* libensque *P.B.* 28 in ulla *P.* 29 prolibamini *A.* 31 pudor *addidi.*

pariter et poenitentia fatigabat. Confirmatis denique animis, quaesunt et sedare iracundiam regis, et uti se obsecutoribus ad cupita.

3. Atque ita fines Indiae ingressis obvii fuere II.
legati, quos rex Porus ad Alexandrum cum litteris 4.
miserat, quarum sententia haec erat: 'Porus rex Alexandro dicit haec. Incursanti infestantique tibi fines ac civitates meas mando, Alexander, dicoque, uti cum te hominem memineris, nihil ad deos inconsultius moliare. Neque enim urguere te debent ad ausa temeraria fortunae hominum imbecilliorum hortarique, uti Indos incessas, quod tibi fuerit in Persas fortuna proclivior. Non enim te ex eo iuvari aucta speraverit virtus tua, cum primum nostri ceperis experimentum. Patet quippe cuivis nosse, quis ille sim Porus, et an ulli adversum nos licuerit ex*periri* fortitudine, quippe qui non homines modo, verum etiam deos viribus antestemus. Quibus diis inefficacem audaciam fuisse adversum nos documenta sunt antiquissima vel vestra, quippe cum illum ipsum Liberum vestrum, qui apud vos deus existimetur, temere in haec inrumpentem irritum superatumque hinc Indi in fugam verterint.
Quare non modo suadeo, verum iubeo quoque abire 5.
te hinc ad tuas Graecias contentum Darii fortuna et paribus gentibus viribusque ad illam vestri nominis mediocritatem. Neque enim si nobis Graecia vestra opus foret, non olim atque ante Xerxae conatus subacta Indis foret. Enimvero quoniam inutilis nobis

1 et *om.* *P.* poenitentiam fatigebat *B.* 3 sese *B.*
3. 4 ingressi — legatis *P.* 5 porrus *P.* (*sic semper*). 7 fines civitatis meae *P.* mee *B.* 8 utique *corr. ex* tibi *B.* 10 urguere *A.* arguere *P.B.* causa *B.* 11 imbecillorum *P.* 13 aucta *P.* aut *A.* aut aspiraverit *B.* 15 quis *om.* *P.B.* *in* *A.* *superscr.* an ulli *Epit.* nulli *A.P.B.* 16 experiri *scripsi.* ex *codd.* quippe qui *P.B.* quippe *A.* 21 irrupentem *A.* 23 iubeo quoque *A.* iubeoque *P.* 24 contemptum *P.* 25 urbibusque *B.* vestri *A.* vestram *P.* illa murī *B.* 27 conatus *A.P.* quo natos *B.*

est nihilque dignum opibus nostris aut amoenitatibus habet, neque quaesita est neque quaeretur. Is enim demum labor suavis est proeliantibus, ex quo sit etiam idonea spes praemiorum. Neque enim est nostrum, in magno conatu digno operae pretio caruisse. Quare id tertio iam praedico ac denuntio tibi, uti facessas ex his, quibus imperare non possis.'

4. His litteris publice recitatis, Alexander ait: *6.* 'Nunc quoque vos moneo, sanctissimi milites, ne quid rursum magnificentia ista barbarica animos vestros inconsultius turbet. Auditis enim litteris Pori revocate illam quoque litterarum Darii memoriam, videteque, num adrogantia dispar, num dissimilia verba aut sit dissimilis imprudentia. Sicut enim istae ferae bestiae, quae apud ipsos sunt plurimae, pardi videlicet et leones elephantique, solo illo naturae suae fretae impetu et corporis alacritate, facile hominum sapientia subiugantur, itidem hosce barbaros intelligetis fiducia multitudinis fretos, nulla tamen praeditos imperatoria Graecave sapientia perfacile mox in dicionem nostram esse venturos, atque itidem prudentia nostra ad perniciem sui uti posse, ut in feras est facilis hominibus effectus.'

5. In hunc fere modum Alexander cum suos ad- *7.* hortatus esset, ipse quoque Pori litteris responsurus in hanc sententiam scribit: 'Terreri nos putans, Pore, litteris tuis magnum admodum meis consiliis incentivum praestitisti, quo nobis in vos dispositum est militare. Dicis enim nihil eiusmodi habere Graecos, quod sit dignum ad opulentiam vestram, vos vero

1 *verbo* 'est' *finitur prius folium Basileense.* 2 quaereretur *A.* Is *A.* his *P.* 4 enim *om. A.* 5 opere *A.*

4. 9 ne quid *P.* ne qui id *A.* 11 inconsultos *A.* 12 videte quae num *correct. in* videte quae nam *A.* 14 aut *A.* haud *P.* ferae istae bestiaeque *A.* 17 frete *P.* freti *A.* et corporis *Mai.* ex corporis *A. P.* 18 itidem *P.* idem *A.* intelligitis *A.* 22 pernicionem *A.*

5. 27 admodum consilium, *verbis litura separatis A.*

hisce esse omnibus adfluentes, quae sint ad beatitudi-
nem necessaria. Addis praeterea operae pretium con-
siderari militantibusque oportere [*ita*] uti, ne frustra
laboretur. Quibus omnibus doces, quod nos quoque
alacrius ad vos tendere debeamus, unde nobis haec
cuncta, quae adeo vos praedicatis, accesserint. Fateor
enim nihil esse Graecis eiusmodi, quorum vos divitiis
gloriamini, atque idcirco indigentes meliorum a vobis
petere necessaria. Illud vero ridiculum, ut cum te *8.*
homunculis praeferas, tum diis quoque potiorem esse
pronunties, quod ni adesset litteris tuis, in reliquis
fiducia fortitudinis dici posset; quoniam vero hisce
non temperas, temeritas utique est intelligenda. Quare
sicuti tibi constantiam fingit ille contemptus, velut
earum fortuna gentium minime moveare, quae sunt a
nobis bello superatae, ita nos quoque nihilum omnino
terrebit verborum ista magnificentia, quae temeritatis
vestrae index potius est quam fortitudinis.'

6. His lectis Porus ad belli studia incitabatur. III.
Cogit ergo exercitum et quam plurimos elephantos *9.*
ceteraque genera bestiarum, quibus Indi commilitant;
contraque eos Macedonum et Persarum aderat multi-
tudo. Enimvero cum illos Pori numeros Macedones
intuerentur unaque his bestias memoratas, admodum
animo turbari coepere, haud dubie cunctabundi ob in-
solentiam eiusmodi proelii, quod una esset cum ho-
minibus barbaris et omnigenis bestiis agitandum. Id
animi eorum non clam Alexandrum fuit. Nam ipse
quoque unacum bestiarum ista novitate movebatur.

Quaesita ergo belli ratione, comminiscitur per *10.*
astutiam, quo demum genere averti posset impetus

1 his *P.* 2 opere *A.* consideri *A.* 3 militantibus *A.* ita *addidi. cf. p. 126, 28.* 4 quod *A.* quo *P.* 6 adeo etiam *P.* 9 vero *A.* ergo *P.* 12 hisce *A. P.* ab hisce? 13 temperat *A.*

6. 21 conmilitant *A.* militant *P.* 23 Pori numeros *A.* per innumeros *P.* 24 unaque *P.* una *A.* bestiis memoratos *A.* 27 omnigenis *A.* omnigenus *P.* 30 per *om. P.*

bestiarum. Igitur statuas aereas quam plurimas advehi secum quibusque de proximis locis ad locum proelii iubet. Quod ubi factum est, ibidem igne subiecto quam plurimo calefieri eas et igniri festinat; erantque eae statuae post primos aciei ordines sitae atque ita ante belli tempus hostibus invisitatae. Enimvero ubi signa bellica crepuere primique concursus partium sperabantur, Indi barbari feras illas bestias prae se ire dimittunt, ita scilicet doctas, ut cum primum in adversos volavissent circaque eas proeliaturi hostes occuparentur, nihil Indis supervenientibus morae fieret, quin libera iaculandi hostis trucidandique facultas pateret. Id ubi factum est, praedocti Macedonum ordines primi paululum de loco, quo institerant, repedantes ignitas statuas incursantibus bestiis produnt. Quas cum falsa facie velut etiam candenti colore, impetu belli complexu et morsibus adfectarent, mox sauciae debilesque aut protinus cadere aut refugere coepere omnino nullum auxilii ullius emolumentum dominis adferentes.

7. Sicque Indis ab illo ferarum auxilio destitutis *11*
secunda concursio fuit, ut ipsi privi inter sese virtutibus experirentur. Igitur Persae coepere sagittis Indos incessere ceteroqui nudos armorum eminusque configere, neque minus eos equestribus proeliis quam vehementissime Macedones fatigare. Cum quibus una cum ipse Alexander periculo non deesset, equus ille Bucephala, quo vehebatur, Pori dextra vulneratur, et

1 quantas plurimas *P.* 3 quod ubi factum est, *in P. omissa esse Volkmannus dicit* (*Adnot. crit. p. 15*). igne *P.O.* igni *A.* 5 heae statuae *A.P.* post primas acies et ordines *A.* 16 veluti etiam cedenti *P.* ductae, etiam? 17 effectarent *A.* 20 dominus *P.*

7. 22 ut *om. P.* privi *P.* prius *A.* 23 exferirentur *A.* 24 ceterosque *P.* eminusque confugere *A.* comminus configere *P.* 25 neque minus *A.* quominus *P.* 26 fatigarent *P.* 27 ille *om. P.*

cadit, idque Macedonibus supra omnia, quae possunt in proeliis incommoda videri, ingratum fuit. Quare neglecto omni omnino opere bellandi equum exanimem ipse cauda in partes suas retrahit metuitque, ne spolium illud Indi suum vellent, quod esset Alexandro pudibundum. Atque ita receptis suis et proelio dissoluto viginti ferme dies indutiis dantur, quibus utrimque sepeliendis exurendisque his, qui apud alteros proelio desiderati fuerant, instituere. Sed 12.
hisce quibus dixi diebus haud pauci Persarum in partes Pori transire Alexandro nuntiabantur. Quod IV.
cum et impune fieri pervideret et consuetudinem haud commode gliscere fidei negligentibus, iniit consilium, uti Porum ad solitarium ipse proelium provocaret, cetera dicens genera bellandi fortunam exspectare potius quam virtutem aut gloriam ducum. Enimvero sibi non indidem laudem videri imperatores captare debere, unde subditis suis periculum fieret. Optimum ergo in utroque iudicatum iri, si suis ipsimet duces manibus experirentur. Quod si Poro sederet, fortunam eiusmodi minime aspernaturum. Id barbarus sibi libenti satis offerri profitetur adquiescitque condicioni, quam Alexander fecerat, scilicet aestimatione barbarica de modo corporum mensuram virium metiens, cum se proceritudine corporis et cetera magnitudinis congruentia longe distare ab exiguitate Alexandri pervideret, ipse quinque ferme cubitis evectior, cum Alexandrum qui visitavere vix tribus cubitis numeravissent.

2 videri ingratum fuit *A.* redivive *P.* 3 equum exanimem *etc. A.* cum ipse exanimem caudam *P.* 9 altero *P.* 10 his *P.* 11 transisse *P.* 12 impune *A.* in pue *P.* 13 iniit *P. Epit.* init *A.* 16 potius *P.* protinus *A.* 17 videri *P.* viri *A.* 18 debere *om. A.* 19 iudicatum iri *Haase. cf. Volkmann ad Itin. Alex. XVIII;* iudicant viri *A. P.* ipsimet *P.* ipsi *A.* 22 et acquiescit *P.* 23 quam *P.* quem *A.* 25 proceritate *P.* magnitudine congruenti *P.* 26 exiguitatem (*om.* ab.) *P.*

8. Hac igitur adrogantiae spe cum dies pariter 13.
et locus proelio constitisset fieretque pugna regalis, primitus quidem anceps diu fortuna bellantibus videbatur, non minus Alexandro tempus incursandi rimante, quam Poro locum vulneris declinante. Sed cum forte apud Indos ex quadam repentina conversione Pori strepitus et conclamatio exstitisset, avertissetque os, quo causam Porus illius strepitus cognovisset, involat Alexander atque eius inguina telo eminus transfigit eumque prosternit. Hac indignatione Indi excitati in arma prosiliunt instaurantque id proelium, quod absque vulgi periculo pactum inter reges erat. Enimvero Alexander saepe iam Indicam 14
vim expertus non facilem rei bellicae manu silentium quaerit et ab hoste patientiam petit paulisperque patientibus in hunc modum loquitur: 'Non equidem video causas, o Indi, tam inconsulti huiusce discriminis vestri, cum nihil egerit aliud nostra inter nos proeliatio, quam uti vestro commodo consultaret. Igitur cum omnis militantium vis ei ostentationi proficiat, si teste imperatore suo, quod singulis sit devoti animi, monstraverint, quid hoc rei est, quod incassum discrimina vestra profunditis, Pori iam testimonio facessente?'

9. Ad haec dicta cum Indi se nolle Graecis 15
fieri captivos dominumque Alexandrum pati vulgi murmure testarentur, secundo etiam sermone Alexander monet, solverent hunc cordis sui metum exspectationemque curarum eiusmodi abicerent atque secluderent, et fidem rati dat iureiurando. Neque enim sibi libidinem talem aut desiderium umquam Indici imperii adstitisse, sed enim omnem illam causam

8. 9 inguina *A.* ing[i]nem *P.* 10 eminus *P.* minus *A.* 14 rem bellice, *corr. ab alt. manu in* bellicam *A.* 17 huiuscemodi *P.* 20 ei *P.* et *A.*
9. 26 dominumque *A.* dominum *P.* 31 umquam *A.* quam *P.* 32 adstitisset *A.*

proelii hanc fuisse, si experimento ipso fortitudinis suae gentes quoque ceterae didicissent, amicitiam suam singulos magis quam vehementiam experiri convenire. Igitur irent quisque securus in sua nec ultra quicquam de victorum insolentia trepidarent, cum illa quoque causa ab indignatione victoris sese utique tueretur, quod plerique soleant in ultionem prioris contumeliae insequi superatos. Non Indos enim culpae illius reos apud se fuisse, verum Porum, qui sat sibi poenarum, quae lex belli, monuit, praestitisset. 'Sed ne ipsi quidem ultra iam hostis sum,' ait. 'Quin etiam hortor moneoque vos, uti regem, ut fas exigit et vobis moris est, sepulturae inferatis.' Ad haec dicta Alexandri non cunctanter quidem adquieverat vis Indorum. Sed enim Alexandro non absque utili sapientia haec humanitas sederat, cum et vim Indicam saepe expertus foret et pleraque praedae eorum, quae secum plurima gentis suae more Indi ad proelium vehunt, in suam potestatem sciret esse translapsa.

10. Quare domitis hostibus avectaque praeda ad Oxydracontas, quae gens exim colit, iter suum dirigit, non illam quidem gentem ut hosticam incursaturus — neque enim illis studia sunt armorum —, sed quod celebre esset Indos, quos gymnosophistas appellant, hisce in partibus versari, opum quidem omnium et cuiusque pretii negligentes, solis vero diversoriis patientissimi, quae humi manu exhauriunt aditibus perangusta, enimvero subter capacius spatiata, quod

4 securus *om.* *A.* 6 ad indignatione *corr.* *in* indignationem *A.* 7 tueretur *A.* uteretur *P.* 9 illius *A.P.* ullius *prop.* *Mai.* 10 quae *Mr.* quia *corr.* *ex* qui *A.* que *P.* quas *prop.* *Mai.* 16 humanitas *P.* humilitas *A.* 18 mori *A.* 19 *Hic inseri vult Meusel* (*Fleckeis. Ann. 99, p. 285*) *ea, quae ex P. attulimus ad p. 123, 15.*

10. 20 domitis *A.* dimotis *P.* evectaque *P.* 21 osydracontas *A.* osidracontas *P.* 22 incursaturus *P.* incursatur *A.* 25 his *P.* 26 diversorii sapientissimi *A.* 28 capacius *Volkmann.* capacibus *A.P.*

id genus aedium neque pretii scilicet indigens et ad
flagrantiam solis aestivi apricius habebatur. Ii igitur V.
cum comperissent Alexandrum ad sese contendere, primates suos, quos scilicet a sapientiae modo censent,
obviare adventanti iubent cum litteris huiuscemodi:
'Gymnosophistae Bragmanes Alexandro homini dicunt. 17.
Si tendis ad nos proeliaturus, utique tibi propositum est, quid nobis adferas, habes porro, quod auferas, nihil. Sin vero venis ut discas, quae a nobis scilicet sciri queant, nulla est invidentia. Etenim non arbitramur inter hasce scientias nostras causam discordiae positam, cum tibi amica res proelium, nobis vero philosophia noscatur.' His lectis Alexander pacificum iter agere decrevit; videtque homines reliqua nudos, sed amictu simplici superiectos, diversantesque his aedibus seu speluncis, quarum relatio supra est. Eorum filii coniugesque pascendis pecudibus occupabantur.

11. Ergo instituit Macedo cum hisce hactenus loqui, VI
ac primum [*quaerit*], an uspiam huius gentis hominibus 18.
sint sepulchra. Ad haec responsum est, idem sibi domicilium esse, quod sepulchrum, eoque consuefieri his diversoriis, ut dum quotidie dormiunt, desinant aliquando vigilare, exque eo sibi esse unam domum viventi pariter et mortuo. Rursus quaerit ex alio, utrumne plures vivi an mortui putarentur. Ad id responsum est, videri quidem plurimos mortuos, sed

2 estiva apricus *A.* aptius *Mai.* Hii *A.* *om.* *P.* 3 primatos *P.* 4 cessent *A.* 5 adventati *A.* *post* huiuscemodi *inseritur in A.:* EPISTOLA GYMNOSOPHISTARUM AD ALEXANDRVM. 6 Gimnosophistae Dragmantes *A.* tragmannes *P.* 7 utique tibi praepositum est *A.* utique tibi proposito *P.* inutili tibi proposito *Mr.* 9 venies *P.* 10 non *om.* *A.* 14 agere decreverit *A.* aggrederetur *P.* *corr.* *Mai.* 15 deversantesque *A.* 16 seu *P.* secus *A.*

11. 18 his *P.* 19 quaerit *addidi.* 22 ut *Mr.* et *P.* sed *A.* 25 vivi *P.* viverent *A.* ad idque *A.* 26 *verbo* 'mortuos' *incipit alterum folium Basileense.* sed et eos *B.*

eos numerari non oportere, quoniam iam esse desiissent, quippe plures pronuntiari oportere eos, quos videas, quam illos scilicet, quos neque oculi ulli neque ratio conspicetur. Post quaerit ex alio, utrumne vita fortior an vero sit mors. Vitam esse responsum est, quod solis quoque ferventior orientis vigor, marcentior vero viseretur occiduus, ortumque hominis esse, quo vivitur, contraque, quo frigeat. Et id addit, utrum mare spatiosius anne terra. Terram esse respondent, cuius mare gremio teneretur. Sciscitatur id quoque, *19.*
quaenam omnium bestia callidior et astutior. Hic vero cum risu hominem esse pronuntiant adduntque rationem de exemplo sui, qui solus tot animantium milia inlexisset, ut ad persequenda ea, quae aliis essent, praedae cupiditate laborarent. Non his ut ad contumeliam dictis Alexander movebatur. Enimvero addit, quid imperium sibi videretur. At illi fraudis potentiam esse respondent adiutam temporis blandimento vel, si ita mavelit, iniusta audacia. Quaerit etiam, utrumne dies an vero nox prius constituta putaretur. Nihilque cunctantes noctem priore ordine posuere, cum omnia quoque concepta vivendi auspicium in tenebris sortiantur, post vero nata in lucis spatia transmigrarent.

12. Pergit denique sciscitari, cuinam mentiri *20.*
hominem non oporteret. Responsum est, deo, quod omnia videns ille sit atque omnium sciens. Quaerit etiam, quasnam in homine partes honoratiores esse

1 *Verba* 'oportere — pronuntiari' *om. A.* quoniam *B.* quum *P.* desinant *B.* 3 oculi illi *P.* 4 conspicetur *P.* conspicentur *B.* conspiceret *A.* 5 vere *P.* *in A. ordo turbatus. Verba* 'Vitam — ferventior' *leguntur post* quo vivitur. 9 spatiosius *om. B.* 10 mare *om. B.* id quoque *A.* denique *P.* 11 quonam *B.* bestiam *B.* Hic *A.* Huius *P.* 14 a persequenda *P.* 17 per imperium *A.B.* 18 adiutam *P.* ad vitam *A.* 19 iniustam audaciam *P.* 21 cunctanti *B.* 23 sortiantur — nata *om. B.*

12. 25 sciscitare *B.*

existimarent. Laevas esse responsum est, quod sol etiam oriens ex laevo dextrorsum curriculum exsequatur; tunc quod permixtio maribus ac feminis laevarum mage partium existimetur, et lactaturam feminam laevi uberis primum alimenta praestare, deosque laevis humeris religione gestari, et reges ipsos indicia dignitatis praeferre laevas. Cumque post haec et, quid sibi a rege vellent, largitum iri polliceretur, immortalitatem consoni poposcere. Sed id cum rex praeter potestatem suam esse dixisset, 'cur ergo,' aiunt, 'cum sis mortalis, tot tamen laboribus servis et tantis adpetentiis vinceris, quarum tibi fructus aut nullus aut brevis est, enimvero idem mox ad alios transiturus?'

13. Tum Alexander 'Non haec sane nobis,' in- *21.*
quit, 'in manu sunt, enim deorum vivimus lege, quam homines exsequi sit necesse. Neque enim illi nisi navigari maria sivissent, venti quoque navigantibus prosperarent, aut virecta etiam moverentur, nisi ob hoc ortis flabris impellentibus cederent. Gigni quis neget cuncta ratione, esse *ratione,* qua nata sunt, moxque occidere interireque ratione? Nihil denique omnino frustra reperies, quin cunctis actibus sui motus et causa sit. Ut mihi quoque non utique ratio ista bellandi sit suavis, sed quoniam animum meum ardor istiusmodi voluntatis incesserit, decedo ac ministerium meum puto, quidquid de hoc labore profecero. Deni- *22.*
que facessant ista de medio: quae iam erunt inter homines discrimina fortunarum? quae dispar ratio

2 etiam *om. P.B.* 3 promixtio *A.* 4 lactorum *A.* lactarum *corr. ex* lactorum *B.* 7 praeferre laevas *P.B.* laevas praeferre *A.* laeva *Mr.* 8 largitum iri *P.* largiter *A.* 11 tot *P.* tu *A.* 12 vinciris *P.*

13. 18 moverentur *Mr. e Graec.* morerentur *A.* orirentur *P.* ob hoc ortis *P.B.* obortis *A.* 20 esse ratione qua nata *Mr.* esse qua nata *A.P.* esse quanta *B.* 22 reperias *P.B.* qui *B.* actibus *P.* actis *B.* auctus *A.* 23 causa *P.B.* clausa *A.* utique ratio *A.* uti ratio uti ratio *P.* 24 quoniam *A.* quod *P.B.* 25 decedo *A.* de celo *P.* 26 hoc *om. B.*

gloriae? quae diversitas dignitatum? quis voti modus? Desinet protinus coli terra, transmitti mare, desiderari successio, cum illa promptior sit naturae hominis admiratio non videri, quae metuas, cum meminisse non desinas desideratorum. Etenim quanti qualesque meorum etiam proeliis cecidere? quanti vero adepti desiderata? Non ex illorum incommodo condicionem suam, sed ex ipso proventu beatitudinem metiuntur. Haec denique una vivendi lex est, velle sibi unumquemque, quod penes alterum videat, ut habeat ipse quoque, quod mox transmittat ad ceteros.'

14. His talibusque cum sese tunc Alexander XVII.
oblectavisset, exim iter prorsus exsequitur arduum qui- *23.*
dem illud et laboriosissimum inviis locis asperitate naturae et colentium vastitate. Deque labore hoc Aristoteli scribens magistro ut vel maximum sibi testimonium dicit eisque litteris sententia talis fuit. 'Operae pretium est, mi magister, eorum omnium, quae sint in nostris laboribus maxima, eorumque, qui mecum una toleraverint inopinatissima, te participare

1 modos *B.* 2 desiderare *A.* 3 hominis *om. B.* 4 videri *codd.* videre? 6 ceddere *B.* 8 mentiuntur *A.* 9 sibi *om. A.* 11 transmittat *P.B.* transmilitat *A.*

14. 12 talibus *A.* cum *om. P.B.* 13 oblectavissent *B.* 14 locis indicas asperitate *B.* 15 *Post* vastitate *in P. leguntur haec:* 'Interim cum unam civitatem in die obsideret, scalas muro praecelsas admoveri iubet. Quibus admotis cum praegrandibus saxis de saxis frangerent repugnantes, sola qua rex pugnabat, duravit. Et cum nullo auxilio idoneo quo sociis subvenire posset videret, irruit solus omnia hostium milia multitudinemque urbis in sese convertit; iamque vergente die a latere summo vulneratur, et recepto altius ferro decipi viribus occepit. Id macedones coniectati vi claustra effringunt, regemque suum diffidentem recipiunt.' *Quae fere verbotenus consentiunt cum Itiner. c. LII, unde menda corrigas.* De quo *B.* 16 uti vel maximo *B.* 17 eisque litteris *scripsi.* eiusque litterae *A.* eique litteris *P.* eique litteras *B.* *Epistolae inscriptio in A. legitur haec:* EPISTOLA ALEXANDRI AD ARISTOTELEM MAGISTRVM. 18 opere *corr. ex* oportere *A.* 20 inopinatissima *scripsi.* opinatissima *codd.*

per litteras. Igitur Indicas regiones incessimus. Nam cetera tibi ad Bragmanas usque praemiseram. His denique penetratis, Prasiacae supervenimus, quae civitas regia quaedam Indiae cluit. Situs vero eius loci arduus et ad promuntorii faciem longe porrectior; nam et mari imminet subiacenti. Enimvero quod istum colunt hominum nescias invisitatius an inauditius genus; hique sunt promisce mares atque alius sexus, omnes tamen ad nostratia corpora, quibus sunt feminae, molliores. Nam et vetus sermo eos molles Sabaeos appellat. Sed nihil aliud ferme ad cibum norunt praeter piscium genera, quorum illis multa et facilis abundantia est. Fuit igitur mihi ad eorum fabulas diligentia et interpres inventus est, qui nobis daret cum hisce barbaris fabulari.

15. Cumque multus et varius sermo procederet, *24.*
locum interea quendam insulae monstravere — nam is etiam eminus visebatur —, quod esse dicebant veteris cuiusdam regis indidem monumentum; id auro esse et pretiis refertissimum conditis. Cum hoc naturalem hominum vel diligentiam in nostris vel adpetentiam promovisset certatimque festinaremus, pars visendae eiusce insulae vel sepulchri, pars vero vel plurimi auri etiam aviditate, et spe potiundi iam animis gestientibus, repente barbari, qui loci eius indices fuerant, dilabuntur eque inconspectu nostro incertum quanam maiestate evanescunt, relictis sane naviculis admodum parvis duabus ac decem, quibus vectari soliti intelligebantur. Igitur una mecum cum amici ad specta- *25.*

1 incessim *B.* 2 usque ad bracmanas *P.B.* 3 Prasiacae *Mai.* parsiace *A.B.P.* 4 loci huius *P.* Situs situloci *B.* 5 promunctoria *B.* *Hic finitur alterum folium Basileense.* 7 inusitatius *P.* 8 alius sexus *ego.* aliud secus *A.P.* 10 molles abeosabeos *A.* 14 inventus *P.* ventus *A.* 15 his *P.*

15. 17 is *Mai.* his *A.P.* 20 conditis *Mai.* conditi *A.* *om.* *P.* hoc *om.* *A.* 22 permovisset *P.* 23 eius *P.* 26 incertum *Mr.* infertum *P.* incerta *A.* 28 intelligabantur *A.* 29 cum *om.* *P.*

culum properarent, Philon scilicet et Hephaestion, Craterus quoque multique alii, obstitit Philon ac periculum illud visendae novitatis non primum a rege faciendum, verum a se modo suisque similibus, suadere persistit. Quippe amplius aliquid in hisce regionibus formidandum, in quibus viderimus hominum formas de conspectu nostro facile evanuisse, neu si quid secus atque ut speraverant incommodaret, eius periculi fieret de rege principium. Sese igitur iturum esse confirmat ac, si exploratio secundasset, tunc demum nos tuto posse transmittere.

16. Sedet sententia persuadentis, atque ita iussi- *26.*
mus fieri. Conscensis ergo navibus protinus ire ad insulam tendunt, quae quamvis propter obviare oculis videretur, ad integrae horae tamen spatium consumpserant navigando. Tandem sunt visi insulae institisse. Sed ubi gestum est, omne id solum repente una cum viris et sepulchro, quod visebatur, submersari mari et in profundo labi conspicamur. Neque enim vana formido ludebat oculos intremiscentium, enimvero illa Philonis mors et exitium eorum, qui una Philonem comitati sunt, fuerat. Territi igitur detestabili morte sociorum indigenas barbaros rimabamur, si quid nobis de itinere consultarent. At vero nullus uspiam visitur, locisque desertis et inhospitalibus per octo pósthinc immorati dies egimus consilio confirmando. Tum in illo promuntorio, cuius supra *27.*
facta est mentio, bestiam quoque vidimus praegrandi

1 properarunt *P.* filon *A.* efestion *A.* 2 cratherus *A.* 5 his *P.* 8 incommodarent *A.* 9 igitur iturum *A.* iterum igitur *P.*

16. 13 ad insule ire *P.* 15 tamen *A.* tantum *P.* consumpserat navigantibus *A.* 16 visi *A.* usi *P.* 21 illud *P.* et *A.* est *P.* 22 comitati sunt fuerat *P.* comitati fuerant *A.* 23 barbaras *P.* rimabamur *scripsi.* rimabam *A.P.* 24 si quod *P.* 26 immorati *Mr.* immemorati *A.P.* 27 in illo *P.* illo *A.*

admodum et inopinabili magnitudine, quam ebdomadarion vocant, adeo immensi portenti rem, ut illi perfacile insistentes etiam super dorsum elephantos cerneremus. Hac igitur spectaculi foeditate moti iter ad Prasiacam repedamus, per quas ubique vastitates multa ferarum nomina multasque eiusmodi saevitudinis facies erat videre, serpentium quoque genera permiranda. Illic et solis lunaeque defectus comminus etiam speculati sumus et causam hiemis et temporum differentias arbitrati. Quo primum reversi, ut inspecta sunt, vos quoque participare curabimus.

17. Nunc enim nobis iter per regna Darii Per- *28*
sasque nostros agitatur; quam cum omnem peragrare regionem cordi habeamus, multo ubique auro multisque crateribus abundamus, non his ex auri modo materia pretiosis, verum longe lapidum luce maioribus. Neque tamen nobis alia quoque ab hoc genere divitiarum instrumenta sunt minora. Sed hic circuitus, de quo dicimus, a portis Caspiis fieri coeptus laboris aut vitae eiuscemodi. Ubi coenatum exercitui foret, statim signum dari classico et ad vesperam iniri iter oportebat; idque horis ferme nocturnis tribus agitari convenerat, sex vero insequentibus horis somno indulgere; rursusque exim ad horam diei quartam reliquum spatii transmittebamus. Sed enim viantibus non simplex habitus neque incuriosa munitio fuerat necessaria. Peronibus quippe crura omnia pedesque muniri et femoralibus uti pellinis oportebat reliquumque corpus ambire loricis, quod illae omnes

1 ebdomadarion *P.* ebdomarion *A.* 2 inmensi portenti rem *P.* mensi potentiarem *A.* 4 hac *A.* hec *P.* 5 repadamus *A.* 6 sevitudini *P.* 9 causam *P.* causas *A.* 11 curabimus *scripsi.* curavimus *A. P.*

17. 12 enim *om. P.* 15 auro *A.* 18 hic circuit *A.* hec circuitus *P.* 19 quo eptus laboras aut vitae eiuscemodi *A.* ceptus laboris aut vite huiuscemodi *P.* 23 insequentibus *Mai.* insequentis *A. P.*

Persicae regiones multis admodum et vehementibus infestari serpentibus dicerentur.

18. Idque iter continuatis diebus ferme duodecim 2 exanclavimus atque ita demum ad oppidum adventamus situm in insula circumflui fluminis; ibique visitur castrum consitum undique arundinibus, quae ad triginta cubitorum spatia supercrescerent. Crassitudo vero earum supra eam, quanta est hominis crassitudo. Navigia quoque plurima amni inerant, quae mox curiosius intuentibus partes quaedam fissarum arundinum noscebantur. Enim huius fluminis liquor ad potum hominis adversus amaritudine nimia est cum salsitate. Quaerentibus igitur, quam poteramus, ex adcolis usum elementi memorati aliud castrum eminus demonstratur ab stadiis ferme quattuor indidem situm; ad quod cum audacius quidam exploraturi properassent, flumen quidem adfluum vident; sed emersi indidem hippopotami magnitudine nescias an saevitia immaniores nostros, qui exploratum abierant, incursavere. Ac rursus ad aliam partem eadem nobis curiositate rimantibus agmen earundem bestiarum longe numerosius occursabat. Quare omni genere 3 fugienda loca evitandumque periculum videns classico signum abitioni praecipio, quamvis tanta vis sitis eiusque desiderii homines incessisset, ut plerique etiam a potu urinae ob necessitatis vehementiam non temperarent. Igitur forte fortuna cum exim stagnum quoddam dapsile repperissemus potitique desiderato ac persuavi potu *per* prata virentia sterneremur, eminus video in quadam adiacentis tu*muli em*inentia ti-

18. 5 insulam *A.* 6 a triginta *A.* 8 supra *A.* super *P.* 12 nimia est *P.* nimia *A.* 13 quam *A.* qua *P.* 15 situm *A.* consitum *P.* 18 inpotami *A.* hypotami *P.* *corr. Mai.* magnitudini *A.* 19 inmaniores *P.* in maiores *A.* 22 occursabant *P.* 23 loca *P.* loco *A.* 29 per prata *Mai.* prata *A.P.* 30 adiacentis tumuli eminentia *scripsi.* adiacentis tuinentia *A.* adiacentis uinentia *P.* adiacenti eminentia *Mai. Mr.*

tulo gemmeo superscriptam hanc sententiam: 'Aquationem hanc rex Seconchosis orbis universi praestiti cunctis Rubrum navigantibus mare.' Igitur iussi propter hoc stagnum castra constitui ignesque quam creberrimos fieri.

19. Et iam noctis ferme hora tertia numeraba- 3
tur inlustrisque admodum luna nihil diurni luminis demutarat, cum subito conspicamur undique ex omni silva, quae circumsteterat, bestias quasdam ad ripam stagni potus gratia contendentes. Erant eae bestiae scorpii quidem non minus proceritudine cubitali, ammodytae etiam albi colore vel rufi, nec non cerastae coloribus ut supra diversis. Quare vehementi sollicitudine incitati conspicantesque iam nostrorum aliquot interemptos fletibus undique consonantibus periculum opperiebamur. Insequebantur enim praedictas bestias etiam quadrupedes beluae vehementes, potus scilicet consuetudine ac necessitate illo venientes, quae quidem erant leones supra magnitudinem taurorum, quos ex nostratibus maximos ducimus, rhinocerotes etiam vel apri vel pardi, lynces quoque et tigrides scorpiurique una elephantis et bucriis; tunc taurelephantes et cum his homines senis manibus portentuosi; himantopodes etiam et cylioperdices multaque formarum humanarum genera invisitata.

20. Igitur excitabamur ad providentiam periculi 3

1 gemmeo *P.* gemineo *A.*

19. 7 illustri *P.* *post* luminis '*splendore*' *vel aliud substantivum excidisse suspicor.* 10 heae *A. P.* 11 proceritate *P.* ammoditate *P.* 14 aliquot *scripsi.* aliquod *A. P.*; *in A. superscr.* quos. 20 duximus *P.* 21 scorpiurique *scripsi secutus Graeca καὶ σκορπίουροι.* corepti utrique *A.* corripti utrique *P.* 22 bucriis *Mr.* (*βούκριοι Graec.*). buriis *A. P.* taurelephantes *Mr.* (*ταυρελέφαντες Graec.*). Tyre elefantes *A. P.* 23 senes *P.* himantopodes *Mr.* (*ἱμαντόποδες Graec.*). in antopodas *A.* in antopodes *P.* 24 cylioperdices *scripsi.* cynopendices *A. P.* (*κυλιοπέρδικες Graec.*). multarumque *P.*

imminentis. Atque ideo arma quidem quam properantissime capimus; mando vero ignes quam maximos et creberrimos fieri silvisque ipsis conflagrare facillimis immitti incendia. Quae res etsi plurimum quantum contra multitudinem bestiarum opitulari trepidantibus poterat, invitat tamen nimietate luminis plurimas illo contendere; idque certamen in eo usque novis vitandis periculis fuit, donec lunae cum occasu umbrata tellure effusisque tenebris ad consueta silvarum refugia omnes illae bestiae remearent. Non prius tamen memorata *3*
saevities animantium receptui consulit, quam id animal supervenisset, quod regnum quidem tenere in hasce bestias dicitur; nomine autem odontotyrannum vocant. Haec bestia facie elephantus quidem est, sed magnitudine etiam huius animantis longe provecta, nec minor etiam saevitudine hominibus egregie saevientibus. Quare cum nostros incesseret ac ferme viginti et sex de occursantibus viros morti dedisset, tandem tamen reliqua multitudine ignibus circumvallatur et sternitur. Adhuc tamen saucius odontotyrannus cum indidem fugiens aquae fluenta inrupisset ibique exanimavisset, vix trecentorum hominum manus nisu extractus de flumine est. Hactenus igitur noctis illius nobis periculi finis fuit.

21. Longe tamen molestius, — quo enim caveri *3*
difficilius erat — quod post evenit. Tenebris enim post occasum lunae omnia obumbrantibus nyctalopicas viseres de arenis profundis emergere non minoris longi-

20. 1 arma atque quidem *P.* 4 etsi *Mai.* et ipsi *A.P.* 6 invitat tamen nimietate *Mai.* invita tamen animi etate *A.* invisita tamen nimietate *P.* 7 certamen *A.* certandis *P.* in eo usque *A.P.* usque eo in *Schlee.* novis *A.P.* nobis? 8 donec cum lunae *A.* 10 remearunt *P.* 13 has *P.* nomine *Mr.* nomen *A.P.* 15 provecta *Mr.* provectus *A.* praevectus *P.* 16 hominibus *om. P.* 17 *Verba* 'quare — 19 multitudine' *om. P.* 23 manu nisu *P.* nisu *del Mr.* extractus *Mai.* extracta *A.* tracta *P.*
21. 26 enim *A.* igitur *P.* 27 omnia *om. P.* nyctalopicas *scripsi.* nitalopicas *P.* ynitalopicas *A.*

tudinis cubitis decem; eaeque, quo poterant, homines involant. Tunc ex iisdem arenis crocodili etiam exstantes passim invadunt quadrupedia militaria. Ad hoc alites, quibus apud nos vocabulum vespertilio est, sed quae illic super columbarum magnitudinem, dentibus tamen ad humani rictus valentiam saevae sunt, circumvolare coepere et quibusque incautioribus aures aut nares aut digitos praesecare. Tum rhinocoraces insecutae, sed eae sane neque ad homines saeviebant neque ignes temere advolabant. Tandem igitur restitutus diei intelligensque, in quanta discrimina proderemur ab hisce Indis, qui sese salutares itineri futuros esse nobis polliciti erant, eos ob fraudis meritum eisdem aquis praecipites dari necarique praecepi. Atque exim usi itinere rectiore tandem restituimur viae, quae nos ad Prasiacam tuto deduceret.

22. Igitur cum oppidum quoddam opulens sane 35.
et abundans omnibus refectioni humanae necessariis advenissemus, recipiendis viribus ibidem dies quinque transegimus. Enimvero cum sexta iam reditui consuleremus, talis nobis obicitur admiratio. Primum quidem venti spiritus vehemens et procella adeo supra consuetam magnitudinem rapax orta est, ut non tentoria modo satis firmiter fixa convelleret, verum homines quoque stantes gradientesque prosterneret, nisi quod properanter sarcinis strictis ad tutiora oppidi concursamus. Enimvero dum ista molimur, coire nubes et densitate nimiae crassitudinis solis lumen omne coepere subtexere indiscretamque nobis noctem diem-

1 haeque *P.* quo *A.P.* qua? 2 Tum *P.* hisdem *A.P.* existantes *A.* 3 Ad hoc *P.* adhuc *A.* 5 columbae *A.* 8 rinochoraches *A.* rinocerotes *P.* 9 hae *P.* 10 advolebant *A.* 12 his *P.* salutares itineri *Mai.* salutaris itineris *A.P.* 13 nobis *om. P.* pollicebantur *P.* 14 insdem aquis (*corr. ex* aequis) *A.* iussique necari *P.*

22. 21 miratio *P.* 22 quidem *A.* quippe *P.* 23 orta *Mai.* hortus *A.* ortus *P.* 28 in densitate *A.*

que confundere. Neque id breve aut transitorium fuit. *36.*
Enim diebus fere quinque pari facie foedatus aër in id tandem aliquando purgavit, ut sexta sub luce, cum interruptis nubibus sol faciem mundo pristinam reddidisset, tantam vim nivium incubuisse videremus, ut supra trium cubitorum altitudinem densa multos quidem et nostratium interfecerit, quos forte in apertioribus locis nacta sit, plurima tamen obruerit quadrupedia, quorum nihilum non stantaria morte obriguisse visitares.

23. Eaque nivium vis cum diebus ferme triginta *37.*
vix tabuisset, aequato tandem solo itinere dierum ferme quinque Prasiacam adventabamus, multo quidem labore, qui strictim dictus est, exanclato, enimvero maiore praeda totius Indiae earumque gentium, quacumque transmisimus, convectata, nullo omnium Indorum Persarumve dubitante, quin omnia nobis ad subiugandum facilia forent, quocumque animum intendissemus. At cetera nomina pretiorum aurique opulentiam ulterius non requirendam [*existimavimus*], vixdum gravibus subvectionibus consulentes, cum tanta in his, quae subiugata sint loca, vel copia vel adfluentia reperiretur. Sic igitur animo laxato cum nihil iam foret, quod non fortuna ex hisce adpetentiis explevisset, omne demum intenderam desiderium, ut, si quid esset, quod invisitatum aliis foret atque auditu mirabile haberetur, id sane resciscerem videremque.

24. Tum quidam viri ex oppidis circumsistentibus *38.*

1 transitorium *P.* transcursorium *A.* 5 tanta *P.* 6 densam *A.* 7 nostratium incubuisse interfecerit *P.* 9 nichilum ni tantarum mortem *P.*

23. 12 habuisset *A.* ferme *om. P.* 13 Prasiacam *scripsi.* Prasiaca *A.P.* 16 Indorum *scripsi.* Indo *A.P.* 19 aurique *om. A.* 20 existimavimus *add. Mai.* 22 vel copia *P.* vel *om. A.* affluenta *A.* 23 nichilum *P.* 24 his *P.* appetentis *A.* 25 invisitatum *Mai.* inusitatum *A.P.* 26 auditum mirabile haberet *A.*

24. 28 Tunc *P.*

esse dignum cognitu et scientia contendebant, si modo mirum homini videri posset virecta noscere et arbusta loquacia ad humanum modum. Id primum ut impossibile alienissimumque natura arbitratus neque credideram et renuebam. Sed persistentibus adserentibusque, adsensus *sum* tandem itineri eius terrae, quam sol oriens visitaret. Eo ergo cum venissemus, ducor in quendam locum arboribus consitum vel amoenissimis. Hunc illi paradisum vocitavere. Enimvero conseptum viseres non materiae circumiectu, verum arborum frequentia circumsistentium. Deorum sacrum Solis Lunaeque esse dicebant; nam et aedes templaque opere naturali hisce diis ibidem intrinsecus viseres, duas vero arbores caelum ferme proceritate intervectas, simili facie qua cupressus, plerumque etiam directiores, ex ea stirpe, quod genus arbores myrobalanos habent. Sed ex hisce duabus arboribus, de quibus supra locuti *39.* sumus, marem alteram, alteram feminam esse contendunt. Et maris quidem arboris praesidem Solem, feminae vero Lunam esse altricem. Harum omnis circa radices convestitas viseres tergis ac pellibus sacris; sed ex his, quae ex maribus essent, *ad* marem arborem, quae vero ex pecudibus femineis, ad honorem feminae sitae. Quamvis hominibus gentis eiusce usus ferri aerisve vel stanni omnifariam ignoraretur, neque esset quicquam, quod ad aedificii usum ex luto fingeres. Cum igitur illa terga vel spolia bestiarum, ex quis forent animantibus, quaererem, comperio leonum esse sive pardorum et huiuscemodi bestiarum, et usque tergis

3 *Verba* Id primum — 7 venissemus *om. P.* 5 et renuebam *Schlee.* ut rintivebam *superscripto* referenti *A.* 6 sum *add. Mai.* itineri *Mai.* itinere *A.* 7 ducor ergo *P.* 8 vel amoenis' *A.* vel amenis *P.* 9 illum *P.* vocavere *P.* *Inde a verbo* 'Enimvero' *usque ad verba* 'diligentiam praesto' *p. 135, 13 omittit P.* 11 deorum — Solis *scripsi.* eorum — soli *A.* 15 directiores, ex *Mai.* directiorum est *A.* 20 altricem *Mai.* ultricem *A.* 22 ad *add. Mr.* 29 et usque *A.* et hisce *Mai. Mr.* iisque?

non ad honorem solum numinum uti consuetos, verum etiam ad operimenta abuti homines incolentes.

25. Id tamen esse in hisce arboribus admirabile: *40.*
namque oriente sole marem illam arborem itemque cursus sui meditullium possidente vel tertio occiduo loquacem fieri et consultantibus [tertio] respondere, idem vero nocturnis horis atque lunaribus arborem feminam. Doctus igitur ab his viris, qui antistites loci sacerdotesque memorantur, uti mundus et ab omni inreligioso contagio impollutus accederem, comites mihi eius aditionis adscisco amicos carissimos fidissimosque, Parmeniona scilicet, sed et Craterum, Isyllum quoque atque Macheten et Thrasyleonta et Machaona una Theodecto Diiphiloque, sed etiam Neocle. Monentibus igitur sacerdotibus religione prohiberi ferrum id loci invehi, ita ut praedictum est facio moneoque, addo tamen cautelam eiuscemodi diligentiae, quod octoginta viros fortitudine pariter exploratissimos adesse circa ea loca ac nemus, quo ingrediebamur, quam sollicitissime iubeo, exploraturos etiam, ecquis esset, qui forte vocem de proximo subiectaret, quam nos ex illis arboribus ferri arbitraremur.

26. Adhibito igitur uno ex Indis, qui interpres *41.*
dictorum idoneus foret, cuius inlectu illo veneramus, iuro quam sancte poenam illum capitis non evasurum, si promissum ex arbore responsum diffamatumque tacuisset. Unde intentis ad audiendum, mox cum primum solis occasus et abitio fuit, vox auditur ex ar-

1 ad honorem solum numinum *Mai.* ad honorum solum nominum *A.*

25. 4 illam *Mai.* illum arborem *corr. ex* ille arborem *A.* 5 tertio occiduo *scripsi.* ceriae occiduae *A.* certe occiduo *Mai.* 6 tertio *uncis inclusi.* 13 *nomina, plerumque Muellerum secutus, restitui ex Graecis:* Ysillum (*pro* Isyllum) — Machenten — Thrasileonta—Machona—Difficilique (*pro* Diiphiloque) *A.* 16 loci *Mai.* loco *A.* 17 addo *Mai.* addi *A.* 18 explorantissimos *A.* 19 loco *A.*

26. 24 inlectu *Mai.* iniecto *A.* 27 cum primum *Mr.* primum *A.*

bore, sed lingua barbarica, eiusque interpretamenta habuit quisquam nobis et dissertare audebat. Id cum obstinatius faceret cupiditateque omni ad significantiam vocis emissae properarem interminatus interpreti necem, nisi sedulo mihi praedicta narrasset, perterritus tandem eiusmodi esse responsum arboris fert: quod enim obitu veloci et occasu iam proximo vitae meae spatia urguerentur; eamque mortem non de externis, enimvero de meis et proximis fore. Quae dicta cum ex natura hominis meum quoque animum attillarent ac sub ortu lunae rursus ex arbore femina oraculum mihi sciscitanti reddi deprecarer quaerens et obsecrans, numnam matre et proximis salutatis obitus mei clausulam subiturus sim, non barbara iam, sed Graecae linguae significantia lunaris arbor elocuta est, mortem mihi in Babylonia esse fatalem.

27. Id satis triste mirumque admodum amicis *42.*
adsistentibus videbatur. Ego tamen coronis atque alio religioso honore locum donare contendens sum prohibitus a sacerdotibus, quod huiuscemodi munera dii indigetes abnuissent. Agebam maestus et exspectatione futuri admodum territus; Parmenion tamen me Philippusque in somnum ac requiem hortabantur. Sed id quoque cum omnifariam negitassem ac iam ferme dies insequens indilucesceret, ipsum ad sacrum ire contendo adtrectansque arborem quaeso percontans, ecquid si vitae praedicto adeo urguerer, revectari tamen ad Macedoniam corpus meum dii promitterent, viderene matrem atque uxorem ultra potuissem? Sed

1 barbarica *corr. ex* barbarici *A.* eiusque interpretamenta *etc. corrupta.* interpretamenta nemo quisquam nobis edissertare *Mai.* 3 faceret *scripsi;* facerent *A.* significentiam *A.* 4 emissae properarem *Mai.* emissa praepararem *A.* 9 meis *scripsi.* deibus *A.* comitibus *Mai*[2]. *Mr.* 12 sciscitanti *Mai.* scissitandi *A.* 13 matrem *A.*

27. 25 indilucesseret *A.* 26 attrectansque *Mai.* ad rectamque *A.* 27 ecquid *Mai.* et quod *A.* 28 promitterent *A.* permitterent *Mai.*

ad haec *cum* primum ortu solis lux mundo est reddita, ex vertice arboris acuta quaedam vox, sed enim discrebilis et intelligenda sic adpulit: 'Completa sunt,' inquit, 'tibi vitae spatia, quae debebantur, nec revehi sane ad matrem, ut desideras, poteris, quoniam illa mors in Babylonia sit futura; sed sedes corporis longe diversa est. Verum ubi haec tibi finis adfuerit, mox matrem quoque una et coniugem perituras esse tristiore morte non ambigas, Indis una vel Persis etiam infestantibus.' His 43.
compertis animoque ad necessaria confirmato, moratus dies ferme duodecim ad Prasiacam festino; et Atilaniae regionibus, quarum peragrandis oppidis praesens intentio erat, debitam diligentiam praesto. Ergo Prasiaca percursata revenio Persidam, omni studio properans Samiramidos quoque nunc regnum visere. Sed quoniam ad hanc mihi interim finem res gestae sunt, ea te scientia participare amicum fuit. Quare vale.'

28. Post hasce litteras ad Aristotelen datas XVIII.
pergit ire, ut scripserat, ad Samiramidos regiam, quod 44.
illo se et opulentiae fama ducebat et magnificentia pervulgata imperii satis inclyti ad laborem. Quippe urbs omnis muro quam validissimo est circumsepta portarum valvis aere vel ferro ad firmitudinem vel decorem impendio fabre possessis. Omne vero oppidum quadratis saxis, sed hisce non incuriose laevigatis congestum et cultum visere non absque admiratione visentium fuit. Enimvero regina oppido erat et pulchritudine famosissima et commendabilis ex aetate, forte tunc viro vidua, quamvis mater iam trium liberorum. Sed feminae nomen Candace dicitur. Proneptis

1 cum primum *Mai.* primum *A.* ortu *Mai.* ortus *A.* 2 ex vertice *Mai.* et vertice *A.* 5 quoniam *scripsi.* quam *A.* 8 id tristiore *A.* 11 Atilaniae *A.* aliis Indiae *coni.* *Mueller.* 16 ad hanc *scripsi.* ad huc *A.P.* ad hunc *Mai.*

28. 18 has *P.* 19 quod illo se *A.* quo llo se *P.* 20 fame *A.* magnificentia *Mai.* magnifica *A.P.* 21 pervulgatio *P.* 25 his *P.* 29 mater iam *om.* *P.*

erat haec Samiramidos supra dictae. Ad eam igitur
Alexander scribit talia:

'Aegyptum adveniens ex eorum indigenis audivi *45.*
illis terris et domos vestras et sepulchra esse defuncto-
rum; ex quibus palam fuit dominatores esse priscos
reges vestri Indiamque tenuisse. Nam et relatio ad-
didit Ammona quoque meum militasse una vobiscum,
et id famae adstipulatur etiam oraculi maiestas, quod
editum iubet uno nos deo sacris obsequi. Quare reli-
giosum est facere dei iussa, et id moneo suadeoque
rectius tibi facturae, si veneris, enimvero multum
peccaturae, si omittas.'

29. Ad haec Candace scribit: 'Verius nobis ora- *46.*
culum est Ammonis dei neque nos in Aegyptum mi-
litare neque Indiam nostram hac ex causa debere
commoveri, enim si quis huc audeat, hisce utpote ho-
stibus occursare. Quare dei iussis parere decretum
est ac verecundum. Nec nos aestimes ex colore;
quippe cui animi liberalis species intuenda est, non
satis corporis forma praeiudicat. Id ne putes arte
timoris adlatum, octoginta nobis populos scito esse
vel maximos, eosque omnis agere in armis non ob
iniuriam inferendam, sed inferentibus occursuros. At
vero te probo, quod ad communionem nos sacri et
obsequium voces Ammonis dei, quem maximum et
praesentissimum scimus. Habebis ergo tibi ex nobis *47.*
amicitiae argumentum centum laterculos auri grandis-

2 *Epistolae in A. superscripta sunt haec:* EPISTOLA ALEXANDRI AD CANDACEM REGINAM. 5 quis *P.* dominatos *P.* 6 regis *A.P.* ralatio *A.* 9 editum *P.* edictum *A.* uno *A.P.* una? 11 enimvero *scripsi.* non vero *A.P.* si veneris. Non vero multum si veneris .n̄ vero multū peccare si *A.* 12 omittas *Mai.* ammittas *A.* admittas *P.*

29. 13 Candaces *A.P.* (*sic fere semper*). *post* 'scribit' *legitur in A.*: EPISTOLA CANDACIS AD ALEXANDRVM. Verius *Mai.* venus *A.P.* 15 haec ex causa *A.* 16 his *P.* 17 occursare *corr. ex* incursare *A.* ịṇ occursare *P.* 20 praedicat *P.* 21 scito *om. P.*

simos, Aethiopas impubes quingentos, psittacos sex, sphingasque sex, praeterque haec Ammoni deo nostro coronam smaragdis ac margaritis, etiam toreumatis pretiosiorem. His et loculos refertissimos cuiusque generis margaritarum atque gemmarum ad decem numerum eburneosque alios loculos octoginta una misi usibus et deliciis tuis ferarumque genera, quae sunt nostratia, elephantos trecentos quinquaginta, pardos sex, rhinocerotas octoginta, pantheras vero quattuor milia, canes etiam in homines efferatissimos nonaginta, tauros trecentos, virgas ebeni mille atque quingentas; quae cum primum auferenda iusseris, transmittentur. Haec ut valebis scribasque ad nos velim, et qui te iam orbis universi dominum esse gratulemur.'

30. Et ad haec quidem transferenda Alexan- XIX.
der miserat. Ipse vero paulo post videndae reginae 48
studio illo profectus est. Quod ubi Candace comperit, eiusmodi rem ex ingenio comminiscitur. Unum e pictoribus peritissimis ire clam obviam adventanti Alexandro iubet, eumque quam conliniatissime efficiat ac depingat atque ad sese properiter picturam, quam inleverit, deferat. Id ubi factum est et pictor revenit, acceptam effigiem abdito quodam et secreto ponit in loco. Sed insecuta est factum hoc eiusmodi fabula.
Filius reginae Candaces, cui nomen Candaules erat, 49
una cum equitibus admodum paucis forte adcurrit ad quaedam tentoria Alexandri militum. Moti vero custodes exercitus personae novitate ducemque illum et

2 sphingasque *Mr.* frigasque *A.* fingasque *P.* nostro *A.P.* vestro *Keil.* 4 His ad loculos *P.* 7 ferarumque *Mai.Epit.* ferarum *A.P.* 8 nostrati *P.* 9 pantheras *Mai.* pantheros *A.* pantaros *P.* 10 efferacissimos *A.* 13 Haec ut valebis scribasque *etc. A.P. corrupta.*

30. 16 videndo *A.* 17 Candaces *A.* Candacis *P.* 20 efficiat *A.P.* effigiet? 21 propiter *P.* 23 quodam *corr. ex* quidem *A.* 25 Candacis *A.* (*sic fere semper*). Candeules *corr. ex* Candaules *A.* Candales *P.* 26 occurrit *A.* 28 illum *A.* ipsum *P.*

si qui cum ipso venerant, comprehendunt offeruntque Ptolomaeo, cui cognomentum Soter erat; eius · enim dignitas veluti secunda post regis ambitum videbatur. Quod igitur Alexander id horae somno per diem teneretur, Ptolomaeus quaerit ex homine, quis esset quasve haberet causas repentini illius superventus. Ad haec Candaules opinatus regem Ptolomaeum sese ait esse quidem filium reginae Candaces; sed enim sese una cum coniuge civilius et incuriosius ad sacrificium annuum contendentem Amazonum, superventum a quodam Bebryciorum tyranno uxore privatum, omnes denique militum, qui una secum fuerant, interfectos. Quare commodum nunc numeris congregatis hanc se moliri militiam, uti ultioni consuleret.

31. His compertis Ptolomaeus ad regem in- *50.*
rumpit eique comperta communicat, quae quidem grata Alexandro et ex voto accidere videbantur. Surgit igitur e lectulo et diadema protinus suum in Ptolomaei caput transfert chlamydeque augustiore vel regia circumiectum egredi iubet, tum ubi petitus a Candaule rex fuat, ad sese Antigonum satellitem vocitare. Pro quo Antigono cum ipse Alexander Ptolomaeo se veluti satellitem obtulisset, 'Ibi,' inquit, 'cuncta haec mihi comminus dicito atque a me consilium super re quaeritato.' Ita ut doctus est, Ptolomaeus protinus facit. Sed cuncti videntes et Ptolomaeum cum insignibus regiis et pro satellite Alexandrum adsistentem, summa ex-

2 Ptolomeo *A.* ptholomeo *P.* cognomento *P.* 4 id horae *P.* ad horae *A.* 5 Ptolomeus (*sic semper*) *A.* Tholomeus *P.* 6 superventus *P.* adventus *A.* 7 Candales *P.* (*sic semper*). opinatur regem esse Ptholomeum *P.* 8 esse se quiquidem *P.* 10 Amazonum, superventum *scripsi;* superventu Amazonum *A.P.* 13 quomodum *A.* 14 confuteret *A.*

31. 16 eique *P.* et quae *A.* 17 ex vota *P.* accidere *Mai.* accedere *A.P.* 20 Tunc *P.* 21 petitus *Keil.* penitus *A.P.* fuat *scripsi.* a Candaule rex fuit *P.* ad Candaulem egreditur facit *A.* ad sese *corr. ex* ex sese *A.* 28 adsistentem *scripsi.* ad-

spectatione pendebant, ecquid novi consilii regi sedisset.
Namque ut egressus est habitu famulantis, protinus 51.
Ptolomaeus: 'Cerne,' inquit, 'Antigone, hunc Candaulem: is Candaces reginae est filius, sed enim iniuriam deflet coniugis raptae per insolentiam regis Bebrycis. Facies igitur obsequenter, si nos consilio iuves subiciasque, ecquid nunc facto opus esse arbitrere.' Ad haec Alexander: 'Dignum te sane erit, rex,' ait, 'si armato exercitu iniuriam supplicis ulciscare eximasque eius adfectus, cuius honor matri proficiat.' His compertis Candauli gaudium. Sed Ptolomaeus ad haec respondit: 'Ergo,' inquit, 'Antigone, exsequere istud, quod subiecisti, consilium atque exercitum para.'
'Faciam sane,' respondit Alexander; 'sed enim XX.
commodum est mihi, rex, ad consilium, quod subiecero, bellum istud inferri Bebrycum regi seu regno non die teste; neque enim animus barbari improvisa formidine incitatus ab interfectione raptae mulieris temperabit. Erit vero frustra opem supplici procurare, si emolumentum victoriae dilabatur. Ergo si placet, nox belli tempus et superventus eiusmodi confirmetur. Ubi enim flammis immissis noctis obscuro turbari civitas coeperit, adquiescent condicionibus nostris facillime iam praeventi raptaque nobis haud difficile repraesentabunt.'

32. Haec cum dixisset et Antigonus crederetur 52.
a supplice, procidens eius ad genua Candaules 'Quam vellem,' ait, 'tu ille Alexander fores cum hac tua, Antigone, sapientia! non enim armigeri parum nobis

sistem *A*. existentem *P*. 1 regii *A*. 5 babricis *A*. hebricis *P*. 7 opus est *P*. 10 affectus *P*. adinterfectus *A*. 12 exsequere *Mai*. exquire *A*. exequi *P*. 15 est *om*. *P*. 16 bebricum *A*. hebrico *P*. 18 interfectione *Landgrafius*. infectione *A*. *P*. 21 nox *A*. mox *P*. 23 adquiescet *P*.

32. 26 crederetur *P*. consideraretur *A*. 28 ait tu *P*. an tu *A*.

calens industriam dedisses.' Ergo, ut consilium fuit, inruunt nocte barbaricam civitatem et iam somno deditis superveniunt; iniectis denique flammis omnia conflagrare cum septis somno nuntiarentur causamque superventus haud dubie cognovissent, undique increpari classico iubet, Candaulis illum exercitum uxorem esse repetentis. Quare boni consulerent, si regi uxor protinus redderetur; quod ni fecissent, omnis civitas direpta hostiliter conflagraret. Id ubi civibus palam factum est, inruunt aedes tyranni aedibusque praefractis mulierem protinus reddunt. Hoc gaudio 53.
Candaules cum agendis gratiis occuparetur eiusque facinoris summam penes Antigonum conlocaret, complexus eum hisce adloquitur: 'Da quaeso te mihi, Antigone,' ait, 'ad matrem usque comitatum, ut pro consultis tuis a me quoque praemiis munerere.' 'Ergo', inquit Alexander, 'recte feceris, si id ipsum a rege super meo nomine postularis. Nam et mihi haud mediocre studium est et videndae civitatis tuae et reginae pariter salutandae.' Monet igitur Ptolomaeum, uti petitis adnueret seseque legatum ac nuntium ad Candacem ire mandaret; et Ptolomaeus pro iusso, ac si petenti adveniret, facit ac sic ait: 'Et ipse sane loqui per litteras aveo cum Candace et gratiam tibi faciam, ut desideras; eumque nobis quam primum sospitem redhibeto; hunc enim tibi ut me ipsum Alexandrum tecum missum habebis.' 'Ita sane,' Can-

1 calens industriam *scripsi Schleeio viam monstrante;* calles industria *A. P.* 4 septis *P.* septi *A.* sopitis *Kluge.* 6 classico *Mai.* clauso *A.* claso *P.* 11 praefractis *P.* prefectis *A.* Hoc gaudio *Mai.* Hoc gaudium *A. P.* Ob hoc gaudium? 13 summa *A.* 14 his *P.* 15 comitato *P.* 16 munerere *corr. ex* numerare *A.* munerari *P.* 17 bene feceris *P.* 19 mediocre *P.* medicere *A.* 21 petitus *P.* 22 pro iusso *Mr.* pro iussi *P.* pro misit *corr. ex* pro iussit *A.* 23 advenire *A.* adnueret *Schlee.* 24 aveo *Thielmann in Archivio Wölfflini II, p. 175.* habeo *A. P.* 25 faciam *scripsi.* quam *A. P.* sospito *P.* 27 missum *P.* ipse *A.*

daules ait, 'eumque tibi onustum donis regalibus
reddam.' Insinuat ergo traditque Candaules Ale- XXI.
xandro vel maximam exercitus sui partem impedimentaque omnia, quibus apparatus regius vehebatur.

33. Sed enim Alexander viabundus cuncta curio- 54.
sius spectans animo perlustrabat, montes scilicet arduos et congesta saxorum nivali specie candentium, quae pleraque crystalli metalla dicebantur, frigida sane sub caeli plaga et circum omnia nubibus convestita. Enim frigus hoc fertur non obsistere ubertati. Arbores enim procerissimas virentesque et graves pomis ubique mirabatur. Haec poma erant vel mala grandia ad auri gratiam colorata, sed ad magnitudinem ferme, quae apud nos est citri excrescentia. Uvae ponderis et densitatis immensae, prorsus ut singulis acinis vel improbissimi oris hiatibus non occurses. Granatis etiam malis suam dat gratiam magnitudo; nam grana illis quo glandes impetu, verum ignicantia, sapora tamen; ipsaque mala non minus pepone excrescunt, enimvero potiori; horumque pomorum perdifficilis occasio: ita omnia vel pleraque dracones amplexi possident aut errabundi, tum genera lacertorum
haud minus ichneumonum magnitudine. Multa prae- 55.
terea animantium genera innoxiaque, sed enim facie peregrina, nostris experimentis aliena; et simias facile viseres magnitudinem ursarum nostratium supervectas formasque varias simiarum, quas referre difficile est hominibus non insignientem.

33. 5 viabundus *P.* uthabundus *A.* 7 nivale *P.* spetiae *A.* 11 *Quae a verbis* 'Arbores enim *etc.*' *leguntur usque ad* 'conspectu dignentur' p. 142, 9, *om. P.* 16 improbissimi oris *scripsi.* improbis si maioris *A.* implearis, si maioris *Mai.* implearis, si maioris oris *Mr.* occurses *scripsi.* occursas *A.* 18 impetu *Mai.* impetum *A.* 19 sapora tamen *scripsi;* tam sapora *A.* pepone *Mai.* pepones *A.* 20 potiori horumque *A.* potiundi horum *Mai.* 23 haud *Mai.* aut *A.* 27 referre *scripsi.* ei ferre *A.* distinguere *Mai. Mr.*

34. Locorum vero pleraque saxis quidem aspera, sicuti dictum est, sed quae facile praesumeres haberi et incoli posse numinibus. Quippe loca haec domus deorum vocant, et plerumque visuntur in hisce secessibus agere dii res voluptarias. Addebat quippe Candaules et vocatos hominibus respondere et vultu sese, quo sint, regibus confiteri. 'Quare tu quoque, si voles, invitato sacrificiis haec numina; nec erit difficile experimentum, quin te quoque sui conspectu dignentur.' Multa igitur eiuscemodi cum per omne iter vidisset audivissetque Alexander, tandem cum Candaule ad regiam Candaces venit. Quare iam primum fratres eius, 5
postque et regina mater cum regiae pompae comitatu Candauli obviantes in complexus eius gratulabundi inruere gestiebant. Sed enim praevenit iuvenis nec prius sibi adfectus huiusce obsequia deposcit, quam Antigono gratias super adiuto sese ac liberata coniuge confessi forent. Hunc enim Antigonum internuntium esse regis Alexandri secumque legatum. Tunc quaerentibus gratiae novitatem et iniuriam raptae coniugis et ultionem provisi beneficii refert. Ergo agunt gratias iuvenes et regina laetatur ultione pariter temerati Candaulae et integratae nurus illibata laetitia. Coena denique gratulatoria, ubi id tempus, operosa et regalis adponitur. Et est videre apud illos lasciviam barbarorum, incubare pretiis, inludere pretiis, sed et vesci de pretiis.

35. Insequenti tamen die cum regina Candace XXI
ostentatione regia processisset, superba admodum gem- 5
mato stemmate et gemmato diademate, statura auctior,

34. 1 pleraque *Mai.* plerasque *A.* 6 vultu sese *scripsi.* vultus esse *A.* vultu quoque se regibus *Mai. Mr.* 10 eiuscemodi *om. P.* 16 eius obseqnia *P.* 22 ultione *Mai.* ultionem *A.P.* 24 operosa *A.* opera *P.* 26 barbarum *A.* illudere pretiis *A. om. P.*

35. 28 Candacis *A.* 30 stemate *A.* symmate *P.* statura autior *A.* satura auctior *P.*

aetate veneranda, ut Alexandro recordanti ad Olympiadam matrem eius aestimatio conveniret, dedit prorsus sciri sese et opulentiam suam. Domus vero egregio opere elaborata hisque metallis insignita erat, ut intuentibus splendor ornatus pariter et celsitudo moliminis undique sudo quodam et ignoto lumine coruscaret, nihil in sese dispar aut alienum possidens. Usquequaque lucebant omnia veste serica, colore purpurea, intexta auro, gemmis admixta, quae veste coepta fuerant, et perornata. Gemmarum vero regalium utrum magnitudines mirarere, an vero coloribus ducerere, an fulgoribus vincerere, iudicium prae stupore non erat. Inter aurum sane purpureaque texta vel gemmas ebur multum, sed in ebore viseres artis pretia maiora. Onyx pro saxis et columnae de gemmis et earum proceritudo ubique supra nostrates arbores, sed quae sint procerissimae, fuerat, ebeno tamen plurima interpolante: quod si sit ad caeruli speciem vel colorem laevigatio, tamen plerumque ex ea purpura aliud esse * quam si saxum ebenum mentiebatur.

36. Illic et effigies plurimae tum e marmore *58.*
vario tum e metallo cuiuscunque modi renuebant numeri aestimationem, quae omnis curiosi diligentiam vinceret. Adeo multa erant! Quamvis in singulis figmentis fuerit superbior admiratio; currus sane falcatos e porphyrite lapide, sed conliniatissime una cum animantibus et aurigis ad veri faciem videre erat plurimos et passim ubique constitisse, quos et cursum agere opinarere et moveri omnia non discrederes. Ita prae corusco fulgore oculorum officio praeverso labi

1 olympiadam *P.* Olympidem *A.* 7 alienum *Mai.* alius *A.P.* *videtur verbum post* 'alius' *excidisse:* alius lucis *vel* alius splendoris? 8 este *P.* 11 mirarere *corr. ex* mirare *A.* ducere *A.P.*; *correxi.* 12 vincere *A.* 17 fuerat *Mai.* fuerant *A.P.*

36. 23 numeria *A.* aestimationeque *P.* 30 fulgoris *A.* officia *A.*

erat opiniones intuentium. Ast alii currus quadrigas elephantis iunctis habebant, eosque ebeno, cui concolor bestia veri facilius imaginem retinebat; sed subter erant impressa pedibus elephantorum captivorum corpora subcumbentium aut innexa proboscidibus suspensaque. Quae inter omnia id sane praecipuum regi operis videbatur, quod una de gemma scalptum templum indidemque columnas cerneret interscalptas, obsessum omne vel frequens horrore sacro de daemonum vultibus barbaris, qui plusne formidinis an admirationis darent, haud erat homini discernere. Inter haec et celsa illa atque ad caelum suspicanda palatia interfluere Argyritum flumen et alium Pactolum fluvium mirabatur; sed utrumque alveum auro divitem et prae nimietate auri interfluentis aquae quoque auригantem colorem; sed eorum litus et margines insertis arboribus convirescunt, quae celsae sint et odorae; cypros denique gentiliter vocant fructu suavi et umbrosis frondibus divites.

37. Haec igitur cuncta cum Alexander intuitus esset, admiratione quidem debita vincebatur. Agebat in convivio *cum* Candauli sororibus. Enimvero quaesit quam blandius post matrem Candaules, uti Antigonum suum pro merito gratiae regalis muneraretur, quo donatus pro fortuna tantae reginae ad propria protinus remearet. Conprehensum igitur Alexandrum Candace per aulam suam omniaque regiae secreta ac penetralia circumducit, secessus quosdam ei aedium

2 elefantos iunctos *A.* 5 probuscidibus *P.* 7 regii *P.* 9 omne vel *Mr.* omnes vel *A. P.* 10 de deorum *A.* qui *Mai. Mr.* quod *A. P.* 11 aut erat homini discernere *A.* nemini erat discernere *P.*

37. 20 intuitus esset *Mai.* inter.isset *A.* inter esset *P.* 21 quidem *P.* quaedam *A.* quadam *Mai.* 22 cum *add. Mr.* sororis *A.* cum Candaulae fratribus *propos. Mr. ex Graecis.* 23 quam *A.* qua *P.* *verba* 'matrem—pro' *om. P.* 24 marito *P.* 25 donatur *A.* 27 ac *om. P.*

monstrans ex eo lapide, cuius quidem fulgor ignitus est, nam lychnitem etiam vocant. Intuentibus visitur opinio quaedam indidem solis orientis. Triclinium quoque ibidem videt alio de saxi genere, cui cum sint igneae quaedam maculae vel inustiones, — haud secus haec quam si candenti lapide sunt — flammea visitabantur quam si caelitus septem astra discurrere stellasque omni studio et sereno sub tempore caelestem chorum agere mirere. Erat et tectum ad instar integrae domus marmoris pretiosi opere circumforaneo. Namque aedes illa rotarum lapsibus subter adiuta viginti elephantis ad reginae itinera movebatur eo, quod his solita regina quoque militatum pergere praedicatur.

38. Sed enim Alexander ne victus rudi quadam *6*
admiratione videretur, ampla sane, sed pro condicione opulentiae gentilis atque praesentis visa sibi omnia confitetur. Quippe admirabilia videri potuisse tunc mage, si apud Graecos haec forent, apud quos esset elaborandis rebus peregrina materia. At cum sibi tanta metallorum huiuscemodi pretia servirent, segnitiae condemnandos fuisse, si non haberent, quibus uti ex facili licuisset. Et intelligit regina Candace ingenium viri et probat sane, sed in respondendo sic ait: 'Vera mihi dixisti haec, Alexander mi.' Tum audito nomine obstupescens, 'Apage,' inquit, 'o regina, hoc a me nomen, quippe ipse Antigonus vocor, enimvero Alexander nobis rex cluit, cuius ego nunc

1 ex uno lapide *P.* fulgur *A.* 2 lychnitem *Mr.* lignitem *A.* et licnitem *P.* 6 si candenti lapide *scripsi.* ei cadenti lapides *A.* que cadenti lapide *P.* excandentes lapides *Mai. Mr.* visitabantur *P.* visabantur *A.* 7 quam si *A. P.* quasi *Mai.* 11 rotarum *Mr.* portarum *A. P.* aiuta *P.* ut a *A.* 12 itinera *P.* iter A. 13 quod *Schlee.* que *A. P.* pergeret *P.*

38. 17 atque praesentis *om. P.* 19 esset *P.* essent *A.* 21 metallorum *P.* et aliorum *A.* huiusmodi *P.* 25 dixisti *P.* dixisses *A.*

internuntius huc adveni.' Et regina post haec: 'Esto sane,' inquit, 'Antigonus apud ceteros, mihi tamen nunc Alexander rex eris. Neque nesciens id habeo; haud differam probationem.' Et cum dicto adpre- *61.* hendens in penita perducit olimque provisam imaginem ostendit. 'Agnoscisne,' ait, 'Alexandri illius, quem mentiri non potes, faciem? Sed quidnam intremuisti tam trepide quidve turbaris ex vultu? Non ille tu Persarum potens es? non Indiae dominus? non qui iam orientem omnem trophaeum tuum feceris, Parthis et Medis imperitans? An vero te pudet sine militia vel expeditione in manus feminae devenisse? Quare conice, quaeso, quid te iuvarit tua illa famosa prudentia, cum nunc Candacem tui videris sollertiorem. Quod igitur huc attinet, adrogantiam nimiae prudentiae iam deponito.'

39. Haec illa dicente nec vultu constare Ale- *62.* xander, quin etiam infrendere dentibus videbatur. Et regina subridens: 'Quid te iuvat,' inquit, 'haec tua tacita indignatio sic saevientem vel, si mavelis, insanientem?' Ad haec ille 'Una mihi — nam sane profitendum est —' ait, 'vel maxima indignatio est, quod mihi gladius meus huc comes non sit.'. 'Et cuinam usui,' regina respondit, 'gladium tibi nunc requisisses?' At ille: 'Quod enim in huiuscemodi tempore atque rebus regale admodum munus foret, interfecta te comitem me praemissae morti praestitisse, ne quid sit foedius, quod praeteritas nostras glorias obumbraverit.' 'Accipio,' inquit Candace, 'professionem dignam viro

3 nunc *P.* nomini *A.* 4 aut differam *A.* haud differo *P.* 5 poenita *A.* pervisam *A.* 7 quem *P.* quam *A.* 8 tam trepide *om. P.* Num ille Persarum *P.* 10 orientem omnem *Mai.* orientem omne *A.* Num quid iam in oriente omne *P.* 11 imperans *P.* 14 vides *P.*

39. 19 tua *A.* tui *P.* 23 mihi gladius *bis scriptum in P.* 24 requiris *P.* 27 praestitisse *A.* praestitissem *P.* 29 Accipio *corr. ex* Accipe *A.*

et animo sane regali; sed metum hunc abicias velim, et magnitudinem gratiae tuae beneficiique considerans dignam vicissitudinem spera. Quod enim filio Candauli meo in Bebryciorum ultione praestitisti, id tibi ego in tua salute praestabo; atque apud gentiles barbaros meos fidem veri clam habeo, quippe cum palam sit a caede tui homines natura saeviores haud facile temperaturos, si qui ad fidem venerint, praesertim cum tu etiam Pori sis interfector, cuius filiam scito iunioris mei filii coniugio copulatam. Quare esto Antigonus apud illos, cum mihi soli Alexander habeare.'

40. Et cum hisce dictis egreditur atque ad XXIII.
Candaulem sic ait: 'Fili Candaule, tuque Margie nu- 63.
rus suavissima, gaudeo admodum, quod in tempore fuit vestro Alexandri regis auxilium repperisse; ceteroqui vobis vidua iam et lugubris hic sederem. Dignum igitur fortuna nostra erit internuntium Alexandri donatum muneribus hinc remitti.' Sed ad haec iunior Candaces filius Charagos nomine: 'Quam vellem,' inquit, 'o mater, nostrae quoque iniuriae meminisse! Neque enim clam te, illum quem opitulatum salutariter dicas fratri meo, mei quoque soceri interfectorem exstitisse. Erit igitur memoriter ac iuste etiam indignantis, si vel in hoc Alexandri internuntio eius ulciscamur iniuriam.' Sed ad haec regina Candace:
'Neque,' inquit, 'o nate, mihi ad Alexandrum istud 64.

6 fidem velim *P.* 8 si quid ad fidem venerit *P.* 10 filii *om. P.* 11 habere *P.*

40. 12 his *P.* 15 ceteroqui *P.* ceterumque *A.* 19 Charagos *A.* Charogos *P.* Carogarus *vel* Arrogarus *Epit.* 22 mei *A.* ei *P.* 23 *Post verba* 'interfectorem extitisse' *aliquid excidisse, Epitome docet, quae exhibet haec*: Sed ab hac intentione mater eum convertere cupiens dicebat, id minime fieri potuisse, ut tam parvae staturae homunculus orbis totius dominio potiretur. Enimvero internuntium Alexandri illum fuisse asserebat. At ille 'O' inquit, 'saltem in hoc eius satellite sat mihi videbatur ulcisci carissimum nobis Porum.' 23 igitur *A.* • mihi *P* 26 Neque, inquit, *A.* Neque enim *P.*

iniuriae facit et perfacile damnum est regibus uno milite caruisse. Tunc legationis ius et foedus perpetuum internuntiorum in nobis claudicare non sinam.' Ad haec Candaules etiam excipit: 'Neque sane ad ista, quae iusta sunt, a nobis quoque aberit Antigono defensatio; neque enim ingenuae conscientiae est, a quo tibi salutem datam tuisque fatearis, eius iniustum exitium prodidisse.' Sed enim fortior iuvenis: 'Numquid ergo mavis, Candaule, super hoc Antigoni praemio bello nos decernere? Utrum enim iustius sit, vide, ultionem suis an vero vicem gratiae praestitisse?' Ibat adolescentior fervor et vis cum impetu animi regalis et ex pari utriusque gliscens indignatio asperabatur metuebatque mater, ecquid aetas illa temere consultaret.

41. Seducto igitur Alexandro: 'Nunc,' inquit, 65. 'tempus est tuae celebratae prudentiae; reperiendum enim consilii genus, quo filiis causa civilis proelii dilabatur.' Bono animo esse reginam Alexander iubet. Quare reversus ad iuvenes 'Neque me sane,' ait, 'minae istae mortis magnopere terrebunt nec regi meo damnosa satis videbitur ista iactura. Quot enim satellitum milia et quantus animantium numerus hoc regi obsequium meliusque hoc praestare non poterit? Enimvero ego cessi Candaces gratiae vesterque iam fuam, si quidem ita nobis ad fidem sederit, uti ex praedicatione vestri, praesertim hisce liberalitatis indiciis facile Alexandrum ductem huc ad vos sponte pervenire, praesertim adeo immodice habendi cupidum atque opibus inhiantem; qui cum perexiguo comitatu vestrae se fidei commiserit, haud magni faciam, quid

5 abierit *P.* 9 mavis *A.* maius *P.* 12 et vis cum *om. P.* 14 asperabat *P.* ecquid *scripsi.* et quod *A.P.* nequid *Mr.*

41. 18 enim *om. P.* 21 terebunt *A.* 23 aniantium *P.* 24 non poterit *A.P.* non *del. Mai. Mr.* 26 fuam *A.* fiam *P.* 28 facile *A.P.* faciam *Mai. Mr.* ductem *Schlee.* ductum *A.* doctum *P.*

de eius exitio consultetis, modo ut vos gratiae memores remuneraturosque in posterum mihi vos sedulo promittatis.' Sedet sponsio adolescentis et Candace protinus inventi prudentiam demirabatur. Rursusque secreto: 'Utinam, Alexander mi, te quoque velles ad numerum mihi addere filiorum! Quis enim dubitet tunc demum fore Candacem orbis universi reginam, si talis quoque mater filii putaretur? Ego iam credo non te plus ferro vel proeliis quam hac tua tam celebri prudentia gentibus praestitisse. Confirmo igitur tibi rursus eandem illam fidem sponsionis meae neque te, ut res est, noscendum cuipiam profitebor.'

42. Ergo post paucos admodum dies digredienti *66.*
dat secretius munera: coronam auream adamantibus coruscantem prorsus ac si regiam, thoracam varium ex unionibus beryllisque, chlamydem etiam purpuream intextamque auro, aliaque praeterea cum testimonio publico, quae ad satellitem pertinerent, iubetque hominem deduci eo et per satrapas vicissimque profectum repedare, quo venerat. Ubi igitur ad id XXIV.
loci Alexander venit, quas Candaules ei deorum domus esse confessus est, sperat posse illic sibi cum diis immortalibus verba *fieri;* ex praesentium copia opipare sacrificatus ibidem convivatusque adhibet etiam ex comitibus quam paucissimos. Interea intervenire quasdam formarum effigies videt tenui quidem,

1 exitio *A.* exitu *P.* 2 remuneraturosque *Mai.* remuneratosque *A.* renumeratosque *P.* 3 Sedet *scripsi.* sed et *A. P.* adolescentis *scripsi;* sponsio adolescenti *P.* sponsionem adolescens *A.* 5 secretum *P.* 7 fore Candacem *A.* fere Candace *P.* 8 Ego *A.* Ergo *P.* 9 hac tua tam celebri prudentia *P.* actu etiam celebris prudentiae *A.* 11 fidem *om. P.* 12 te *om. P.* profiteor *P.*

42. 15 auream *om. P.* 16 toraca *P.* 19 pertinerent *A.* facerent *P.* 21 repedare *om. P.* quo *A. P.* unde? 24 diis immortalibus *A.* demonibus *P.* fieri *addidi.* 25 oppipare *P.* opinari *A.* 27 formarem *P.* *om. A.*

sed corusco sub lumine, ut si conventu nebuloso vera primum occurrentium confundantur, tum etiam circumsistentia tecta undique consplendescere, et cum his una crescit turba formarum et murmur praesentium usurpatur et fit prorsus unum diis hominibusque convivium. Hic animo confusus reverentia 67. debita Alexander trepidare; quippe intuenti videre iam clarius erat flammas quasdam ex oculis deorum discumbentium promicantes prodique effigies, quas haud dubie divinas esse vel brutissimus sentiat. Unus ergo tandem ex his: 'Have,' inquit, 'Alexander mi.' Tunc cum rex venerationem debitam reddidisset quaesissetque, quis esset, qui se foret hac salutatione dignatus: 'Ego,' inquit, 'Sesonchosis ille sum; sed enim, ut vides, adscitus convivio caelitum ago una cum diis, quod profecto te quoque procul dubio iam manebit.' Ad haec Alexander cum ratum spei istius requisisset, Sesonchosis rursus: 'Iure,' inquit, 'ista tibi sperare convenit, qui inter cetera laboris et gloriae eius quoque urbis auctor exstiteris, quae rebus humanis magnificentia pariter antistet et gloria. Quare abito introrsus, ut summi quoque potentiam numinis coram salutes.'

43. Tum audacior rex ingressus sacri loci penita 68. maiestatis effigiem videt et fulgore aethereo renitentem, enimvero sedentarium talemque prorsus, qualem apud Rhacotin adoratum a sese summum deum praesidem Sarapim meminisset. Ibi ergo cum augustissimum numen Alexander salutasset agnitionemque confessus esset olim visitati dei, rursus Sesonchosis sic

2 tunc *P*. circumstantia *P*. 4 turba formarum *A*. turbarum *P*. 5 diis *A*. de his *P*. 6 Hic cum animo — trepidaret *A*. 7 videri *A*. 8 deorum *A*. demonum *P*. 13 qui se *A*. quive *P*. 15 ut vides *A*. et vides *P*. celitum *P*. celibatum *A*. diis *A*. his *P*. 19 convenerit *P*. 21 abito *P*. habitus *A*.

43. 24 Tum audacior *Mai*. Tum accior *A*. Cum actior *P*. 25 aetherio *A*. ethereo *P*. 27 Racatin *A*. *P*. 28 con augustissime nomen *P*. 30 dei *P*. diei *A*.

exorsus: 'Numnam,' inquit, 'tibi, Alexander, mirum est in tam longinquo dei huius praesentiam visam esse? sed idem ubique totus ac praesens est', ait. 'Quod enim caeli ambitus ubique praestiterit homini, id huius quoque numinis vis, *quae* numquam frustra veluti per absentiam requiritur.' Tum Alexander occasionem veri audiendi ratus protinus sciscitatur, quantum sibi ad vitae spatia polliceretur. Sed Sesonchosis 'Et ante iam dictum est,' inquit, 'tibi, nihil homini commodare praescientiam, quam requiris. Quippe viventi de vitae termino ratum dicere nihil aliud est quam longum maerorem ei et perpetem contulisse; spem vero vivendi perinde fieri longissimam, si praesentibus perfruare. Quod ergo tuum est ac beatitudini tuae proficit, urbs tellusque, quam delegisti, erit orbis inlustrior, eoque tibi nunc et in posterum una erit omnium veneratio; deus denique praesidebit. His etiam laeteris, si hominem demutaveris.' Post hoc responsum et sacrum Alexander haud difficile ad exercitum venit Candaces corona et insignibus comptus.

44. Eximque ad Amazonas ire festinat, ad XXV.
quas praemittit litteras in hunc modum scriptas: 69.
'Victorias nostras et in Darium bella eximque in alios, *in* quoscumque militavimus, glorias haud dubito vobis famae ipsius magnificentiam commendasse. Nam et Pori fortunam et iter nostrum in Oxydracontas ac Bragmanas digne taceri non arbitror; in hoc nomina

1 Numnam *A.* non *P.* 2 dei huius *A.* numinis huius *P.* 3 *Verba* 'sed idem—6 requiritur' *om. P.* 5 quae *addid. Mai; sed locus nondum sanatus est.* 6 occasionem veri audiendi ratus *om. P.* 9 dictum fuit est *A.* dicit. est *P.* 10 praescientiae *A.* 11 de vitae termino *A.* debitum terminum *P.* 14 si *P.* se *A.* 15 orbis tellusque *P.* 16 orbis *Mai.* urbis *A.* nobis *P.* 18 laeteris *A.* litteres *P.* homine *A.*

44. 25 in *addidi.* 26 magnificentia *P.* 27 iter *A.* inter *P.* Osyndracontas *A.* symdracontas et dracmadas *P.* 28 digna *P.* nomina *scripsi.* nomine *A.P.*

gymnosophistarum etiam per clementiam laudatiora, quippe quos siverim agere in pace ac suis legibus moribusque donaverim. Quod si vobis haud displicet, accipite nos isto venientes et, quod est amicitiae munus, diis sacrificate pro nobis iam, quippe vobis aderimus. At vos velim obviare nobis animo gratante, cum ad amicitiam iter istud, non ad periculum sit futurum.' Ad haec Amazones respondere: *70.*

45. 'Vel fiduciae munus est vel libertatis, omnia tibi, rex, scribere, quae penes nos sint, non quod fidem scriptis deroget ulla suspicio, sed ut plenius noscas, ecquid operis pretii sit his, quicunque hostili fervore in nos cupiant militare. Commune quippe humanitatis studium esse arbitramur, in quaeque dubia ausuros nihil prius quam emolumentum laboris intueri oportere. Scito igitur primum colere nos interamnanum, Amazonico flumine locum omnem, quo consistimus, ambiente, eo fluenti circiter spatio, ut una sit aditicula, eaque vix adcolis nota, qua septum fluminis vel inrumpi oporteat vel emergi, eiusque alvei tanta est difficultas, quanta nos a quibusvis periculis tueatur. Hoc igitur tantillo in loco ducenta milia virginum *71.* coimus, nullo omnino mari sexu interpolatae. Enimvero sicubi nobis ad naturam est consulendum, annuum sacrum est, quod hippophonia vocitamus. Eius sacri causa ad mares nostros, qui ultra amnem extrinsecus perpalantur, omnes ferme transimus atque illic

1 laudatior *Mai*[2]. 2 agere in pace *P.* mage cum pace *A.* 4 nos *A.* vos *P.* 6 nobis *A.* vobis *P.*

45. 10 pene *A.* 12 operi *A.* 15 emolumentum *A.* emulentum *P.* 17 Amazonico *Mr.* a machonico *A. P.* 18 ambientem *corr. ex* ambiente *A.* spatioque ut *P.* spatio quae ut *A.* 19 qua *A.* que *P.* septum *scripsi;* septem *A. P.* vim (= VI) *Keil.* fluminis *corr. in* flumina *A.* 20 vel inrumpi *A.* inrumpi *P.* 23 maris (*corr. ex* mari) sexu interpolato *A.* maris sexus interpolate *P.* 25 hippophonia *Mr.* ippofama *A. P.* 26 ultro *A.* 27 perpelantur *A.*

per dies triginta inter haec, quae diis aguntur, ubi fuerit ad lubentiam, nubimus. Nuptias vero cum maribus derelinquimus pactis et legibus, ut quaeque exim ad sexum hunc editae fuant, eaedem post septennium in exercitum dimittantur. Sed ubi venerint, erudiuntur equis et peltis, donec armis idoneae fuerint.
Igitur nobis quocumque militandum, et viginti milibus 72.
nostrum domi et in patria praetendentibus et ceteris arma sumuntur; redeuntibusque mos est honorem pro vulneribus numerari. Ea nobis stipendia sunt, haec provectio; tantumque quis nostrum honore dives est, quantum cicatricibus insignitior. Quippe et corona aurea redimitae salutamur atque adoramur a ceteris et publicis conviviis adhibemur et cuncta, quae sint nobis ad obsequium, deferuntur. Quod si in bello mortem, quam voti erit, nobilis virgo strenue oppetet, et functae divini honores adhibentur et adfinitati functarum largae pecuniae honoresque numerantur. Ceteroqui nobis aurum non est neque argentum, nisi
quod sit in insignibus militaribus. Haec illa sunt, in 73.
quibus impenduntur nostra discrimina, et in quae omnia periclitandum est, quicumque Amazonas bello deposcent. Cuius eventum non satis arbitramur utrique de pari. Quippe ubi Amazonibus suis auctor generis nostri Mars faverit, mares a feminis caesi victique maiore cum dedecore oppetent vel dilabentur. Ubi vero cum maribus steterit belli fortuna, pudenda res est, si quid hic sexus superatis feminis glorietur. Haec tibi igitur, rex, responsa de nobis sunt, quarum si fiduciam probas, obsequium etiam non aspernabere, siquidem te

1 inter ex *superscr.* vel haec *A.* inter ex *P.* 3 pactis et legis *A.* 4 fuant *A.* fiant *P.* eadem *A.* 17 functe *P.* functi *A.* divini *scripsi.* divinae *P. om. A.* 18 functarum *scripsi.* functorum *A.P.* 19 Ceteroqui *scripsi.* Ceterumque *A.P.* neque aurum est *P.* nisi si quid sit *P.* 22 quaecunque *A.* 23 cuius *Mai.* cuiusque *A.P.* 24 auctor *P.* actor *A.* 25 caesi *P.* caeci *A.* 30 aspernarere *P.*

coronamus corona aurea annua, quae sit ponderis, quanto tu iusseris. Super his, quod mavelis, scribito; nos enim, si secus sederit, praeter amnem in acie deprehendes.'

46. Hisce rex lectis delectatus admodum sic XXVI.
respondit: 'Qui terrae ambitum diligentius mensi sunt, 74.
huius mundi magnitudinem universi trifariam divisere easque partes Asiam vel Europam vel etiam Libyam nominavere. In hisce igitur partibus universis trophaea quoque nostra consistunt, et est pudendum, si in quibus nulla omnium obstiterit difficultas, a cognitione vestri veluti sub metus infamia declinemus. Quare vestrae sit facultatis, si quid de bello consultetis. Ceteroqui obsequium atque amicitiam diligentibus vicissitudo nostri non displicebit. Neque vero resistentibus exitium gentis et patriae neque cedentibus amica humanitas differetur. Progressae igitur, utra sub lege 75
vultis, praeter amnem ad nos venite omnemque multitudinem vestram illic in ordines ponite. Quod ubi fuerit ex forma huiusce praecepti, ego vobis Ammona patrem meum atque Iunonem, Minervam etiam victricem iuro, nihil amplius a vobis exactu iri, quam si quid pro viribus offeratis. Mittite sane ad commilitium mihi strenuas quasque equites, quantas vultis, quibus singulis remuneratio erit minae auri quinque praeter cetera, quae ad hanc magnificentiam congruent. Enimvero istae, quas miseritis, ubi annuum nobis obsequium emensae sint, in propria remittentur, uti pro hisce vi-

1 sit *om.* *P.* 2 Superque *P.* 3 praeter amnem in acie *A.* praeterit amne minàtione *P.*

46. 5 His *P.* 7 huius mundi *Volkm.* *ex cod.* *Ox.* eiusmodi *A.P.* diviserunt *A.* 8 partis *A.* 9 his *P.* 10 in quibus *A.P.* in *del.* *Mr.* 12 declinemur *A.* 13 faculutatis *P.* consulitetis *A.* 14 Ceteroqui (qui *erasum*) *A.* ceteros qui, *corr.* *ex* ceteris qui *P.* 16 exitum *P.* amici *P.* 17 utra *scripsi.* ultra *A.P.* 20 huius *P.* 22 exactu iri *P.* exacturi *A.* 23 commilitum *P.* 24 a quibus singulis *A.* 26 quae *om.* *P.* congruentem *P.* 27 vobis *A.* 28 remittuntur *A.* his *P.*

carias destinetis. Super his igitur, ut vobis commodum est, consultate.' Igitur Amazones motae rescri- 76.
bunt: Et dare se regi veniendi, quam cupiat, facultatem inspiciendique terras suas, et coronare se eum annuis talentis sex; quingentas etiam equites destinasse armatas et strenuas, ut poposcerit, quae per annos scilicet permutentur. Quod si qua ex hisce ad sexum suum cesserit, eam se petere ibidem desidere inque eius locum supplementum de gente postulari. Quippe Amazonibus certum esse parere viro absenti, cui cessisse omnium hominum genera didicissent.

47. His acceptis Alexander iter in Prasia- XXVII.
cam inde pervertit, quae quidem eius militi peregri- 77.
natio laboris admodum et plurimi periculi fuit. Nam aestatis ferme iam medio repentini imbres fluxere adeo vehementes atque continui, uti non solum vis animantium deperiret et, quaecumque usui sunt ad militiam, putrefierent, verum ipsis etiam per indigentiam calciamentorum pedum plurima pernicies inferretur, quippe ubi nudo vestigio per loca aspera humidaque perpeti labore traherentur. Neque vero id sub isdem imbribus adeo molestum, quam redeuntibus in naturam temporis solibus fuit, quamvis intemperie illa et tonitruum plurimum et iactus fulminum crebros experti essent. Nam et voces incertas resonantes audierant et portentuosa plurima eiuscemodi experti erant. Ubi vero iam ad Prasiacam adventabant Hy- 78.
panimque flumen, quod dispescit huiusmodi conlimitia,

1 ut *om.* *P.* 4 se eum *P.* secum *A.* 6 strenues *A.* poposcerat *A.* 7 si qua *Mr.* si que *P.* si quis *A.* his *P.* 8 patere *A.*

47. *In cod. P. hic interponitur locus Iosephi (Ant. Iud. XI, 5, 5—8, 6 extr.), deinde excerptum ex Orosii libro tertio.* 12 His acceptis *A.* Post haec *P.* 13 praevertit *P.* militi *P.* multa *corr. ex* multi *A.* 14 laboris *scripsi.* labori *A. P.* 16 uti *om.* *P.* 23 temporibus *P.* intemperies ille *P.* 25 resonentis *P.* 27 ypanimque *P.* Tympanimque *A.* *Πρύτανιν Graec.* 28 dispescit *P.* dispertit *A.*

transierant, comperit ibidem super magnitudine eius gentis ac regis potentia, qui Prasiacae potiretur. Quippe ista Prasiaca propter oceanum sita, quo de reliqua hominum turba semotior, hoc ad multitudinem quoque largius vivit. Addebat tamen fama tot elephantorum etiam milia esse regi, quot apud alios plerumque super hominibus mentiatur. His igitur compertis Alexander limitem huiuscemodi loci sensim legens civitates eius invadere ac dicioni suae vendicare non negligit et sacrificia diis immortalibus facit.

48. Quae cum maxime persequeretur, ab Aristo- *79.*
tele epistolam sumit scriptam in hunc modum. 'Per mihi difficile est eligere vel laudare, Alexander mi, ex hisce omnibus aliquid, quae te in ista militia gessisse cognovi, eamque mihi esse sententiam Iovem testem facio Neptunumque. Quare diis primum immortalibus deabusque ago gratias competentes, quod emenso tibi hasce periculi difficultates gratulationem potius quam solatium scribo, quippe quem sciam non bellorum modo discrimina evasisse, verum temporum quoque et caeli difficultatibus non cessisse. Ex quibus colligere admodum facile est, ambigendum, utrumne te prudentiae viribus an tolerantiae fortitudinisque magis praedicem. Certe illud tibi iam Homericum adest, quod illic sapientissimus gloriatur:

Multigenasque urbes hominum moresque notavi.

Quis enim praedicationis finis istud capit, triginta ferme vix annos emensum te orientis omnis occidentisque dominari? Bactra te vidit, Aethiopia saluta-

1 magnitudinem *P.* 3 Quippe dum *P.* situm quod *P.* 8 eiusmodi *P.* 9 civitatis *A.* ditioni suae *A.* dedicationis eius *P.* 10 *Verba* 'et sacrificia — 11 persequeretur' *om. P.*
48. 14 his *P.* 15 esse *om. P.* 18 has *P.* 20 discrimen *P.* 22 colligere *A.* colligere possumus *P.* 23 fortitudinisque *Mai.* fortitudinis *A. P.* 24 tam Homericum *A.* 26 notavi *corr. ex* notari *A.* notari *P.*

vit, Scythae tremuerunt, quodque uno ille versu percucurrit,

Quique novum cernunt Hyperiona, quique cadentem.

Neque enim quemquam non aut caesum audivimus aut supplicantem.' Haec quidem Aristoteles.

49. At vero Alexander collecto exercitu iter ad Babyloniam convertit, in qua susceptus honoratissime et sacrificia diis immortalibus repraesentat et certamen gymnasticum concelebrat. Atque inde iam pacificum iter coeptans hisce litteris ad Olympiadam matrem suam scribit. 'Super his quidem, quas in principiis egerimus ad Asiam usque expeditiones, omnia tibi nota sunt, mater mi. Aequum tamen fuit et de insequentibus te facere certiorem. Profectus ergo a Babylone una cum his, quos magis strenuos in exercitu habebam, quae quidem collecta sunt centum milia, in ulteriora regionum animum intendi pervenique usque ad Herculis stelas non minus itinere dierum ferme nonaginta quinque, fama de Hercule sic loquente, quod hasce metas peregrinationis suae fixerit deus ille, qui et duas stelas, id est titulos sui quosdam ibidem dereliquit, quorum unus ex auro, alter vero argenteus habebatur. Sed enim altitudo eorum est titulorum cubitis ferme quindecim, crassitudo vero in cubitis duobus. Hanc molem metalli quoniam non facile erat credere solido auro esse, periculum eius rei facere non omisi. Quare moratus ibidem diebus aliquantis reficiendo scilicet militi sacrificatusque deo Herculi titulum illum aureum, qua potui, rimatus sum

49. 9 gymnasticum *Mai.* gymnasicum *A.* gymnasiumque *P.* 10 iter *A.* inter *P.* his *P.* 11 super has *A.* quas *Mai.* quae *A. P.* 13 nota sint *A.* 14 ergo a Babylone *P.* quippe ad Babylonem *A.* 18 stelas *Mai.* stellas *A. P.* itinere *P.* iterum *A.* 19 quos has scematas *P.* 21 reliquit *P.* 23 habeatur *A.* 25 mollem *P.* 26 solidi auro *A.* huius rei *P.* 28 militi *Mr.* milite *P.* militae *A.*

foramine per omnem crassitudinem elaborato, neque claudicare fidem crassitudinis eius inveni. Sed cum cavernam illam replere religiosum mihi videretur, ad supplementum eius quingentis auri talentis opus fuit.

50. Hinc ergo per deserta redeuntes multa prae- 82
rupta eiusmodi incidimus loca, quae obsessa crassioribus nubibus nebulosisve omnem omnino adspectum homini sustulerant ac diei. Septem denique dierum itinere per has tenebras exanclato tandem Thermodonti supervenimus flumini haud cuiquam secundo ex magnitudine, sed enim per plana et opipara loca magno agmine pervaganti. Propter hunc Thermodonta genus Amazonum colit, mulieres magnitudine corporis pariter ac pulchritudine cetera hominum genera supervectae, amictae vero, ut in picturis est visere unimammas, et omnis hisce ferme amictus est arma vel ferrum. Igitur cum haud procul his ageremus, ipsarum quidem potiri haud facile erat, utrumque nostrum a congressu magnitudine fluminis dispescente. Sed praeter illius agmen bestiae quoque nonnullae asperitatesque impedimento erant. At enim comperto illae, quod ceterae quoque Amazones de nostra amicitia coeptassent, ipsae etiam periculi causam donis a nobis et obsequiis redemerunt.

51. Itemque indidem ad Rubrum mare veni- XXVIII
mus, quorum locorum dextra quidem perasperis inviis- 83
que montibus recta est, laeva vero mari Rubro latius fusa. Illic tamen factis Neptuno sacris immolatisque

1 elaboratio *A.* 3 replere *A.* repelle *P.*
50. 5 redeuntis multaque *P.* 6 incidimus *om. P.* 7 omnem *om. P.* 8 hominis *Mai. Mr.* diei *om. P.* 9 therindonti *A.* termodonti *P.* 11 oppipara *P.* 12 pervaganti *Mai.* pervagante *A. P.* termodonta *A.* 16 *post* 'omnis' *in margine suppletur* exercitatio *P.* his *P.* amictus *om. P.* 17 procul cum his *P.* 19 dispescente *P.* dispertiente *A.* 20 praeterque *A. P.*
51. 25 rubum *P.* 26 per asperos inviosque montes *P.* 27 laeva ergo *P.* 28 *Verba* 'Illic — 159, 2 repedamus' *om. P.*

equis ritu praesenti die secuta alio, quam veneramus, itinere repedamus; fuitque operae pretium illas quoque nosse regiones. Multa enim hominum genera et invisitata sunt nobis cognita, quorum vel maxime nobis admirationi fuit videntibus homines absque capitibus corporatos. Namque his hominibus oculi pectoribus inhaerentes, atque os omne ceteraque oris in *illa* parte corporis situm plurimum mirabamur. Illic et Troglodytas offendimus, qui subter terram domiciliis scalptis ac fossis ad serpentium instar secessus sibi et habitacula laboravere. Quod ergo exim eminus visere esset tellurem quandam sitam velut in medio mari, aestimato longius quam unius diei navigatione separatam, eo navigatione contendimus. Repperimus in illa insula civitatem, quae Solis esse diceretur, ambitus spatio non minus sexaginta stadiis circumscriptam. Sed enim e medio civitatis constructo quodam et congesto in loco currus aureus visebatur una scilicet equis atque insessore aureo laboratus. Is omnis labor de auri materia et smaragdi fuit. Mira tamen opificinae maiestas nec ulli in orbe terrarum operi facile contendenda. Enimvero isti regioni cum adesset sacerdos Aethiops, eo praeeunte Soli religiosius operatus sum.

52. Ac sic revertentes locorumne an temporis 84
tenebras profundas offendimus. Unde cum ratio ipsa suasisset ibidem mansitare et reficiendis nostris et

3 enim *om. P.* 6 Namque *etc. A.* Neque his hominibus oculi nisi peccoribus (nisi *additum ab altera manu*) *P.* 7 illa *addidi. in margine cod. P. adscriptum:* Cenophali scilicet caninis rictibus homines vultuati. Alii absque capitibus oris omnem usum pectoribus praeferentes oculos auresque et quicquid hominem integrat. 9 trogodytas *A.* rogoditas *P.* super terram *P.* 10 secessus *scripsi.* successus *A. P.* 12 et tellurem *P.* 14 separatam *Mai.* separata *A. P.* 16 stadiis *om. P.* 19 His omnis *A. P.* 20 smaragdis *P.* 22 *quae inde a* 'contendenda' *leguntur usque ad* 'Tanaim usque' 160, 7 *om. P.* 23 praeeunte *Mai.* praeeuntes *A.*

rursus sacrificiis persolvendis deo Soli, quod nullum omnino ignem, ex quo luminis foret copia, inveniremus, abscedere indidem confirmavimus. Tum vero divinum quoddam auxilium demorantibus praevenientes nobis quasdam effigies numinum cernere fuit cum luminibus lampadarum, quas a materia argenti eminus aestimabamus, atque ita victi ductique Tanaim usque fluvium supervenimus. Is Tanais e septemtrionis partibus in Caspium mare profluens Asiam fertur Europamque discernere. Laeva igitur eius itinere permenso ad Xerxis regna pervenimus, quae post habita Cyri sunt ac nominata, ibique multa opum regiarum ac divitias offendimus. Nam et aedem quandam ad speciem 8
Graeci operis illic magnificentissimam viseres inque ea aede etiam responsa dare memoratum regem sciscitantibus celebrant. Et situm ibidem in templo viseres varium opus, tropheum aureum dependens aedificii de culmine, adhaerebatque illi tropheo orbis quidam ad modum vertiginis caelitis, superque orbem simulacrum columbae sessitabat, quod ubi responsa rex diceret, humanis vocibus sciscitanti loqui ferretur. Id tropheum cum auferre indidem mihi cupiditas foret, uti ad vos et ad nostram Graeciam mitteretur, idem qui aderant, contenderunt rem sacram esse neque contemnendo periculo invadari a quopiam posse. Multa igitur alia quoque, quae miraremur, offendimus, inter quae cratera etiam argenteum capacitatis ad amphoras usque trecentas et sexaginta. Eius capacitatis est

52. 4 demorantibus *A.* desiderantibus? 6 eminis *corr. ex* eminus *A.* 7 victi ductique *A.* iuti ductique? Hinc egressi Tanaim usque *post lacunam incipit P.* 8 'Is Tanais—10 discernere' *om. P.* 12 agnominata *P.* 14 visere *P.* 17 varium opus *om. P.* stropeum *A.* ὀρτυγοτροφεῖον *Graec.* 18 'adhaerebatque' *usque ad* 21 'ferretur' *om. P.* 22 stropeo *A.* Id stropeum *A.* in tropheum *P.* 25 invadari a quopiam *A.* in audatia quo piam *P.* involari *Schlee.* 27 argentea *P.*

mensuratio comperta nobis hoc modo: dies sacer cum... convivium etiam celebre exhibebat, ad quod convivium tot amphoris repletum esse vas constat. Enimvero vas istud inscalptum erat atque caelatum navalibus proeliis, quae Xerxes apud Peloponnesum militaverat.

53. Erat inter illa caelamina et sella regalis *86.* scalpta insertaque operi ex auro, stellata lapidibus et ex pretio insignis. Impendebat autem etiam sellam istam vertigo quaedam ad modum mundi figurata, quam ipsam quoque responsa sub praesentiam regii spiritus dare omnes pariter adserebant. Propter vero eam est sita lyrae facies ex arte eiusmodi, ut nihil demutet ab ea lyra, quae sit canora; sic ista etiam ad canendum uti solent; nam et sponte plerumque spiritu tactam canere hanc lyram noverant. Et iuxtim viseres veluti thecam poculorum sedecim cubitis erectam, supraque eam thecam congestam effigiem altitudinis per cubita octoginta una cum gradibus octoginta. Ibi demum et fons fictus est, et aquila aurea supersistebat adeo effigiata daedale, ut pansis alis omnem illius operis ambitum tegeret. Namque et arbores scalptae et myrti quaedam ramosae ibidem notabantur, omnes istae de auro. Multa praeterea illic fuere, quae quoniam neque abundantiae suae neque magnitudinis pretiive facile offenderint fidem, censeo praetermittenda. Nunc vale.'

54. His scriptis cum a Babylonia iret Alexan- XXX.
der, mirum portentum atque evidens ad exitum fuit. *87.*
Nuntiata quippe est mulier foetum eiusmodi peperisse,

1 die sacri *A*. *post* 'cum' *aliquid excidisse videtur:* certaminibus? *vel* ageretur? 2 celebre *corr. ex* celebrare *A*. 5 peloponensum *A*. *P*.

53. 14 ut ab ea lyra *A*. quae si canora: sic istam etiam spiritu tactam canere *P*. 15 solent *Mai*. solet *A*. 16 spiritui actam *A*. 17 viseres *A*. vires *P*. 17 populorum *P*. 20 aquila *A*. aliqua *P*.

54. 28 a Babylonio iam ret *P*. Babyloniam iret *Mr*. 29 mirum et portentum *A*. exitium *A*. 30 fetum *P*. factum *A*.

cuius prioris corporis pars pube tenus ad hominem congruebat, enimvero quae insecuta corporis, erant omnia beluina, prorsusque qualem Scyllam homines fabulantur, nisi hoc uno deverterat: non enim caninis capitibus lupinisve, enim leoninis atque pardorum, suum etiam vel ursorum omnem inguinis ambitum texerat, spirantibus etiam bestiis, sed pars superna humanaque emortua iam et colore atro cum desitu spiritus visebatur. Id monstri ubi mulier, quae foeta fuerat, enixa est, statim ipsa invectum ad regem detulit Alexandroque habere mirum, quod ostenderet, praeiudicavit. Igitur ingressus, qui regi miraculum nuntiaret, offendit eum in cubiculo meridiano somno tunc deditum. Sed ad strepitum inrumpentis cum expergitus foret audissetque causam, mulierem induci iubet. Ingressa igitur statim facessere universos e praesenti mulier edicit, ipsa vero revelat nudatque, quod vexerat, profiteturque se peperisse.

55. Ergo ad miraculum visionis eiusmodi iubet 88.
statim Alexander prodigiorum interpretes convenire ac profiteri, ecquid eiusmodi novitas minaretur, interminaturque quam sancte, nisi ex fide dixerint. Unus igitur e praesentibus magno cum gemitu regi separato, 'Eheu,' inquit, 'malorum omnium, eheu, mi rex! non enim iam bonis neque inter vivos homines ultra nominabere.' Sed cur ista sentiret interpres, cum rex diligentius quaereret, haec addit: 'O quid enim,' in-

3 omnia beluina *etc. superscript. in P.:* id est ursi. pardi. lupi. leones. canes. sues. 5 capitibus *A.* rictibus *P.* 6 omne inguinis *A.* 7 etiam *om. A.* sed *P.* etiamsi *A.* 8 iam *P.* etiam *A.* 9 foeta *om. P.* 10 ipsa *P.* his has *A.* 11 habere *om. P.* 12 praeiudiavit *P.* qui *P.* quae *A.* 13 cubiculum *P.* somno *om. P.* 14 irrumpentes *A.* 16 se praesenti *P.* 18 vexerat *P.* vixerat *A.*

55. 21 et quid *A.* quid *P.* miraretur *P.* 23 e praesentibus *A.* praesentibus *P.* 25 iam bonis *A.* tam bonus *P.* neque *fortasse delendum.* 26 nominavere *P.* 27 quid *om. P.* quidquid *Schlee.*

quit, 'o vir summe, quidquid ex homine foetus hic habet, ad te pertinet, quod vero est subter atque beluile, quicumque tibi subditi sunt et subiecti. Si igitur ea pars, quae superna est, viveret et motaretur, sicuti haec, quae infra sunt, faciunt, tu sane obtineres ac dominarere cunctorum. Sed quoniam secus est, in contrarium intelligendum, nisi quod hi quoque ipsi dissidebunt neque congruent; vides enim dispares formas neque inter se amicas ac prorsus beluile saevientes. Atque hi quidem inter se omnes te oppetente dissentient dimicabuntque.' His dictis interpres exierat aversurus scilicet, si qua posset, et exusturus religiosius portenti illius minas. Alexander vero animo consternatus cum gemitu sic ait: 'Pro bone Iupiter, quam bona res est ignoratio metuendorum!' Sed hactenus illa animi commotio fuit. Ceteroqui viriliter et decore omnem exspectatae mortis impetum opperiebatur, quippe qui praeter cetera eo quoque se solaretur, quod divinis honoribus haud procul foret.

56. Ergo occasio illi moriendi talis fuit. XXXI
Mater eius ad eum scripserat super Antipatri et Di- *8*
vinopatris simultatibus petebatque, ut ob id ipsum ad Epirum ire contenderet. Sed enim Alexander cum id virorum iurg*ium in suum iudic*ium deduci vellet, statuit Antipatrum ad sese venire ex Macedonia alio in locum eius substituto. Quod ubi factum est, venenum Antipater elaborat curiosum admodum efficaxque idque per ministrum regi dari in convivio exegit

2 subter *Mai.* super atque beluine *P.* super atque veluile *A.* 4 motaretur *P.* moveretur *A.* 5 tu *om. P.* 11 dissentirent *P.* exierat *P.* ierat *A.* 12 et *om. P.* 16 ceteroqui *Mai.* ceteraque *A.P.* 17 decorem omnem exspectante *P.* 18 Quippe quae praeter *A.* quippe qui per praeter *P.* 19 solaretur *Mai.* solatur *A.P.*

56. 20 illi *om. A.* 21 *de nomine* 'Divinopatris' *cf. Zacheri Pseudo-Callisth. p. 11 sq.* 22 Petebat uti ob ipsum *P.* 24 in suum iudicium *addidi.* 25 alia *A.* 27 laborat *A.*

poto. Igitur rex mox lectulo datur ac diebus complusculis cum illa pernicie conluctatus tandem causam eiusdem periculi esse ab Antipatro cognovit. Id insecuta est quaedam veluti indignationis caelitis 90.
ostentatio. Nebula quippe admodum crassa foedaque interfusa omni aëri sudo die cuncta in tenebras verterat. Tum repente e nubibus draconis effigies ignitissima caelitus labitur mare usque unaque cum illo praestantis aquilae species volabat. Quod ubi factum est, Iovis quoque Babylonii simulacrum motari coepit. Et hisce factis rursus draco una cum aquila sua ad caeli convexa remeavit, aquila sane vehens stellae cuiusdam fulgidum globum. Quod ubi homines visitavere, veluti praenuntiante divinitate, quod gerebatur, Alexander quoque spiritu protinus vacuatur ac moritur. Persis tamen multa contentio erat cupientibus regem in regno Persico sepelire proque deo Mithra religionibus consecrare. Enimvero Macedones ad Macedoniam corpus indidem ferri et solo patrio sepulchrisque maiorum inferendum putant. Tum Ptolomaeus, quod enim sciret apud Babylona Iovis oraculum esse veridicum, in eius dei sententiam differt, perinde uti iusserit, consulturus. Deusque interrogatus sic ait:

Accipe, quae regis sedes cultusque dicetur.
Urbs colitur Nili propter umbrosa fluenta,
Aequoris in gremio, cereali dives anona,
Nomine Amazonidos quae dicitur inclyta Memphis.
Hic sibi templa dari sacrata sede recepto
Iussit cornigero genitus sub honore Lyaei.

4 veluti *om. A.* 5 quippe *A.* quoque *P.* crassadoque interfua *P.* 6 omni aere *P.* omnia aeri *A.* 9 praestantis *Mai. Mr.* praestare *A. P.* praeclarae? 10 motari *P.* nutare *corr. ex* natare *A.* 11 his *P.* 13 fulgi *P.* 17 proque deo Mithra relig. cons. *om. P.* 18 religionibus *Mai.* regionibus *A.* 21 babiloniam *P.* 22 in *om. A.* 23 iusserit *P.* ius erat *A.* Numenque interrogatum *P.* 24 Accipe qui *A.* 26 anona *A.* in nona *P.* 27 Amazonides *P.* Amazodinos *A.* Memphis *Mr.* mensis *A. P.* 29 Lyei *A.* liaci *P.*

57. Dato igitur hoc responso nullus omnium XXXII. refragatus est, quin ita fieret, ut deus iusserat. Igitur *91.* in Aegyptum corpus Alexandri ferebatur feretro quidem regaliter exornato, tumultuario vero conditorio e plumbi materia, quoque esset unguinibus atque pigmentis, quae servandis corporibus sunt, tutius permanere. Vectus igitur pompa vehiculoque regali *ubi* ad Pelusium advehi nuntiatus est, omnes eiusce regionis proceres ac sacerdotes una cum diis ac religionibus suis obviam processere, iuniorem Sesonchosim venerati. Vulcani quoque eum appellatione salutabant, quod hunc prae ceteros deum illa pars arbitraretur orientis. Enimvero exim ex sententia numinum XXXIII. prophetes docet non apud Memphim sacrum corpus, *92.* verum Alexandriam pervehi oportere, quod illi loco et auctor conditus fuerit et tutela vel maxima perpetuo futura nosceretur. Perinde enim inexpugnabilem locum illum praesagiis nosci, ut ipse quoque indefessae virtutis est habitus. Erigitur ergo aedes quam maximo opere ad instar templi, quod etiam nunc Alexandri nominatur. Quo ubi primum consecratas XXXIV. reliquias intulere, visum Ptolomaeo est testamentum quoque, quod scripserat moriens, publice recitari, idque lectum est ferme ad hanc sententiam scriptum:

58. 'Alexander, rex Macedonum, dicit. Primum *93.* mando iubeoque Arrhidaeum, Philippi filium, interim

57. 1 hoc *om. A.* 2 deus *A.* numen *P.* 3 *a* 'feretro' *usque ad* 13 'arbitraretur orientis' *om. P.* 6 tutius *Mai.* totius *A.* 7 Vectus *A.* Ut *Mai.* ubi *addidi.* 9 religionibus *Mai.* regionibus *A.* 11 venerati *Mai.* venerat *A.* eum *Schlee.* est *A.* 12 ceteros *A.* ceteris *Mai.* 13 sed ex sententia numinum prophetes docet, apud alexandriam corpus pervehi oportere *P.* 16 *Verba* 'et tutela—19 est habitus' *om. P.* 21 *Verba* 'quo ubi—intulere' *om. P., qui ita pergit:* visum est etiam tholomeo. 23 quoque *om. P.*

58. 25 macedonem *P.* 26 iubeo *P.* Arrhidaeum *Mai.* Aristeum *A. P.*

regni mei fieri successorem. Sed enim si fuerit mihi filius e Roxane, huic nomen et regnum nostrum pariter concedendum. Quod si e Roxane puella edetur, sit Macedonum optio, quemnam sibi regem ipsi substituant. Optatus porro constitutusque rex Argiadum regiam veteremque principatum servare debebit. Hisce Macedones consueta dependent. Olympiadi autem, matri meae, si ita volet, licebit Rhodi degere vel in eo, quem malebit loco, accipienti cuncta haec, quae me
superstite consequebatur. Praefectum autem Mace- 94.
doniae Craterum fieri mando eique Philippi filiam coniugari. Philonam etiam iubeo satrapiae praeesse Hellesponticae universae uxoremque ei fieri Olciae sororem. Cappadociam quoque vel Paphlagoniam Eumeni regendam permitti placet. Eos vero, qui in insulis sunt, liberos suique iuris esse praecipio. Antigonus Cariae praesit, Casanderque Boeotiae, eisque omnibus praeesse Antipatrum oportebit. Uton Syriae rector esto. Babyloniae vero et adiacentium regionum praeficio Seleucum. Phoenicen ac Syriam Coelen Meleagro regendam permitti decrevi, Aegyptum Perdiccae, Libyam Ptolomaeo, cui etiam Cleopatram coniugari oportebit, sororem meam. Regionum porro, quae supra Babyloniam sunt, curam Phanocrati permitti praecepi eique uxorem Roxanen Bactrianam dari.

59. His igitur omnibus mando repositorium cor- 95.
pori meo fieri auri magnorum talentorum sex. Quisque autem Macedonum Thessalorumve provectior sit aetate atque ad solum genitale voluerit ire, his fieri

2 regnum meum *P.* 3 edetur *P.* detur *A.* 6 regiam veteremque *Mr.* regiam *om. A.* veterem *A.P.* His *P.* 7 dependant *P.* 9 malebit *A.* malevit *P.* mavelit? 10 autem *corr. ex* vero *A.* 12 Philonam *A.* filiolam *P.* Philotam *Mai.* 13 Olciae *scripsi.* Olci *A.P.* 15 gerendam *A.* 16 praecipio *A.* praecepi *P.* 17 boetie *A.P.* 18 Uton *A.* Yton *P.* 24 Babyloniam sint *P.* 25 bacthranam *A.* bactranam *P.* *correx. Mai.*

59. 27 magno *A.* 29 genitalia *P.* volunt *A.*

facultatem, quibus singulis tria milia drachmarum adnumerari conveniet. Argos autem mitti arma, quibus ipse usus sum, et auri signati drachmas quinquaginta eaque Herculi consecrari volo. Delphos quoque mitti praecepi, eboris quod in aula mea fuit, draconumque terga et pateras aureas tredecim, primitias scilicet operum nostrorum. Milesiis etiam ad reformationem oppidi sui dari praecipio auri signati drachmas centum
et quinquaginta tantumdemque auri materiae. Volo *96.*
autem Perdiccam, quem Aegypto imperatorem atque Alexandriae esse iussi, sic uti imperio mandato, ne nomen meum ex oppido transferatur, quae quidem etiam maximi deorum Sarapis est sententia. Fieri porro annuum oppidi sacerdotem, qui sacerdos Alexandri nominetur, eique insignia dari placet coronam auream et purpureum amictum. Is ubi functus fuerit sacerdotio, omni reliquo munere vel inquietudine sit solutus. Sed quisque id sacerdotium nanciscitur, sit et genere nobilis et existimatione, uti sibi digni-
tas una cum posteris et ista proficiat. Indicae re- *97.*
gionis eiusque tractus, qui ad Hydaspim fluvium pergit, Taxiaden mando esse praefectum. Adiacentium vero regionum Apoctronum, Roxanes patruum, uxoris meae, rectorem constitui placet. Racusiam vero regionem et Bactrianam et Susianam Philippo remitto, Hyrcaniam Artaphernae, Persida Peucestae. Illyriae vero praeficio Olciam, cui quidem ex Asia dari oportebit quingentos equos et auri drachmarum tria milia, e quibus templum constituat, eique templo simulacrum Herculis

3 usus sim *A*. 9 tundemque *P*. 10 egyptum *P*. 11 sic uti *A*. sicut *P*. 12 tranferatur *A*. 14 annuum *P*. unum *A*. 18 Sed si quisque *P*. id *P*. ita *A*. 21 qui ad Hydaspim *Mai.* qui ad ydapim *P*. quo alydapim *A*. 22 taxiade *P*. Traxiaden *A*. Adiacentiam *P*. 23 Apoccronum *A*. patruum *A*. petrum *P*. 24 regionum *P*. 25 Susianam *Keil.* Suisiam *A*. *P*. Hyrcaniam *Mai.* Circanniam artaferne *P*. Cyrcannia mariaferne *A*. 26 Paucestae *A*. Illyrio *P*. 27 Olciam *Keil.* orciam *P*. Orcion *A*.

et Ammonis consecretur, Minervae etiam et Olympiadis, matris meae, nec non etiam Philippi. Omnes etiam curatores imperii imagines consecrent et signa constituant, aurea quidem apud Delphos, ceteris vero in locis materiae diversae. Constitui autem effigies oportebit Perdiccae, Alexandri, Ammonis, Minervae, Olympiadis, Herculis, Philippi, quae omnes divinis honoribus consecrabuntur.' Et haec quidem summa voluntatis Alexandri est accepta.

60. Vixit autem annos triginta et tres. Sed XXXV.
imperium iniit annum agens octavum decimum. Om- 98.
nes autem difficultates eius usque ad annos viginti et quinque fuere; reliqua in pace transegit. Gentes barbaras dicioni suae subiecit numero viginti et duas, Graecas vero sedecim. Victor totiens, quotiens bellator, nullo proelio invulneratus. Sed civitates condidit duodecim, omnes nomine suo scilicet nuncupatas, quae sunt hae: Alexandria, quae condita est nomine Bucephalae equi, Alexandria montuosa, Alexandria apud Porum, Alexandria in Scythia, Alexandria Babylonis, Alexandria apud Massagetas, Alexandria apud Aegyptum, Alexandria apud Origala, Alexandria apud Granicum, Alexandria apud Tigridem fluvium, Alexandria apud Troadam, Alexandria apud Sanctum, cui quinque primorum, ut dictum est, elementorum idcirco sunt data nomina, ut in hisce elementorum nominibus legeretur: Alexander Imperator Genus Iovis Condidit. Obitus tamen eius diem etiam nunc Alexandriae sacratissimum habent.

8 summae *A.* 9 accepta *om. P.*
60. 15 sedecim *A. P.* *ιδ' Graec. Verba* 'Victor—invulneratus' *om. A.* quotiens *scripsi.* quot *P.* 16 Condidit civitates eius XII *P.* 18 heae *A. P.* 20 in Scythia *A.* insicia *P.* 24 cui *A. P.* quibus *Mai.* 26 in his *P.* 27 *Quae post* 'legeretur' *sunt in A., om. P.*
In A. subscr.: Explicit Obit Alexandri. Incipit Itinerarium Eiusdem.

ALEXANDRI MAGNI, REGIS MACEDONUM, ET DINDIMI, REGIS BRAGMANORUM, DE PHILOSOPHIA PER LITTERAS FACTA COLLATIO.

Epistola Alexandri.

Saepius ad aures meas fando pervenit rationem vitae vestrae a communi ratione hominum, qui ubique sunt, discrepare; nam nec terrae nec pelagi subsidiis uti vos asserunt nuntiantes. Quae res, sui novitate mirabilis, rumorum licentia videtur incredula. Et recte consulere per has te, Dindime, litteras properavi, ut si verum est, quod audivimus, et si philosophandi causa hoc facitis, incunctanter expedias, quo certior effectus ego quoque, si fieri potest, disciplinae sectator huius exsistam. Semper enim virtutum studiis ab ineunte aetate dedi operam traditaque mihi a sapientibus innocentiae mandata non indiligenter, ut arbitror, conservavi; quibus tamen ita informamur ad bene vivendum, ut vivendi omnino causas et remedia non perdamus. Sed quia vestra excellens, ut fertur, industria praeter illas philosophicas philoso-

L. = *Codex Leid. Voss. Lat. Q. 20 saec. IX.* *P.* = *Cod. Par. 17569 membr. fol. quadr. saec. XII.* *M.* = *Cod. Millstadtensis.* *V.* = *Cod. Vindob. 150 m. saec. XIII.* (*continet solum primam responsionem Dindimi*). *B.* = *Edit. Bissaei, Londin. 1668.* *R.* = *Edit. Frobeni Ratisbon. 1770.* — 7 communi ratione *P.* communione *R.* communium *L.B.* communi usu *cod. Oxon.* 9 sua *P.* 11 recta *Keil.* 13 faciatis *P.B.* 19 ut vivendo *L.* ut bene vivendi *B.* 20 ut fertur *Keil.* offertur *Codd.*

phorum notas usitatasque doctrinas cultum quendam observantiae singularis induxit, quaeso ut hanc nihil moratus aperias; nam nec vobis ex hoc aliquid iacturae proveniet et nos aliquid fortasse commodi sortiemur. Libera enim est res communitas et nesciens pati dispendium, cum in alterum participanda transfunditur, sicut ex una face, si lumina plura succenderis, nullum damnum principali materiae generabis, quae quidem facultatem accipit plus lucendi, quotiens causas invenit plus praestandi. Quapropter obsecro te, ut praebeas responsa quaesitis.

Prima responsio Dindimi, regis Bragmanorum, contra Alexandrum, regem magnum Macedonum.

Desiderantem, Alexander, te scire, quid sit perfecta sapientia, licet huius te non ignarum profiteris, belle collaudem, quia quod solum est omni regno praestantius, id assequi maluisti. Etenim imperator exsors philosophiae non dominari solus creditur, sed servire quam plurimis. Verumtamen, quoniam satis mihi durum et prope impossibile videtur nunc te ad nostra instituta transduci, cum procul aliis, quam noster cultus exigit, disciplinis et moribus sis imbutus, statueram tacere teque veniam super his, quae postulas dari, deprecari, maxime quia nec mihi ullum suppetit uber eloquii et tibi necessitatibus bellicis oc-

1 usitasque *L.* 2 observantia *L.* 4 perveniat *L.* 5 communitas *R.* communita *L. cod. Oxon.* commonita *P.* communicari *B.* 6 participanda *P.* participata *cet.* 7 Sicut enim *L. R.* face] lucerna *B.* 8 materie *L.* materiei *P.* quia equidem fac. accipis plus lucrandi, quot. caus. accipis *R.* 10 te *R. om. cet.*

15 profiteris *scripsi;* profiteri *Codd.* 16 belle *B.* velle *cet.* collaudem] collaudamus *R.* 18 exsors] expers *V.* solus *L. P. R.* solum *B.* subditis *V.* 19 quoniam *V. Frob.* quo *L. M.* quod *P. B.* 21 cum] tum *L.* procul] prorsus? 24 deprecari *R. om. cet.* 25 eloquii *L. R.* eloqui *P.* eloquium *B.* quia mihi nulla suppetit ubertas eloquii *V.*

cupato parum temporis ad legendum datur. Sed ne invidiae causa deserere me diceres, expediam ut potero, quae requiris. Nuntios enim de nobis dudum ad te prolatos non immerito famae incredulus respuisti, nam solet gaudere figmentis. Nunc tamen ex me indubitanter percipe rerum fidem contentus, ad beate vivendum quales habeamur, agnoscere; sit sane tui iudicii ea, quae proferemus, utrum sequenda censeas an spernenda.

Gens igitur Bragmanorum pura et simplici vita vivit. Nullis rerum capitur illecebris. Nil appetit amplius, quam ratio naturae flagitat. Omnia patitur ac tolerat illud putans necessarium, quod scit non esse superfluum. Facilis nobis semper alimonia, non quam luxuriae sagacitas per omnia currens elementa perquirit, sed quam tellus ferro inviolata producit. Mensam epulis oneramus innocuis. Hinc est, quod nulla genera morborum numeramus et nomina, sed diuturnis gaudiis salutis intemeratae defruimur. Nullus itaque apud nos sanandis corporibus usus est herbarum nec in alienas pernicies auxilium petimus constituti. Opem non precatur alter ab alio, ubi vivitur inter pares. Locus non praebetur invidiae, ubi nullus superior est. Omnes divites facit paupertatis aequalitas. Iudicia non habemus, quia corrigenda non facimus. Leges nullas tenemus, quae apud vos crimina proferunt. Nam dum plerumque severis sanctionibus

1 parum *R.* parvum *cet.* parvum temporis spatium *P.* 3 requiris] queris *L.* 4 immerita fame incredulos *L.* 5 solet *L.R.B.* solent *V.* solet fama *P.* 6 fide *L.B.* 7 habeamus *L.R.* 8 ea *P. om. cet.* spernenda] respuenda *V.* 10 Gens] Genus *L.* bragmannorum *L.* vita vivit] una vita *L.* vivit *om. P.* Nullis rerum *P.R.* nullus reus *L.B.* nullius rei *V.* 14 *post* 'superfluum' *addit* nec ultra modum *P.* Facilis nobis semper alimonia *om. P.* non quam *R.* nunquam *cet.* 16 inviolata] involuta *L.M.* 19 salutis intemeratae] intemerata sospitate *P.* 21 constituti *L.P.B. om. R.* constitui *V.* 22 opem] maior *V.* 25 Indicia *L.*

incognita prohibent, facinora docuerunt. Una genti lex est: contra ius non ire naturae. Misericordiam nulli tribuimus, quia nec ipsi miseranda committimus. Culpas nostras aliorum remittendo peccata non abluimus nec sparsis divitiis scelera congesta redimimus. Quid enim proficiat in proximum depensa munificentia noxae, cum sit auctori simile, quod confertur? Et fortassis sincerior est ille, cum quo male conscius raptim parata communicat, et ita fit, ut vitiis largientis par, qui accipit, habeatur. Pravitas enim, quos contigit, exaequat. Laborem non exercemus, qui nutrit avaritiam, otium turpe dum vitamus. Libidini membra debilitanda non tradimus. Nocte non utimur ad tegenda flagitia. Nihil facimus, quod castigetur. Nefas est apud nos iuga montium vulnerare dentibus vel camporum nitorem rigare vomeribus aut gementibus tauris stridentia plaustra subiungere. Cruentis dapibus uterum non torquemus. Vescendi causa secreta litorum retibus non rimamur, non aequoreas animantes secreta venatione decipimus, aut aëris libertatem captu avium verberamus; silvarum incolas non vastamus indagine neque spolia ferina domum convehimus. Omnia possidemus, quaecumque non cupimus; est enim ferocissima pestis cupiditas, quae solet egenos, quos capit, efficere, dum finem inquirendi non invenit, sed eo magis, quo fuerit locupletata,

1 perhibent *L.* 5 sparsis] a sparsis *L.* 7 auctore *L.* avaritiae *B.* confertur *L.V.* fertur *cet.* 9 patrata *B.* 10 haberetur *L.* parvitas *L.R.* 11 contigit *L.* contingit *cet.* 12 turpe dum *P.* turpitudinis *R.* turpe devitamus *V.B.* turpe vitamus *L.* 13 nocte *V.* note *L.* nota *P.R.* 14 tegenda *P.* tenenda *L.R.* tendenda *V.* nocte — flagitia *om. B.* fecimus *L.* agimus *V.* castigetur *P.B.* castiget *L.V.* lex castiget *R.* lux castiget *Rieberer.* 15 vulnerare *R.* vulnerari *cet.* 16 rigare *L.P.B.* rimare *R.* rimari *V.* rugare *Keil.* 17 plaustro *L.* 18 secreta] secta *L.B* 19 rimamus *R.* 22 vastamur *L.* 24 feracissima *L.* 25 cepit *B.* requirendi *B.* 26 eo magis *R.* et magis *L.P.* magis *V.B.*

mendicat in usum libidinandi. Turrita culmina non levamus nec auras salubres arte quadam decoquimus nec gelidos aquarum cursus ferventi statione concludimus. Cur autem nos lavacra poscamus, quorum corpus immundis contactibus non sordescit? Sole calescimus, rore humectamur, sitim rivo frangimus, torum ministrat humus, somnum sollicitudo non rumpit, mentem cogitatio non fatigat. In homines nostri similes superba non agitamus imperia nec quemquam vel minima servitute exigimus praeter corpus, quod solum animo famulari debere censemus. Alioquin saevitia est in obsequium cogere, quos nobis fratres eadem natura progenuit et quibus ab uno deo patre communium bonorum spondetur hereditas. In exstruendis domibus igne saxa non solvimus nec limum rursus in lapides subactum fornacibus reformamus nec admixtione velificati pulveris caementa duriora conficimus; fundamenta non iacimus in profundo nec vi nostra vetus oceani possessio mutilatur, ut ibi cubicula nobis sint aprica, ubi fuerat quondam procellosa navigatio, dum terrarum dilatare quodammodo molimur angustiora et defectui creatoris velut quaedam supplementa praebemus. Quin potius in defossis telluris speluncis aut concavis montium latebris capaciter habitamus. Nullos ibi ventorum fremitus, nullius tempestatis turbines formidamus. Tutius nos defendit ab

1 libidinandi *B.* laborandi *P.* lavandi *L.* labandi *R.* livoris *V.* 2 aures *L.* quaedam *L.* 5 contactibus *P.B.* contractibus *L.* contractionibus *V.R.* 9 superbia *L.R.* agitamur *L.* imperia *P.B.* imperium *L.V.R.* 10 minime *L.* in minimam servitutem *R.* exigimus] affligimus *B.* 15 limum] imum *L.* 16 lapidem subacta fornace *V.* reformamus *om. L.* 18 nec vi nostra — mutilatur *R.* ne cui nostrum — mutiletur *cet.* (vestrum *L.*). 19 ut ibi *Schlee.* ubi *L.P.* ut *R.* ibi *B. om. V.* 20 sint *R. om. cet.* fuerat] fuit *P* navigatio *om. L.P.* 21 molimur *L.R.* molimina *cet.* 25 *r* tempestatum *B.* 26 totius *L.*

imbre spelunca quam tegula; cuius geminus nobis usus est mansionis: dum vivimus, proficit vitae, dum morimur, sepulturae. Nullus apud nos pretiosus amictus est, nulla vestis fucato colore contexitur. Membra papyri tegmine, vel quod est verius, pudore velantur. Feminae nostrates non ornantur, ut placeant, quae quidem ornamentorum cultum magis oneri deputant quam decori. Etenim nesciunt in augenda pulchritudine plus affectare, quam natae sunt. Nam quis potest opus naturae corrigere? Quod cum factum fuerit, aut infructuosum est, quia vincitur, aut criminosum, quia praesumitur. Nullus apud nos incestus, nullum adulterium, nulla corruptio nominatur. Ad concubitum non admonet nos libido, sed subolis amor. Non novimus amorem nisi pium. Abortivis actibus procedere foeta nascentia non vetamus nec intra vivum corpus mortem invehimus alterius. In hominibus concipiendis sterilitatis obitu minime deum suo iure privamus nec in rapienda vita superstitum gladiis urgemus morantia fila Parcarum. Arma non sumimus, bella non gerimus. Pacem moribus, non viribus confirmamus. Sola fortuna est, adversus quam saepe pugnamus et saepe vincimus, quae temeritatem suam, nos experta, deplorat. De fatis nihil querimur, quia potestatem illis contra nos recte agendo non damus. Mortem non patimur, nisi quam aetas affecta portaverit. Nemo denique parens filii comitatur exsequias. Nulla nos exstruimus instar templorum sepulchra de-

1 geminus] gremium *V.* 2 quia dum *B.* 4 fucato *P.B.* fuscato *L.* fuscatio (s *et* i *eras.*) *V.* fuscario *R.* 5 pudora *L.* 8 decori] honori *B.* 9 natae] nactae *R.* quam qua natae *Keil.* 10 factum *R. om. cet.* 15 pium] purum *P.B.* 16 vetamus] novimus *B.* praecidere foet. nasc. non novimus *Biss.* 18 conspiciendis *P.B.* obitu *P.* obitum *L.R.* officio *V.* ob causam *B.* obtentu *Rieberer.* 23 saepe] semper *R.* 24 in nos experta *B.* quaerimus *L.R.* 28 instruimus *L.V.*

functis nec in gemmatis urnis funera combusta recondimus. Quod non honori potius duxerim, sed poenae. Quid enim miserabilius his ossibus, quae ne genitrix terra complectenda recipiat concremantur?

Sed haec vestra sunt argumenta. O divitiae, quae nec satietatem viventibus concessistis et mortuis supremam requiem sustulistis. Invenit, ut video, vester furor in homines et post fata, quod torqueat. Non enim sinitis gremio suo tellurem cineres fovere, quos edidit, dum munifica specie ministerii iucundam miseris eripitis sepulturam. Discant homines, qualem vicissitudinem amatoribus exhibetis vestris. Vos estis malorum omnium causa mortalibus. Vos Asiam et Libyam brevibus concludi finibus affirmatis. Vos solis meatum trepidare facitis, dum cursus sui terminos armis disquirit Alexander. Vos Tartareum custodem sopiri posse pretio suggessistis. Vos omnia consumentes vultum semper ieiunum geritis. Vos pias patrum dextras natorum iugulis scelerastis. Vos in maternum concubitum verecundos iuvenes ipso Cupidine stupente duxistis. Vos in superbiam reges mitissimos incitastis, quibus cum terrarum spatia minime sufficere suadetis, poli quaerere sedes hortamini. Licet nec deos vestros morbi dimiseritis exsortes. Nam et per ipsos nefanda committitis. Testes sunt Iupiter et Proserpina, ille quod pudicam mulierem fefellit auratus, illa quod vivum corpus in Tartarum non aliter nisi auro

1 recondimus *R.* convehimus *B.* *om.* *L.P.V.* 2 honori *L.V.R.* honoris *P.B.* duxerim *R.* dixerim *cet.* 3 ne] ut *R.* nec *V.* 5 O *om.* *R.V.* 8 fata *R.B.* facta *L.V.P.* quod *om.* *L.* 12 amatoribus *V.R.* amoribus *cet.* exhibeatis *B.* 13 mortalibus *V.B.* mortalium *cet.* 14 brevibus] angustis *V.* 15 sui] eius *R.* 19 iugulo *R.* 20 ipso *L.R.* ipsa *cet.* 21 stupentes *L.* 22 quibus cunctarum spatia terrarum minime sufficere suadetis, quin etiam poli sedes concupiscere compellitis. Licet *V.* 23 sedes *om.* *R.* 24 exsortes] expertes *V.* 25 committitis] commisistis *B.* comitatis *P.* 26 auratus] auratis cornibus *V.*

suscipit oblato. Vos liberos homines honestate privatis, vos servos nobilitate donatis, vos captivos triumphis extollitis, vos reges facitis non posse, quod volunt, vos iudices integritate nudatis. Omnia tenetis et omnibus vos habentibus imperatis. Sola sapientia Bragmanorum vos superat non amando. Sed de his satis; nunc reliqua percurramus.

Pestilentiam Bragmani non patimur; neque enim foedis actibus temeramur. Caelum semper temperiem tenet apud nos. Cum temporibus natura concordat, ut vices suas elementa non offensa custodiant. Medicinae remedium nobis parsimonia est, quae non solum illapsos potest curare languores, sed etiam procurare, ne veniant. Nulla nos ludicra spectacula nec equina certamina nec scenicas turpitudines affectamus. Voluptatí non ducimus arenam. Sanguinis fluenta manantia abhorremus. Quid enim mimus hic faciet, ubi nullum praestigium, quod ridendum de nobis possit exhibere, reperiat? Quid tragoedus agat nihil inveniens, quod lugeat cum clamore? Cur iuvenes bestiis obiciantur immanibus, cum nullius noxam talis poena respiciat? Nos theatrum spectare cum volumus, vestrorum operum monimenta relegimus, quae cum sint maxime ridenda deflemus. Alia porro nobis spectacula diversasque voluptates exhibet mundi machina, in qua videmus polum pulchre formatum signorum varietatibus

2 nobilitate] nobilitati *P.* filios nobilitatis *V.* 6 de his *P.* ex his *V.* his *L.R.B.* 8 enim *om. L.* 9 temeramur] temeramus auram coeli *R.* temperiem *om. R.* 10 natura *etc.*] naturam propriam apud nos elementa coeli et tempora custodiunt *V.* concordat *P.B.* concordiam *L.R.* 13 languores — procurare *om. L.* 14 exspectacula *L.P.R.* 15 Voluntati *L.* 17 minus *L.* 18 prostigium *V.* vestigium *B.* 19 reperiat *L.R.* reperiatur *P.* inveniat *V. om. B.* tragidius *L.* tragediis *P.* tragicus *R.* quod lugeat *P. om. cet.* 21 nullus *R.* poenae *R.* 22 exspectare *L.P.R.* 23 monimenta *om. P.* relegimus *om. B.* 24 exspectacula *L.P.R.* 25 voluntates *R.*

stellarumque fulgoribus rutilare, solem puniceis invectum iugalibus crines per orbem radiantes effundere, quem bissenis incumbens mensibus redivivus annus inde persequitur, tempora sertis ac pampineis cincta redimiculis comitantur, dies quoque volubiles et horae volubiliores antecedunt. Cernimus etiam pelagus colore purpureo venustatum, quod placidis et amicis excitatum semper fluctibus non ferire germanam terram creditur, sed amplecti, cuius multiformes pisces vagique delphini per aequora madida undosaque saltatus innocentes exercent. Camporum quin etiam laeta virentium specie delectamur, ex quibus odor gratissimus florem suavitatis exhalans oculos simul pascit et animum. Nemorumque nobis et fontium opaca scilicet arridet amoenitas, quam variae simul alites musicis concentibus personantes melos dulces componunt. Haec sunt naturae spectacula, quae et imitari difficile est et refutare culpabile. Nos mercandi gratia pontum classibus non sulcamus nec sub alio iacentes sole provincias fastidio terrae alterius expetimus, quod tam commeantibus saeva pericula, quam solet perfectis magna miracula praebere. Nunquam nos peregrina species ardore suae pulchritudinis inflammavit, quibus nihil decentius esse creditur quam visio propriorum. Nec famulos nos sibi faciet multis casibus opum devincta materies, quos liberos edidit absoluta pauperies. Nos artem bene loquendi non

1 rutilare] radiare *P.* puniceis] pumicis *L.* 4 sertis *Schlee.* septies *L. P.* species *V. R.* septa *B.* speciosa *Rieb.* uvis (= VVIT) *Keil.* 5 cincta] cuncta *V. R.* 6 cernimus] certamus *P. B.* 7 venustatum] venustare *B.* 8 fluctibus] fructibus *L.* 10 per aequora *etc. R.* aequoreas (aequoris *B. om. V.*) madidas undas atque saltatus (saltus *L. V. B.*) innocenter *cet.* 13 florem *B. V.* flores *P. R.* florum suavitans *L.* 14 fontium] frondium *V.* 16 dulce *L.* 17 sunt *om. L.* 20 fastigio *L.* 21 quod tamen *V.* quae commeantibus tam saeva pericula praebeat *B.* 22 quam — miracula *om. V. B.* 23 ardorum *L.* 25 propriorum *L.* propiorum *cet.* 26 devincta *V. R.* devicta *cet.*

discimus neque facundiae rhetorum oratorumque damus operam, cuius officium est phaleratis sermonibus figmentare mendacia et innocentiae fidem conferre criminibus ac parricidii reos assignare piissimos. Qui dum putant se alienae laudis fructum per iniquam victoriam rapuisse, nesciunt se munimentum suae conscientiae perdidisse. Simplex apud nos eloquentia communisque cum omnibus, solum praecipiens non mentiri. Philosophorum scholas minime frequentamus, quorum doctrina discordia, nihil stabile certumque definiens, semper sequentibus placita priora rescindentibus, quorum una pars bonum in honestate, alia in voluptate constituit, et quod asserunt, unde ipsi scire potuerunt, demonstrare non possunt, sed audent opinionibus ambiguis non comperta firmare. Nostra philosophia expedita est, quae iuvare non nisi iuste novit, nocere nec iniuste, nec aliis inferendum censet, quod nobis maerorem generat, cum infertur. In honorem divinum pecudes innocuas non mactamus nec delubra metallis argenteis incrustata fundamus nec altaria auro et gemmis splendentia dedicamus. Quae si ut non habenti deo largiaris, superiorem te asseris, si ut habenti, parem, quod utrumvis feceris, contumelia est. Nam quisquis caelestia pretiis invitat, offendit. Non suscipit deus sacra sanguinea, cultum diligit incruentum, spernit funesta libamina, verbo propitiatur orantibus: quod solum ei commercium cum homine est

2 falleratis *L.* 5 alienam laudem *P.* fructum *V.R.* factum *B.* *om.* *L.P.* 6 se *P.R.* *om.* *cet.* 7 loquentia *R.* eloquentia est *P.B.* 8 cum *om.* *B.* solum praecipiens *om.* *B.* 10 discordia *P.B.* discordiam *L.* discors *R.* *om.* *V.* 11 rescindentibus *B.* scindentibus *cet.* 13 potuerant *L.* potuerint *R.* 15 expedita *R.* exdita *L* edita *B.* ex deitate *P.* *om* *V.* 17 inferendum censet *V.* inferre dum censet *R.* inferre dum cesset *L.* inferre dulce est *B.* inferre quod nocet et *P.* 18 maerorem] memorem *L.P.* 20 nec] ne *L.* 22 si ut *R.* sicut *L.P.* si *B.* *in* *V.* *omnia turbata.* 23 utrumvis] vis *erasum* *L.* 26 verba *L.* ab orantibus *R.* 27 commercium *R.* *om.* *cet.*

suaque nimis similitudine delectatur. Nam verbum deus est, hoc mundum creavit, hoc regit atque alit omnia, hoc nos veneramur, hoc diligimus, ex hoc spiritum trahimus, siquidem ipse deus spiritus atque mens est. Atque ideo non terrenis divitiis nec largitate munifica, sed religiosis operibus et gratiarum actione placatur. Quapropter nimium excordes vos et miserabiles iudicamus, qui originem vestram non suscipitis esse caelestem magnamque cum deo habere cognationem, sed splendorem generis vestri rebus vilissimis obfuscatis, quippe quibus maxima voluptas in carne est. Hanc fovetis, hanc colitis, hanc amatis, cuius est et contrectatio viventis incesta et contagio morientis horrenda, in cuius usibus elementa vexantur et mundus exhibendis laborat obsequiis. Et quod est vehementius, audetis etiam deum caesis carnibus expiare cultumque religionis non uni, qui solus est, sed plurimis, qui non habentur, exsolvitis, et in hoc scilicet a carne decepti. Nam hominem mundum esse parvum dicitis, et sicut in eo multiplicata sunt membra disposita, ita varios deos fingitis in caelo consistere, quorum unicuique diversas partes vestri corporis deputatis, et familiares singulis victimas immolatis et vocabula illis exquisita tribuistis asserentes Minervam capitis arcem utpote sapientiam tenere, Iunonem iracundiae praesidentem praecordia possidere, Martem

2 est *om.* *L.* 5 mensem *L.* est *om.* *L.* sic quidem ipse deus spiritus sanctus ex patre et filio procedit atque ideo *V.* in terrenis *R.* 6 munifica] munerum *R.* 8 mirabiles *B.* 10 cogitationem *L.* rebus] opibus *V.* 13 cuius est et contrectatio viventis incesta et contagio morientis horrenda (incesta *et* horrenda *in rasura*) *V.* cuius et contrectatio viventis (vivendis *L.*) horrenda est et contagio morientis incesta *cet.* 14 elementa *B.* emolumenta *cet.* 17 solus est deus *V.* 20 dicitis *V. B.* dicimus *L. P. R.* 21 item alios *B.* 22 diversas *L.* divisas *cet.* 23 deputastis *R.* familiares *R.* familiariis *L.* familiarius *cet.* victimis *L.* immolastis *R.* 24 illi *L.* 26 praesidem *R.* possidere] tenere *B.*

bellorum praesidem pectora vulneribus apta distinguere, Mercurium facundiae repertorem linguae ianuas subsidere, Herculem lacertos sibi utpote pugilem vindicasse, Cupidinem iecoris secretarium coercere, Bacchum ebrietatis auctorem cellaria gutturis obtinere, Cererem frumenti datricem horrea ventris incolere, Venerem matrem libidinis femorum occupasse cubicula, Iovem quasi aëreum spiritum in naribus habere praetorium, Apollinem medicinae ac musicae praeceptorem palmarum habitacula possidere, tantaque hominis fabrica diis, quos dicitis, vestris dominando contraditur nulla parte corporei domicilii vestris sedibus reservata. Qui tamen nec gratiam vobis debitam ut liberis hospitibus referunt, sed ut inquilinis obnoxiis solvendum vectigal imponunt, atque alius alia tributa proflagitat. Itaque Marti aper caeditur, Baccho dicatur hircus, Iunoni pavo mactatur, Iovi taurus ducitur, Apollini cygnus offertur, Veneri columba decernitur, Minervae noctua consecratur, Cereri farra libantur, Mercurio mella panduntur, aras Herculeas populea corona circumdat, fanum Cupidinis rosea serta condecorant, nec patiuntur si necessitas

1 praesulem *R.* vulneris *L.* 2 ianuis *P.* ianuam *V.* obsidere *R.* possidere *V.* 3 et utpote *L.V.* puliginem *L.* forte numen *V.* 7 cubicula *L.P.* cubilia *cet.* 9 praetoria *R.* praeconem *L.P.* 10 tantaque — contraditur *om. V.* et totam hominis fabricam diis quos dicitis vestris donando quantum traditur nullam partem corporei domicilii vestris sedibus reservastis *R.* 12 contraditur *L.* contraditis *P.* contradicitur *B.* 13 *post* 'reservata' *pergit V.*: ipsosque deos, quos fabricatis, vobis creditis suffragari. 15 alius *L.B.* aliis *P.* alios *R.* 16 proflagitat *B.* profligat *L.P.R.* *in V. ita*: imponunt. diversisque diis diversa libamina diversaque auguria atque diversa tributa imponunt. et ideo marcia bella ac homicidia adulteriaque ac furta omniaque mala vobis eveniunt, ut est illud: bacho ducitur hyrcus *etc.* 18 ducitur] dicatur *B.* 21 populea corona circumdant *L.* circumdat *P.B.R.* populeae coronae circumdant *V.* 22 serta *om. L.* decorant *R.* coronant *V.*

exegerit, commune sibi pulvinar offerri, sed unusquisque deus proprios flamines et sorte sibi datum munus assequitur, si tamen dii appellandi sunt, quibus potestas nisi in certis sibimet offerendis animalibus non est data. Digna vota vel potius digna tormenta vestris erroribus exhibetis. Re enim vera non opitulatores deos, sed carnifices teterrimos invocatis, qui viscera vestra suppliciorum diversitate discerpant. Necesse est enim in corpore vestro tot poenas constitutas esse, quot dii sunt, dum singuli suis vos cogunt inservire ludibriis. Unus trahit ad bellum, alter eundem ducit ad luxum, ille lucrandi causas hortatur inquiri, hic desiderium suggerit epulandi. Omnes imperant, exigunt, urgent, spatium quiescendi nullus indulget, et hoc modo sensibus vestris latendi seductione sopitis miserum corpus obstrictum in officia numerosa marcescit. Atque ita fit, ut malorum vestrorum semina, dum per socordiam non valetis abicere, colatis ut numina. Et sane miror vos, cum sitis cupidi opum et avaritiae studiosi, frustra tot diis esse munificos, praesertim omnia exsecranda iubentibus; qui si vos sacrificantes exaudierint, conscientiae vestrae damna contrahitis, si non exaudierint, facultatum. Ergo sive irati, sive propitiati fuerint, semper nocent. Hae sunt illae Furiae, scelerum vindices, haec illa cruciamenta Tartarea poetarum vestrorum carminibus decantata, quae vos velut iam mortuos propter impiam profanamque superstitionem atque contemptum verae religionis excruciant. Etenim si miserias vestras volueritis intentius intueri, nihil inaniter relatum de

1 exigerit *P.R.* exigent *L.* exigit *V.* exigat *B.* offerri *V.B.* offerre *cet.* 6 opitulares *L.* 8 discrepant *L.P.* 12 causa *B.* 15 latenti *R.* 16 corpus *om. L.P.* obstrictum *B.* obstructum *L.V.R.* misera obstructio *P.* 19 cum *V.* quia cum *L.P.R.* qui cum *B.* 21 quia *R.* 23 trahitis *B.* 24 propitii *R.* 25 hi illi cruciatus tartarei *B.* 26 decantati, qui *B.* 29 volueris *L.*

Inferis invenietis. Omnia enim, quaecunque finguntur apud vos esse simulacra, vos estis. Eumenides sunt foedissimae cogitationes, Tisiphone prava conscientia, Umbrae exsangues vestra corpora mentis sanitate carentia; poenae Inferni sunt curarum pro delicti continuitate vigiliae; Tantalus est inexplebilis semperque sitiens cupiditatis aviditas, Cerberus mala ventris edacitas, cui quia non sufficit unum nostrum, terna ora collata sunt; Hydrae sunt vitiorum post satietatem renascentium foeditates; Viperina corona est actuum sordidorum squalor horribilis; Pluto est animus humani corporis rector ignavus, qui quoniam caelestibus bonis ultro caruit, merito sedibus damnatus est Inferni; Pallentes sunt dii, quos sine ratione colitis. O vos felicissimos, quorum et religio crimen est et vita supplicium!

Responsio Alexandri.

Si haec ita sunt, ut asseris, o Dindime, soli, quantum video, Bragmani hominum numero non tenentur solique exsortes corporeae creduntur esse substantiae, qui vitiis omnibus carere dicuntur, qui concessis naturae voluptatibus non utuntur, qui scelus putant esse, quod nascimur, qui nefas existimant omne, quod agimus, qui beneficia elementorum depensa mortalibus molesta pro necessariis iudicant, qui artium diversarum ministeria scelerata pronuntiant, qui omnino destruunt iura vivendi et aut deos se esse

1 invenietis *V.B.* invenitis *cet.* 3 Thesifone *L.* Persiphone *R.* 4 Umbrae exsangues *scripsi;* umbra exsanguis *Codd.* exsanguis vescitur vestra *R.* mentis] membris *L.* 5 inferni *L.P.* infernales *V.R.* infernae *B.* 6 Tantalus] Tartarus *R.* semperque] semper *L.P.* 10 foeditas *R.* 11 sordidorum] suorum *L.P.* Pluto est] Plutonem *L.* 13 ultro] ultor *L.P.* 14 Palantes *B.* 15 infelicissimos *P.*

19 non *P. om. cet.* 22 a natura *R.* 24 elementorum *scripsi;* emolumentorum *Codd.* 26 ministerium scelera *R.* omnino] omni modo *L.* 27 iure *L.* et *om. L.R.* se *om. L.B.*

profitentur aut invidere deo, cuius tam pulcherrimam vituperant creaturam. Haec iudicio meo dementiae potius quam philosophiae adnumeranda sunt.

Altera responsio Dindimi.

Nos, inquit Dindimus, non sumus incolae huius mundi, sed advenae, nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat consistere, sed transire. Properamus enim ad Larem patrium nullis delictorum ponderibus degravati nec in aliquibus illecebrarum tabernaculis commorantes nec flagitiorum cauponibus obligati. Nihil enim indecorum poena contegimus, nulla cupiditatum furta provectibus occultamus, quippe qui nuda conscientiae fronte progredimur, ut expediti ac faciles spatium propositi decurramus itineris. Deos autem nos esse non dicimus, nec immensitati coelestis operis, ut insimulas, invidiose detrahimus, sed asserimus bonitate nos dei non male uti. Nec omnia licere seu decere firmamus, sed ea, quae voluntas sibi vindicat honestate, plerumque rogamus admittere. Deus enim rerum conditor varias species formavit in mundo, quia nullatenus poterat sine earum diversitate subsistere, quarum usum humano permisit arbitrio discernendum. Quisquis ergo deterioribus omissis meliora sectatur,

1 profitentur] non profitentur *B.* invident *Bissaeus.* 9 praegravati *P.* in *R. om. cet.* 11 enim *om. B.* indecorum *R.* inde eorum *cet.* poena *L.* pene *cet.* contegimus *L. P.* contingimus *R.* contigimus *B.* 12 proventibus *R.* sub vestibus *Bissaeus.* nudi *B.* 13 ut *L. R.* et *P. B.* 14 decurrimus *P. B.* 15 nos] non *B.* coelesti *L.* 16 invidiose] invidia *B.* 17 non *om. R.* non male non *L.* nec] non *L.* 18 seu *scripsi;* se *L.* sed *P.* scimus sed *V.* et *B.* dicere *B.* 19 admittere *Bissaeus.* ammittere *L.* amittere *cet.* 21 quia — subsistere *om. B.* 22 humanum praemisit arbitrium *L.* 23 omissis *R. B.* omnis *L.* abiectis *P.*

non ipse quidem deus est, sed dei amicus efficitur. Cur autem, quaeso, visum est tibi nos continenter et pie viventes dicere deos esse vel certe invidere deo, siquidem iustius in vos cadit ista suspicio? Nam cum superbiam vestram nimiae felicitatis tumor inflaverit, obliti quod ex hominibus estis, firmatis deum non curare de mortalibus. Vobismet ipsis templa fundatis atque aras erigitis et immolationibus pecudum laetamini vos invocari. Hoc patri videlicet, hoc avo tuo cunctisque parentibus certum est fieri; hoc etiam tibi pyramidum forsitan promittit exstructio. Quapropter furiosos verius vos esse dixerim, qui quod agitis ignoratis, aut si deum scientes contemnitis, sacrilegii reatu tenemini. Cum ergo caecitatis vestrae tenebras recte cernentibus applicatis et animum nostrum tali convicio sauciatis, non sinitis, ut miseriis vestris lacrimas saltem, quod est extremum munus pereuntium, dependamus. Valde enim lamentandi estis, quibus inexpiabiles pro divinitatis iniuria poenae praeparantur, quarum certissimum documentum est Salmonei iusta damnatio, qui fulgorem superni luminis aemulatus, quod imitabatur, expertus est, vel Enceladi sepultura, qui *quia* violentis ausibus aggredi coelum manibus voluit, premitur tumulo montis igniti. Talibus remuneratur honoribus, qui se non agnoscunt esse mortales.

1 dei] deus *L.* 3 deos esse] diis *B.* 4 iustius *B.* istius *L. P.* *om. R.* 6 oblitique *B.* non *om. L. P.* 7 de *om. L. P.* 9 invocari *R.* vocari *cet.* tuo *R.* *om. cet.* 11 promittit *R. B.* praemittit *L.* permittit *P.* exstructio *R.* instructio *cet.* 12 verius *om. B.* 14 teneamini *P. B.* cur *P.* 16 convicio] supplicio *R.* sauciantes *L.* 18 depensamus *L.* depandamus *R.* 19 inexpiabile *L.* inexplicabilis *P.* divinitate iniuriae *R.* poenae *om. L.* poena praeparatur *P.* 22 vel *om. R.* 23 qui *R. B.* quae *L. P.* quia *scripsi;* dum *B.* *om. cet.* 24 manibus *om. R.* premitur] praemittitur *L.* 25 agnoscant *R.* cognoscunt *P.*

Altera responsio Alexandri.

Tu nunc ideo te dicis beatum, o Dindime, quia in ea mundi parte sedem vobis natura constituit, in qua nec accessus advenis nec exitus aperitur indigenis, sed excubiis oppositae difficultatis obsessi, quoniam vitare non valetis, vestram patriam laudatis et, quod damnationis causa patimini, continentiae studio meruisse vos iactatis. Itaque secundum vestram sententiam et illi beati dicendi sunt, qui perpetuis innexi vinculis et diuturno squalore marcentes vitam poenalem sibi consenescentem producunt. Neque enim discrepat ab eis vestra philosophia. Nam vobis ita bonorum usus interdictus est, ut illis. Cruciatus, quos criminosis apud nos iura sanxerunt, vobis lex naturalis adhibuit, et praecepta, quae vobis continentiae vestrae necessitas dedit, illis carcer instituit. Ita fit, ut qui a vobis philosophi vocantur, rei pronuntientur a nobis. Et sane convenit vestras miserias potius vos lugere proque tantis malis trahere profunda suspiria. Quid enim afflictius, quid calamitosius homine, cui libere vivendi negata potestas est? Interim liquet, quid de vestris moribus deus auctor praesenserit, quos noluit Tartareis post obitum reservare suppliciis, sed vivos perferre statuit inopiam mortuorum, quam vos philosophiae vocabulo falso concinnatis. Nec tamen ex hoc aliquis vobis fructus laudis acquiritur. Nullum enim virtutis meritum est id nancisci, quod mutare

2 Tu nunc] tunc *L.* te *R.B.* me *L.P.* 4 aperit *L.* 5 apposite *L.* quoniam *L.R.* quam *P.B.* 8 vos *om. L.B.* 12 ita] item *B.* 13 est ut illis *B.* utilis est *cet.* cruciatibus *B.* quos *L.B.* que *P.* quod *R.* 17 pronuntiantur *R.* 18 vos] nos *R.* 19 proque earum *R.* 20 Quid enim *R.* quid *L.B.* quod *P.* 21 Interim liquet *R.* interim *L.P.* arbiter inquam *B.* 24 vivis *L.* inopiam] supplicia *L.* 25 concinnantes *R.* 26 acquiritur *P.* exquiritur *cet.* 27 nancisci *R.B.* nasci *L.P.*

non poteris, nec gloria dicenda est, quam sibi quisque non dederit. Verius ergo non beatitudinis, sed castigationis esse confirmo, quod vivitis. Et si placet, institutionum vestrarum partes singulas percurramus.

Nec habere Bragmanos consuetudinem semina mandare telluri nec arbores vitibus decorare nec plantariis arborum nuda vestire camporum nec aedificia pulchra constituere, harum rerum manifesta ratio est, quod ferri metallum vobis indignatio naturae non praebuit, quo cuncta, quae numeravimus, excoluntur. Aliunde autem assumere negotiatione navigii non potestis atque ideo vos necesse est herbis palmitibusque depastos vitam horribilem pecorum more transigere. Aut non idem lupi faciunt, quibus cum carnem praeda non suggerit, terreno cibo rabiem famis coguntur explere? Quod si liceret vos in nostras migrare terras, profecto philosophia vestrae penuriae nullatenus requireretur, sed in suis deserta finibus inhaereret; aut si nos in vestras sedes transire possemus, sapientes inopes redderemur. Quem exulem non statim comitatur continentia? quae si venit ex arbitrio, virtus est, si ex imperio, poena. Ergo non in angustiis et egestate, sed in opulentia temperanter vixisse laudandum est. Alioquin caecitas et paupertas solae virtutum gloriam sortiuntur, ista quia non habet, quo fruatur, illa, quia non videt, ut cupiat. Feminarum igitur ve-

1 poteritis *R.* nec gloria *P.* sed gloria *L. R.* sed nec gloria *B.* 2 non *om. R.* 3 affirmo *B.* 5 Nec] non *R.* 6 mandere terrae *R.* 7 arborum *om. R.* vestiri *B.* 9 ferrum et metallum *B.* 11 autem] enim *L.* negotiatione *Bissaeus.* negotiationem *codd.* poteritis *R.* 12 vobis *R.* 13 depastis *B.* more *om. L.* 14 cum *om. L.* 16 vos *om. R.* vobis *Bissaeus.* 17 philosophiae vestrae penuria *B.* 19 sapientia *R.* 20 redderemus *P. B.* quem] quo *P.* 22 imperio] penuria *P.* in *om. P. R.* 23 temperate *R.* 24 solae *R.* solam *L. P.* sola *B.* 25 ista quia *etc. R.* ista — fruatur *om. L.* illa quia non videt, ista quia non habet, ut cupiat *B.* illa quia non videt, ut cupiat, ista quia necessariis vitae sustentaculis caret *P.*

strarum nullus, ut asseris, decor augetur ornatibus: assentior, quippe nec ars officium nec materia ulla suppeditat. Nemo apud vos incestus vel adulterii inflammatur ardore: miranda res esset, si proprio, non necessitatis iudicio viveretis, si animum vestrum ab illicitis amoribus pudicitiae contemplatio, non deformitatis arceret aspectio, si castitas non coactis indicta ieiuniis testimonium voluntatis eriperet. Etenim nulla saevior potest mortalibus pestis evenire, quam haec res, quae quidem non desideria libidinis solet de sensibus humanis auferre, sed factum, id est non mentem ab scelere prohibere, sed corpus ab opere, non reprimere iubentis imperium, sed tollere famulantis obsequium. Manet igitur causa peccati, cum vel praesto [*est cupiditas noxae, quam is solus effugit, qui*] etiamsi posset, non subiret. Dicitis leges vos et iudicia non habere, litteris non studere, misericordiam neque petere neque tribuere. Omnia haec cum beluis constat vos habere communia, quibus ut facultas sentiendi non suppetit, ita voluntas fruendi sublata est. Rationibus nobis, id est rationalibus hominibus, qui nullius inediae lege perstringimur, qui ad bene vivendum libero incitamur arbitrio, ut voluntariam continentiam digna remuneratio consequatur, dedit multas natura blanditias, quas plerumque virtus sopitas cohibet. Impossibile est enim, ut tantam mundi magnitudinem

1 nullis *R.* ornantibus *L.* 2 assentio *R.* assensio *P.* assessio *L.* quippe] enim *P.* ars nec officium *P.* offucium *Bissaeus.* 3 incestus *L.R.* incesto *P.* incestivo *B.* adulterii *L.R.* adulterio *P.* adulterino *B.* 4 ardore *om. P.* res dei esset *R.* 6 inlicitos *L.* 7 indicta *P.R.* indicata *L.* sed indicatis *B.* 8 voluptatis *L.* 10 libidinis *L.R.* huiusmodi *P.B.* 13 imperio *L.* 15 *verba uncis inclusa addidit Rieberer.* 16 vos *om. L.* 18 cum] enim *B.* beluis *R.* melius *L.P.* mortuis *B.* 19 seniendi *B.* 20 rationalibus *R.* 21 rationabilis *L.* 22 perstringimus *L.* 23 instigamur *B.* 25 sopitas *scripsi;*. sospitas *P.* sopita *L.B.* fortior *R.* inhibet *B.*

non alicuius temperamenti moderatio gubernans faceret tristibus laeta succedere, siquidem variis casibus voluntas humana et mortalium mens ipsa diversa sit ac pro vicissitudine temporum motibus causarum semper aptatur. Animorum quin etiam species cum coeli mutatione vertuntur et liquido quidem die nitent, coacta vero nube fatiscunt. Ipsorum quoque sensuum ratio non minus instabilis videtur esse, quam multiplex, et non solum rebus, sed etiam aetatibus immutatur. Hinc est, quod simplicitate gaudet infantia, temeritate iuventus exsultat, canities imbecillitate tardatur. Quis enim aut audaciam astutiamque requirit in puero aut in adolescente constantiam aut mobilitatem poscit in vetulo? Multa sunt, quae visui nostro, alia quae auditui, nonnulla quae odori vel tactui vel sapori voluptuosa succurrunt, quibus aerumnarum, quas ex labore contrahimus, mulceatur asperitas, et ita modo saltationibus, modo cantibus oblectamur, nonnumquam etiam suavitate odoris vel gustu dulcedinis aut contactus blanda mollitie refovemur. Quorum omnium nobis suggerunt elementa materiam, quae etiam vitae nostrae creduntur esse principia. Quorum permixtione contraria humani generis ita structura conditur, ut unumquodque suis partibus satisfaciens sub dispensatione nobis tribuat familiare subsidium, quo moles corporea sapienter fabricata

1 gubernaret et *B*. 5 semper *om*. *R*. raptatur *B*. aptat cogitationes *P*. animarum *L*. 6 die *om*. *R*. 7 fatescunt *L*. *P*. quoque sensuum] vero casuum *B*. 9 rebus] cum rerum qualitatibus *R*. cum aetatibus *R*. 12 Quid enim vel *L*. audaciam astutiamque *L*. astutiam *R*. audaciam *B*. scientiam *P*. 13 requirat *R*. constantiam] continentiam *L*. 14 poscat *P*. *R*. 15 odori] odoratui *B*. 16 actui *L*. *P*. 18 salutationibus *L*. 19 etiam *om*. *B*. 20 contractus *R*. blanda — 23 permixtione *om*. *B*. 22 credentur *P*. 23 praemixtione *R*. humani generis *om*. *L*. *P*. ita *R*. *om*. *cet*. 24 ut *R*. et *cet*. 25 tribuit *B*. familias *L*. familiaritatis *P*.

consistat. Sic ergo fructus nobis seminum ministratur e terra, copiae piscium conferuntur e mari, avium catervae largiuntur ex aëre. His si tu utendo volueris abstinere, aut superbiae notaberis, quia donata repudias, aut invidiae, quod a meliore praestentur.

1 Si ergo *L. P.* ministrantur *R.* monstratur *B.* 2 efferuntur *B.* 3 caterva largiatur *L.* si tu utendo *R.* si tuendo *L. P.* si tu spernendo *B.* 5 quod a meliore *R.* quod a meliori *B.* quodam meliora *L.* quod dante meliora *P.* praestantur *L.* praestatur *R.*

EPISTOLA ALEXANDRI MACEDONIS AD ARISTOTELEM MAGISTRUM SUUM DE ITINERE SUO ET DE SITU INDIAE.

Semper memor tui etiam inter dubia bellorumque nostrorum pericula, carissime praeceptor ac secundum matrem meam sororesque meas acceptissime, et quoniam te deditum philosophiae noveram, scribendum tibi de regionibus Indiae ac de statu coeli innumerisque serpentium et hominum ferarumque generibus existimavi, ut aliquid per novarum rerum agnitionem studio et ingenio possit accedere. Quamquam in te consummata prudentia nullumque adiutorium expostulet ratio doctrinae, quae a te tuoque saeculo ac futuris temporibus conveniat, tamen, ut mea gesta cognosceres, quae diligis, et ne quid inusitatum haberes, ea quae in India vidi per summos labores ac pericula Macedonum, scribenda tibi putavi. Etenim sunt digna memoriae singula ac multis modis coacervata, quem ad modum inspexi; non credideram

L. = Cod. Leid. Voss. Q. 20. membr. saec. IX. G. = Cod. Guelferbytanus Aug. 56, 16. membr. 8°. saec. X. B. = Cod. Paris. 8518. membr. 8°. saec. X vel XI. M. = Cod. Leid. Voss. Q. 29. membr. saec. X. ω. = consensus horum codicum L.G.B.M. V. = Cod. Vindobon. 150, olim Univ. 863. saec. XIII. C. = Cod. Paris. 17569. membr. 4°. saec. XII. P. = Cod. Paris. 4880. membr. fol. saec. XIII. H. = Cod. Leid. Nr. 20. membr. fol. saec. XII. — 8 regionibus *H.* generibus *ω.* regionibus *corr. ex* generibus *G.* 12 consummata sit *V.* 15 inusitatum] invisitatum? 18 Etenim non *L.B.* memoria *V.*

cuiquam esse tot prodigia, nisi subiecta oculis meis ipse prius cuncta ponderavissem. Mira est terra, quantum aut bonarum rerum pariat aut malarum, contemplatrix et pariens publica figurarum ac fructuum, metallorumque atque animalium. Quae si omnia liceat intueri homini, vix suffectura tot varietatibus rerum ipsa crediderim nomina. Sed ego de his, quae primum cognovi, eloquar daturus operam, ne aut fabula aut turpi mendacio dignus efficiar. Etiam naturam animi mei, cum fueris praeceptor, non ignoras, solere me terminum aequitatis custodire et parcius omnia, quam gesta sunt, loqui. Et nunc spero, quod cognoscis nihil me tamquam captantem iactantemque gloriam militiae nostrae asserere. Quae utinam minus laboriosa nobis nec tot rebus experimentata necesse esset cognoscere. Ago gratias Macedonum iuvenum virtuti et invicto exercitui nostro, qui in mea patientia perseveraverunt, ut rex regum appellarer. Quo tibi meo titulo misso laetari te, carissime praeceptor, si dubito, delinquo, et a mea tuaque pietate aberro, nisi tibi, ut Olympiadi, matri meae, sororibusque meis de singulis regni•mei commodis scribam; quae tibi et illis communia esse arbitrator, idque nisi feceris, [non] parum de nobis simpliciter iudicare videris.

Prioribus litteris significaveram tibi de solis lunaeque eclipsi et de constantia siderum aërisque indiciis, quae omnia non sine magna cura ordinata tibi misi, et has novas implicaturus historias omnia cartis

1 cuiquam *H. P.* cuique *ω. V.* 2 ipse prius cuncta ponderavissem *H.* vidissem prius cuncta pondera (portenta *V.*) *ω. V.* mira] mirandum *H.* 3 contemplatrix et pereatrix *V.* contemplatrix existat et pariens *H.* 8 fabulae *L. M. H.* 12 quam] quae *L.* 14 minus fuissent *H.* 15 rebus *ω. V. C. H.* *corr. in* rerum *G.* experimentata *L. B. C.* [ta *erasum in C.*]. experimenta *G. M. V. H.* quae utinam minus laboriosa nobis fuisset, ne tot rerum experimenta nobis necesse esset cognoscere *P.* 19 titulo *H.* stilo *cet.* laetari te *V. G.* te *om. cet.* 23 arbitrator *Schlee;* arbitror *Codd.* idque — videris *om. P.* non *delevi.*

commendabo. Quae cum legis, scito esse talia, quae curam Alexandri tui complecti decuerunt.

Mense Maio rege Persarum Dario apud Gangem amnem superato acceptaque in dicionem omni eius regione ordinarios praeparatoresque nostros praeposuimus orientis provinciis multisque opibus ditati, ut in priori tibi epistola significaveram, — et ne sim multiplex, nunc priora facta iam praecognita praetereo — mense Iulio deficiente in Indiam Phasiacen pervenimus, ubi mira celeritate Poro rege devicto ingentibus divitiis regia gaza repleti sumus.

Quaedam *addam* novi, quia memorabile et aequum visum est describere de inumerabili exercitu eius, in quo fuere praeter peditum copias quattuordecim milia equitum, octingentae quadrigae, omnes falcatae, captis quadringentis elephantis, qui superpositas cum armatis iaculatoribusque turres gestaverant. Ipsam regiam urbem Pori domumque armis invasimus, in qua columnas aureas solidasque ingenti crassitudine atque altitudine cum suis capitellis admodum triginta numeravimus, auratosque parietes laminarum digitalium crassitudine. Quos cum visere vellem, aliquibus

2 curam *scripsi.* cura *codd.* decuerunt] debuerunt *G.* 4 acceptaque in ditione omni eius regione *G.* in *con*dicionem *H.* ditione (*om.* in) *V.* acceptamque in dicione (indictione *L.*) omnem (omne *B.*) eius regionem *L.M.B.* 5 properatoresque *L.* proposuimus *L.H.* 6 multis *H.* 7 sim scribendo multiplex *H.* 10 potiti ingentibus *V.H.* 11 regiam gazam *L.* simus *L.* 12 addam *addidit Schlee.* quaedam novi, quia *ω.* quaedam nova quia *C.* quaedam autem, quae novi *V. om. P.* visumque est mihi aequum et memorabile describere *P.* repleti sumus. Sed ut cognoscas ea, quoniam mihi memoria digna esse videbantur, quaedam enim novi, quae memorabilia fuerunt, aequum est visum mihi scribere *H.* 14 quattuordecim *ω.* $\overline{XVI}$. *H.* 15 equitum *H.P. om. cet.* captis] exceptis *V. om. P.* 16 qui superpositas cum armatis iaculatoribus turres gestaverant *H.* qui superpositi cum armatis iaculatoribus (iaculatoribusque *L.B.*) qui turres gestaverant *ω.* qui superpositis iaculatoribus armatas turres gestabant *V.* 20 triginta] quadringentas *H.* 22 visere] estimare *H.*

locis intercidi. Vineam quoque solidam auro sarmentoque inter columnas pendentem miratus sum. In qua folia aurea fuerunt racemique crystallini, qui et lychnidibus erant interpositi distinguentibus smaragdis. Thalami quoque atque cubilia omnia margaritis, unionibus et carbunculis ornata erant; fores quoque eburneae miri candoris fuerunt, et ebenina lacunaria nitebant, et .. testudinibus cypresseis, quibus lavari ut in insigni loco et in balnearibus erant soliti. Aureae quoque solidae cum crateribus aureis statuae et innumeri thesauri. Foris in domus parietibus avium innumerabilia genera variis coloribus oberraverunt inter aureas platanos unguibus rostrisque inauratis, pro inauribus torquibusque margaritas et uniones gerentia. Multa gemmea et crystallina, quae potaria fuerunt et sextariola, multa aurea invenimus et rara argentea.

Quibus in potestatem redactis interiorem Indiam perspicere cupiens cum universo Caspias portas perveneram exercitu. Ubi cum fertilissimarum regionum admirarer felicitatem, quaedam gaudio digna cognoveram loca, quamquam praedixerunt incolae regionis eius, ne serpentes et rabida ferarum genera incideremus, quae plurima in illis vallibus et campis

1 intercidi] interscidi *Edit. Basil.* argentoque *H.* sarmentoque *ω.V.* 3 qui *V.C.* quae *ω.* 4 et *om. B.* lychnidibus *scripsi.* licnis *L.* lichnis *G.V.* lichinis *B.M.* cristallini ligis *H.* 6 exornata *H.* 7 fuerunt *om. H.* 8 in quibus *P.* 9 ut *C. om. cet.* 11 innumeri *V.H.* innumerae *L.G.M.C.* innumerabilia *B.* Fores *codd.* domus *B.M.C.P.* domos *L.* domo *G.* domum *V.* parietibus *P.* parietum *cet.* 12 avium *H.*
u in avium
(*sec. manu*). lapidum *C. om. cet.* Foreṣ ḍomus pariete //// innumerabilia *H.* (*corr. sec. manu*). oberraverant *L.B.V.* 13 aureas platanos *H.* aurea platanus *cet.* 15 cristallina electrinaque vasa potatoria *H.* 16 geportaria *L.* potalia *V.* 19 portas *om. L.G.M.* 21 quodam *H.* 22 praedixerant nobis *H.* 23 in serpentes *V.* incideremus *H.* incederemus *L.M.B.* inciderimus *alii.* 24 iis vallibus *H.*

silvisque ac montibus habitabant, nemorum aut saxorum latebris occultata. Sed ego, ut fugientem ex proelio regem Porum primum adsequerer, antequam in desertas orbis terrarum abiret solitudines, compendiosa quam tuta itinera magis eligere malui. Acceptis igitur centum quinquaginta ducibus, qui brevitates itinerum noverant, mense Augusto per ferventes sole harenas et egentia humoris loca profectus sum, pollicitus his praemia, qui nos periti regionum ducebant in ignota Indiae loca, si me incolumi cum exercitu in Bactriacen perduxissent penitus ad abditos Seres, quod genus hominum foliis arborum decerpendo lanuginem ex silvestri vellere vestes detexunt. Sed illi maiorem hosti quam mihi favorem accommodantes perficere pergebant, ut nos in exitiabilia serpentium et rabida beluarum ferarumque genera ignaros regionum inducerent, quod illos excogitasse ex ipsis experimentis patebat. Tum ego cernens ex mea parte id accidisse, qui utilia consilia spreveram amicorum pariter et Caspiorum hominum, qui praedixerant mihi, ne ita festinarem vincere, ne mihi ullo modo interveniente adimenda esset victoria, imperavi militibus meis omnibus, ut armis induti agmen sequerentur, praeterea cum auri ex rapina margaritarumque non parvam praedam veherent et timendum esset, ne occulto hostes sua ablaturi victoribus insidiarentur. Et sane miles ita locuples erat, ut vix ferre pondus auri posset. Accedebat quoque armorum non parva gra-

1 aut saxorum] saxorumque *H.* 4 abiret *H.* habires *L.* abirem *cet.* compendiosa *H.* tam compendiosa *cet.* 10 in] per *H.* incolumem *G.C.* 11 penitusque remotas ad abditos seres quae gens *H.* 12 hominum *P. om. cet.* 15 efficere *H.* 16 ferarum beluarum *H.* ignotos *H.* 17 quae *H.* excogitasse *C.P.* cogitasse *cet.* 20 praedixerunt *ω.* 21 ut nullo dolo interveniente mihi adempta esset *H.* 24 praeterea quoniam *H.* praeterea qui *B.V.* 25 et *om. H.P.* occulto *L.B.V.* occulti *G.* occulte *C.P.H.* 27 locupletatus *H.*

vitas, quia omnes ego aureis laminis incluseram. Ita totum agmen in eo veluti sidere aut fulgore clarum radiantibus auro insignibus sequebantur cum signis et vexillis. Eratque inter varietates spectaculum in conspiciendo tali exercitu, quia ornatu pariter ac viribus inter veteres gentes eminebat. Ego certe respiciens felicitatem meam insigni iuventutis numero immenso afficiebar gaudio. Sed ut aliquid plerumque in secundis rebus fortuna obstrepit, accidit nobis siti laborare. Quam cum iam vix sustineremus, miles Zephyrus inventam mihi in lapide concavo aquam galea pertulit; ipse sitiens, magis animae meae quam vitae suae consulebat. Quam ego convocato exercitu palam effudi, ne me bibente sitire miles inciperet, conlaudataque erga me Zephyri benivolentia dignis eum muneribus ornavi. Quae res cum animaequiorem fecisset exercitum, tum iam coeptum iter institui peragere.

Nec mihi longe post in desertis locis flumen apparuit, cuius ripam pedum sexagenum arundo vestiebat, pinorum abietumque robora vincens in crassitudine; qua Indi materia ad conficienda aedificia utebantur. Tum ego quoniam quadrupedia et exercitus sitiebant, iussi continuo castra componi a metatoribus. Quae dum ponuntur ipse sitim levare cupiens amariorem elleboro fluminis aquam gustavi, quam neque homo bibere nec ullum pecorum haurire sine tormento posset.

1 omnes] omnia *H.* ego] arma sua *P.* ego clyppeis *V.* incluseram] incluserant *B. P.* induxeram *C.* 2 in eo] me *H.* 3 sequebatur *L. H.* 5 talem exercitum *H.* 12 galea aurea protulit *H.* 13 vocato *H.* 14 magis sitire *H.* 15 conlaudansque Zeveri erga me benivolentiam *H.* 16 honoravi *H.* 17 tunc acceptum *ω.* tum iam *om. H.* 18 peragere *C. P. om. cet.* 19 post *om. ω. H.* 20 ripam *ω.* ripas *cet.* 21 in *om. H.* grossitudine *H. V.* 22 ad constituenda *H.* 24 poni *L. H.* 25 componuntur *C. P.* relevare *C. P.* 27 pecus *C. P.* potuit *H.*

Angebar autem magis pro mutis animalibus quam pro nostra necessitate, durabiliorem hominem cunctis in rebus cognoscens quam pecudem. Quippe mecum erant, qui aurum vehebant, elephantes ingentis magnitudinis admodum mille, quadringentae quadrigae equorum, omnes falcatae, bigae mille ducentae, equitum turmae triginta milia, peditum trecenta quinquaginta milia, mulorum castrensium subarmalia et sarcinas militum ad vehendas circiter duo milia, camelorum dromedum et boum duo milia, qui frumentum vehebant, et armentorum ad usum carnis cotidianae ingens numerus sequebatur. Ceterum in equis et in mulis et camelis et in elephantis aurea quoque frena luxus non parum nobis permiserat victoriarum. Sed tunc inasperata illa pecora vix se continere potuerunt. Milites quoque nunc ferramenta lambiendo, nunc oleum gustando diram sic aliquo modo differre sitim conabantur. Vidimus etiam plerosque pudore amisso suam ipsam urinam vexatos ultimis necessitatibus haurientes. Quae res me dupliciter torsit. Primo de statu exercitus magis quam de proprio meo sollicitus periculo... Iussi tamen ut armati sequerentur agmen, legemque indixi me in eum arma versurum, qui non legitimis inductus insignibus in acie deprehensus esset. Quod ipsi quoque mirabantur, quod ita ubi nullus appareret hostis, necesse esset in tanta siti armatos ingredi. Sed ego sciebam per bestiosa serpentiosaque loca

3 recognoscens *H.* mecum erant *om. H.* 4 elephanti *H.* 6 bigae vero *H.* 7 turmae XX milia, peditum ducenta quinquaginta duo milia, sub armis mulorum castrensium *H.* 10 dromorum *L.* dromedariorum *V.* dromedumque *H.* quae *H.* frumenta *L.H.P.* 14 parvum *L.* victoria *V.* victoriā *B.M.* 15 inspectata aqua ipsa pecora — poterant *V.* 16 lambendo *H.* 17 sic *om. H.* 21 sollicitus fui *H.* 22 legem *H.* 23 arma versurum *ω.* animadversurum *V.H.* 24 insignibus armis *C.P.* insignibusque armis *H.* 26 incedi *L.* incedere *P.*

nobis iter esse, ac ne imprudentes circumveniremur et ne inopinato periculo verberaremur, ideo haec imperavi.

Ripam igitur fluminis sequentes circiter hora diei nona ad oppidum pervenimus, quod in medio amne in insula ex his arundinibus, quas paulo ante descripsimus, erat aedificatum. Tum paucos Indorum seminudos notavimus homines, qui visis nobis continuo intra tectorum suorum culmina delituerunt. Quorum ego praesentiam desiderans, ut dulcem ignaris nobis aquam demonstrarent, apparente nullo paucas iaci in civitatem sagittas imperavi, ut si voluntate sua nollent ex ea procedere, metu belli coacti exhiberentur. Quanto magis cuncti propter timorem abditi; diu nemine apparente ducentos milites ex Macedonibus levibus armis misi per amnem nataturos. Iamque quartam partem fluminis enataverant, cum horrida res visu nobis subito conspecta est. Maiores elephantorum corporibus hippopotami inter profundos aquarum emersi apparuerunt gurgites raptosque in verticem crudeli poena viros flentibus nobis absumpserunt. Iratus tum ego ducibus, qui nos in insidias perduxerant, iubeo ex centum quinquaginta centum in flumen mitti. Quibus propulsis natantibusque invicti rursus hippopotami digna iustaque poena eos affecere, sed maior decemplicato numerus beluarum quam prius

1 iter esse, ne opposito periculo frangeremur ac ne imprudentes circumveniremur nec . . feriremur *H.* 2 ideo—imperavi *om. ω.H.V.* 4 circiter *C.P.* cum *ω.* ad horam diei octavam' *H.* 7 Tum paucos] paucosque *H.* 10 videre desiderans *H.* nobis *om. H.* 11 iaci *G.* ieci *L.B.M.C.P.* eici *V.* deici *H.* 13 ex ea *C.* eam *B.M.* *om. L.G.V.H.* producere. coacti *H.* 14 quanto *ω.V.* tunc tanto *C.P.* tanto *H.* 17 nataverant *H.* cum] tunc *H.* horrida *P.* humida *ω.C.* timida *V.* horrenda *H.* 18 visu *Ed. Basil.* visa *ω.V.C.* *in H. erasum.* *om. P.* 23 deduxerant *H.* ex his DC in flumen *H.* 24 invicti] praedicti *P.* 25 dignos iusta *H.* eos *P.* *om. cet.* 26 sed] si quidem *C.P.* explicatus *H.*

affuit. Ad spem subinde contingendi cibi cum apparerent, veluti formicae sub flumen efferbuere. Et ne qua noctu cum aquarum prodigiis bella gereremus, iussi tubicinio ad iter milites aptari. Quid enim manere in tali sitientibus nobis proderat loco?

Igitur ab hora diei decima cum ad undecimam horam iter fecissemus, vidimus homines per medium amnem factis arundinibus istis rotundis praetervehi naviculis. Quos cum dulcem aquam percunctaremur sua lingua ubi inveniri posset, dixerunt se ingens nobis dulcissimae aquae stagnum inventuros, quo et ipsi nos quinquaginta itinerum duces erant deducturi. Et quoniam facta sunt nobis tot instantia perpeti mala, nocte tota ambulavimus siti et armorum onere conflicti. Quibus necessitatibus illa quoque adiciebantur incommoda, quod tota nocte incursantibus leonibus ursisque et tigridibus, pardis ac lyncibus pariter resistebamus, quae genera ferarum promiscua nobis in silvis occurrebant. Tandem ad horam circiter octavam postera die, cum iam fere siti defecissemus, ad praedictum nobis stagnum pervenimus, quod erat circumdatum vetustissima abundantique silva mille tantum passus patens. Tunc ego potata aqua gaudio alacer pecora et impedimenta cum exercitu refeci. Mox cum lassa quadrupedia militum refecissem otio,

1 subinde] inde *H.* contingendi] contingentes *ω.* *corr. in* contingentis *G.* cum — efferbuere *om. P.* Quae cum *C.* ubi cum *H.* 2 formicae sub *scripsi;* formicibus *ω. V. C. P.* formice *H.* flumen *ω. V.* in flumine *C. P.* *om. H.* cepit effervere *V.* 3 ne qua *H.* nequaquam *ω.* quamquam *C. P.* cum *om. H.* 4 tubicino *vel* tibicino *ω. C. P.* signo bucinae *H.* 5 nobis *om. H.* 6 usque ad undecimam cum *H.* 8 ex arundine *H.* 9 dulcem aquam *G.* dulce aqua *L.* dulces aquas *M. H.* dulcis aqua *C.* dulcis aquae *B.* dulcis aquae causa *V.* 10 ingens nos stagnum dulcissimae aquae inventuros *H. P.* 15 conflicti *ω.* confecti *H.* afflicti *C. P.* 21 circumdatum] coronatum vetustissima circumdatumque habundanti silva *H.* 22 tantum] tamen *H.* 23 Tunc *C. P.* Tum *V.* Cum *ω.* Cum ergo ego *H.* dulci aqua *H.* 24 refeci. Mox cum] pariter et *H.* 25 otio] metiri *H.*

castra in longum viginti quinque stadia totidemque in latum collocare iussi. Quibus celeriter erectis iubeo caedi nemus, ut facilior aquatoribus esset accessus ad stagnum, quod unicum in illis regionibus erat. Igitur inter ipsa tentoria aggregabantur impedimenta et elephanti et in media castrorum parte collocabantur, ut aptius contineri possent, si quis nocturno tempore oriretur pavor tumultusque aliquis novus, cum mille quingenti ignes extrinsecus essent accensi, sufficiente silva quantum vellemus.

Hora deinde undecima testante bucina cibum ipse cepi et militibus meis capere imperavi, accensis lychnis aureis admodum duodecim milibus, cum ad primos lunae radiantes ortus subito erectis caudarum aculeis a pascualibus Indici scorpiones consuetam petentes aquationem ad castra innumeri confluxerunt, utrum tumultu acciti nostro an siti, incertum erat, ac si ad nocendum promptissima sunt. Haec prodigia insecuta est immensa vis cerastarum humidorumque serpentium variis distincta coloribus. Nam quaedam rubentibus squamis erant, quaedam nigri et candidi coloris, quaedam auri fulgori consimiles inspiciebantur. Sibilabat tota regio non parvum nobis inferentes metum. Sed frontem castrorum densaveram clipeis et in manibus longas habebamus hastas, quarum acutissimis spiculis malas pestes configebamus, et ignibus plures aliquando necabamus. Quae res nos prope duas horas in eo opere sollicitos tenuit. Potata aqua minores abire coeperunt, serpentes autem maiores cum ingenti nostro gaudio latebras petierunt.

1 viginti quinque] XXII *H.* 2 collocari *H.* 3 ad stagnum quod] ad flumen quia *H.* 5 aggerebantur *H.* 7 nocturnus casus *H.* 8 cum iam *H.* 11 et ipse *H.* 12 lychnis] lampadibus *H.* 13 duodecim] duobus *H.* 15 indici *G.* indicis *L.V.M.H.* indices *C.P.* 16 utrum *om.* *H.* 17 ac si *ω.V.* aut si *C.P.* sed *H.* 18 promptissimi erant *H.* 22 fulgori *G.M.H.* fulgoris *C.P.* colore *L.* 24 densabamus *H.*

Tum ad horam noctis tertiam aliquam nobis sperantibus requiem binorum ternorumque capitum cristati serpentes Indici venerunt columnarum crassitudine consimiles, aliquanto proceriores; ad potandam aquam ex vicinis montium speluncis processere oribus squamisque suis humum atterentes, quorum pectora erecta, et cum trisulcis linguis fauces exsertabant, scintillantibus oculis veneno, quorum halitus quoque erat pestifer. Cum his hora amplius una debellati sumus, amissisque triginta servis et viginti militibus. Orabamque Macedones, ne adversis casibus cederent neve deficerent animo, quamquam et ipsorum esset dura patientia. Omnes se officiebant operi. Post discessum autem serpentium cancri immodicae multitudinis venerunt crocodillorum pellibus contecti ad castra. Quae prodigia duritia thoracae ferrum respuebant. Multa ignibus usta, multa se in stagnum receperunt.

Iam nos vigiliis inquietos quinta noctis hora bucina monebat ad quiescendum. Sed affuere albi leones taurorum comparandi corporibus, qui cum ingenti murmure, concussis cervicibus, stantibus alte iubis in modum fulminum in nos impetum faciunt, exceptique ruunt venabulis. Tantus repentinus oriebatur tumultus cumulante caeca nocte. Nec minus apri ingentis formae acutis dentibus veluti vallo horrentibus metuendi, mixti maculosis lyncibus tigridibusque et horribilibus pantheris miscebant proelia, nulla iam peste

1 Tum *V.* Cum *cet.* 2 sperantibus habere *C.H.P.* 3 venerunt *om. H.* 4 ad potandum *L.B.G.* 7 et *om. H.V.* exerebant *H.* scintillantibusque *H.* 9 non amplius *H.* debellavimus *H.* 12 animo *om. H.* dura est *H.* 13 omnes — operi] quippe qui talem sustinuere laborem *V.* officiebant] afficiebant *H.* offerebant *P.* post serpentes cancri *H.* 16 thoracae] thoracis *C.P.* corii *V.* 17 multa—receperunt *om. H.* 20 corporibus] magnitudinibus *H.* qui *om. ω.* 21 stantibus *V.H.* stantes *cet.* 25 acutis dentibus *scripsi.* iactis dentibus *C.* dentibus *om. cet.* ictis *L.G.M.* ictus *B.* ictibus *V.* 27 miscebant *H.* miscebantur *cet.* nulli iam peste comparanda *H.*

se comparante. Sed et vespertilionum vis ingens columbis corpore aequales in ora vultusque nostros inferebantur. Habebant autem dentes in morem hominum, quibus artus militum violabant.

Una praeterea novi generis bestia maior elephante comparuit tribus armata in fronte cornibus, quam Indi appellare odontatyrannum soliti sunt, equo simile caput gerentem atri coloris. Nec potata aqua intuens castra subito impetum in nos dedit, nec ignis oppositis tardatur ardoribus. Ad quam sustinendam cum opposuissem Macedonum manum triginta sex occidit et quinquaginta tres calcatos inutiles fecit vixque ipsam defixam venabulis occidimus.

Ante lucanum deinde tempus de coelo pestes venere candido respersi colore in modum zonarum. Cum quibus mures Indici in castra pergebant, vulpibus similes. Quorum morsu vulnerata quadrupedia statim exspirabant, hominibus autem morsus non usque ad interitum nocebant.

Appropinquante luce nocticoraces venere aves vulturibus similes, quorum corpora in magnitudine superabant, colore divini, fulvo rostro pedibusque nigris. Totam stagni complevere ripam non nobis perniciem inferentes, sed solitos pisces cum ungulis detrahebant consumebantque. Quas nos aves neque fu-

1 columbinis corporibus *H.* 3 Habebant autem] habentes *H.V.* 6 comparuit] affuit *H.* 8 gerens *H.V.* Nec] hec *H.V.P.* intuens sed castra *ω.* *in V. ante* castra *rasura.* 9 oppositi *V.* ignium compositis *H.* 10 odoribus *ω.* 12 quinquaginta tres] duos et L *H.* 13 defixam] confossam *C.* vixque ipsa defixa est venabulis *H.* 14 de coelo pestes] quaedam animalia celopestes *H.* 15 respersi *C.P.* versi *ω.H.* (versae *V.*). zonarum] ranarum *H.* 17 animalia quadrupedia *H.* 18 autem] idem *H.* morsus eorum *C.* 21 quorum *Ed. Basil.* quae *C. om. cet.* corpora in magnitudine *ω.* corpore et magnitudine *V.* corporum magnitudine *C.* corporum immanitate *H.* 22 divini *om. L.C.* divo *V.* lividi *Steig.* 24 ferentes *ω.H.* solitos] sollicitos *L.* cum ungulis detrahebant *om. H.* 25 fugere *ω.* fugare *C.H.* neque fu-

gere neque abigere ausi fueramus, cum siccatis unguibus de conspectu nostro abiere. Tunc ego locorum demonstratores, qui nos semper in insidias deducebant, pessime meritos crurifragio puniri iussi, ut nocte vivi spirantesque a serpentibus consumerentur, ut nos consumi voluerant. Manus quoque eis confringi imperavi, ut merita pro factis suis luerent supplicia.

Habita deinde contione, ut fortes essent milites neve adversis ut feminae casibus afficerentur, castra concentu bucinae repente iussi proficisci ad Nothi venti spiracula tendens. Ubi collectis barbarorum Indorumque viribus *hostes* nova conspirantes bella cognovimus. Et militibus quidem meis ingentes erant animi, quibus et census et victoria suppeditabat et felicitas. Relictis ergo periculosis invisisque locis montium vix tandem iter calcavimus et in loca Bactrianorum auro divitiisque opulenta pervenimus. Benigniusque accepti a commeantibus, cum Persarum confinia adiacerent agri, in praeparando bello castra per dies triginta statui otio facto. Mox dierum septem itinere confecto pervenimus eo, ubi Porus cum collecto consederat exercitu, magis propria deditione quam proelio. Nam et commeatus nobis palam non ut hostis dedit potestatem cupiensque me nosse [et]

gare *om. V.* neque abigere *om. H.* 1 cum] cunctae vero *H.* tum *V.* 2 abiere *G.H.V.P.* abigere *L.* abicere *C.M.* 5 consumere *H.* 6 voluerunt *L.G.M.H.* 7 luerent *C.* uterentur *ω.H.* haberent *V.* 9 afficerentur] deficerent *H.* 10 bucinarum *H.* iussi proficisci *om. ω.V.H.* 11 tendens] tetendi *H.* 12 hostes *addidi.* a collectis — viris nova conspirari bella cognoveram *H.* 13 quidem *om. ω.V.H.* 14 census victoriarum *H.* 15 ergo *om. ω.H.V.* periculosissimis locis *H.* 16 montium] munitum *H.* ęt *G.H.* ut *cet.* 18 accepti *ω.* excepti *C.H.* comeantibus *C.H.* comitibus *ω.V.* 19 confines *M.C.* iacerent *L.B.C.* praeparando *C.* reparando *L.G.V.H.* creperando *B.* crepando *M.* 20 triginta] XX *H.* septem] quatuor *H.* 21 confecto *om. ω.H.* eo *om. ω.H.* 23 proelio studens *V.* propriae deditioni magis quam proelio se commissurus *H.* 24 cupidusque *C.H.* et *om. Edit. Basil.*

milites meos subinde commeantes interrogabat, ubi ego essem et quid agerem. Qui cum incerta responderent, ipse auditis eius interrogationibus — omnia enim mihi regi magno Macedonum referebant — sumpto habitu militari depositoque cultu meo solito perveni in castellum eius, ut quiddam vini et carnis empturus. Casuque Porus sciscitans me interrogavit, quid faceret Alexander aut cuius esset aetatis. Quem ludens mendacio temporis, 'Tamquam homo senior,' inquam, 'dux noster in tabernaculo suo se accenso ignis calore reficit.' Tum ille gaudio alacer, quia cum decrepito sene esset proelium commissurus, cum esset ipse iuvenis elatus tumore, 'ut quid ergo,' inquit, 'non respicit aetatem suam?' Respondi ei uno id proposito ignorare me, quid faceret Alexander, cum essem gregarius ex Macedonico exercitu miles. Cum haec audisset, tradidit mihi minis plenam epistolam, quam si regi Alexandro darem, pollicitus est praemium. Cui iurans dixi futurum, ut in manus eius hae litterae pervenirent. Reversusque protinus in castra, et antequam legerem epistolam et postquam legi, magno risu sum dissolutus. Cuius tibi et matri meae sororibusque meis superbiam inclinatamque barbari temeritatem miraturis exempla misi.

1 commeantes *C.H.* comitantes *ω.V.* 2 et *om. ω.* quidve *H.* 4 ferebant *ω.* referebantur *H.* 5 positoque *H.* cultu *om. ω.V.* 6 castra eius *C.H.* castellum *ω.* ut] quasi *C.* *om. V.* ut vini et carnis quidam emptor *H.* 9 deludens *C.* 11 igne calefacit *C.* caleficat *H.* 13 ut quid *C.* ut *om. cet.* *cf. Wölfflin Arch. IV. p. 617.* 16 Cum—audisset *om. ω.V.H.* 18 si *om. ω.V.H.* est *om. L.* 19 iuratus *H.* 23 inclytamque *V.* 24 miraturis *Edit. Basil.* mirari *Codd.* ut superbiam — mirareris *H.* Epistola Pori ad Alexandrum: Rex Indiae Porus Alexandro. Miratur prudentia nostra, quod Perside calcata Porum Alexander iuvenes (!) senex et regii (*l.* regem) Indiae omnibus divitiis opulentum armis munitum nimis populosum inter alia mundi regna nominatissimum tam parva manu pertinaci temeritate aggredi ausus sis. Sed nec Darium nobis nec Persas Indis ulla ratione aequiperandos credideris. Et quoniam de

Mox contuli cum Indis manum superatisque his, uti volebam, erepta armis Poro regna restitui. Qui, ut ei superato honor datus est, mihi thesauros suos manifestavit, quos esse ignorabam, ex quibus me et comites meos et universum exercitum ditavit factusque est amicus ex hoste Macedonibus. Ast et ad Herculis Liberique trophaea me deduxit in orientis ultimis oris; aurea utraque deorum constituerat simulacra. Quae an solida essent, ego scire cupiens omnia iussi perforari, et id ipsum cum vidissem solida esse, simili metallo complevi et Herculem Liberumque deiectis simulacris victimis complacavi.

Ultra deinde progressuris, si quod memorabile cerneremus, nihil praeter desertas in oceano silvas camposque ac montes inhabitabiles, elephantis et serpentibus *plenos*, esse dicebatur. Pergebam tamen ad mare, ut si possem vel orbem terrarum circumfluum navigare oceanum. Quem quoniam tenebrosum vadosumque mihi locorum incolae affirmabant et quod Herculi et Libero ultra visum non esset accedere, praestantissimis diis, tanto maiorem me ipsis videri dicebant,

militibus bellorum periculis innumeros amisisti, datur a nobis licentia revertendi aut residuis qui tecum sunt, ut maxime aetati tuae parcas, quae vix sufficit tibi, si Macedoniam redire disponas, aut deditionem tuam nobis offeras, ne capitis tui dampnum incurras *H. in imo margine.* 3 ei superato honor datus *ω.V.* ei insuperatus *etc. H.* insperato (*corr. ex* insuperato *C.*) honori donatus *C.P.* 6 que est *om. ω.* est *om. H.* 6 Ast *om. ω.V.H.* ad *om. ω.V.H.* 7 me deduxit *om. ω.H.* in orientis autem *H.* 10 iussi *om. H.* id ipsum *ω.V.H.* rursum *C.* 12 deiectis *Codd.* deustis *Edit. Basil.* simulacris *om. H.* complacui *L.B.M.P.* 13 progressuris] progressuri *Codd.* si *om. ω.* 15 montes quos inhabitare elephanti et serpentes dicebantur *C.* montes audivimus, in quibus esse elephanti *etc. H.* habitabiles *G.M.* 16 plenos *V. om. cet.* dicebant *G.V.* 17 ut] volens *H.* vel *om. H.* orbi *V.H.* navigarem *C.* 19 quo *C.P.* 20 Libero *V.* Liberum *C.P.* *Liberi cet.* praestantissimis diis *L.V.* praestantissimos deos *cet.* *21 posse* videri *C.* quodque Herculis et Liberi ultra ausus ne-

quanto patientiam immortalium et sacra praeterirem vestigia. Quibus honoratis collaudatisque sinistram partem Indiae perscrutari institui, ne quid mihi in ignotis locis subtraheretur, Poro non detrahente, ne abdita videretur tegere regni sui bona.

Palus erat sicca et canna abundans. Per quam dum transitum temptaremus, belua novi generis prosilivit, quae serrato tergo alterum caput habuit simile hippopotamo, pectora crocodilli gerens, alterum elephanti simillimum duris munitum caput dentibus, quae duos milites repentino occidit uno ictu. Quam ferreis vix umquam comminuimus malleis, quam hastis non valebamus transfigere.

Admirati satis diuque novitatem pervenimus deinde ad silvas Indorum ultimas. Ubi dum castra per quinquaginta in longum stadia et in latum per viginti locassemus, iuxta amnem Buebar coeperamus velle soporari sub pura nocte hora diei undecima, cum subito pabulatores lignatoresque exanimati omnes advenerunt, simul nuntiantes, ut celerius arma caperemus, venire

mini esset temptandus praestantissimorumque deorum tanto maiorem me ipsis velle videri, quam in patientia mortalium sacra praeterire vestigia *H.* 3 in *B.G.M.* in *om. cet.* 4 detrahente *ω*. detrectante *C.H.* ne qua abdita celare videretur *H.* 6 Palus erat sicca *cit. in Gramm. Lat. ed. Keil. V. pag. 586.* 7 cum transire temptaremus *H.* prosilivit *ω*. prosiluit *C.H.* 8 serrato *C.* serato *L.* se irato *B.M.* ferrato *G.V.H.* *post* 'tergo' *inserit H.*: 'duo capita habens.' alterum] unum *H.* habuit *V.* lunae *ω.C.* leaenae *H.* simile *V.H.* similis *cet.* 9 pectora *V.M.G.* pectus *L.* pectore *cet.* elephanti *V. om. cet.* 10 quae *C.* quod *ω*. quod caput *H.* 11 duos] centum et duos *C.* uno *L.B.G. om. cet.* 14 diuque *ω*. *om. C.P.* Admirati autem sumus diu novitatem eius *H.* 15 dum] cum *H.* 16 in latum per viginti locassemus *C.P.* latum fere collocavimus *cet.* 17 Buebar *ω.C.* Buemar *H.* Bylebar *P.* soporari *ω*. operari *V.* epulari *C.* 18 pura *om. C.* 19 pabulatores] pervolatores *C.* exanimati *C.* et animantia *ω*. et animantium custodes *V.* exanimes *H.* advenerunt *C. om. cet.* 20 nuntiantes] advenientes nuntiabant *H.*

e silvis elephantorum immensos greges ad expugnanda castra. Imperavi ego Thessalicis equitibus, ut ascenderent equos secumque tollerent sues, quorum grunnitus timere bestias noveram, et occurrere quam primum elephantis iussi. Deinde alios cum hastis armatosque sequi equites et tubicines omnes in prima adesse acie et equis insidentes praecedere; pedites omnes remanere in castris iussi. Ipse cum Poro rege et equitatu praecedens vidi examina bestiarum erectis in nos promuscidibus tendentia. Quorum terga et nigra et candida et rubri coloris et varia quaedam erant. Hos Porus capabiles mihi in usum bellorum affirmabat facillimeque averti posse, si ab equitibus verberari sues non desisterent. Qui nihilominus . . .; nec mora trepidantes elephanti conversi tam plures, quam pugnae priores, saltus petiere; cessere bucinis hominum et grunnionibus suum attoniti. Quorum equites caedendo poplites admodum nongentos congregatos octoginta occidimus, detractisque cornibus seu dentibus insignibus onustus praeda in castra perveni. Iussi tunc pluteis et lorica vallum praecingi, ne quid iniuriae nobis elephantorum violentia aliarumque ferarum adferret. Quo peracto quieta nox fuit et usque ad lucem omnes somno refecti fuimus.

2 castra cucurrerunt *V.* Tesalescis *B.M.V.* 5 armatosque *ω.* armatos *V.H.* armatis *C.* 7 et *V. om. cet.* equos *B.G.M.* 8 praecedens *ω.V.* procedens *C.H.* 12 usus *C.* 13 facillimeque *L.* facileque *cet.* verberari *V.H.* verberati *cet.* 14 qui nihilominus *ω.* quod nihilominus fiebat *C.* Qui mox sues fortiter cedebant *V.* qui nihilominus fugiebant *H* 15 conversi sunt. Quam plures quam pugna *H.* conversique quam plures, qui pugnae fuerant priores, saltus petere cepere bucinis *C.* 16 saltu specie recessere *M.* cessere quidem *V.* 18 nongentis congregatis *C. om. H.* nongentos *om. V.* 21 pluteis *G.* plumis *L.M.B.* plurimis *V.* pueris *C.* clipeis *H.* lorica *ω.H.* loricis *C.* 22 nobis] noctis *H.* 23 quo peracto *C. om. cet.* 24 et *C. om. cet.* fuimus *C.* sumus *P. om. cet.*

Primo deinde aurorae diluculo in alias Indiae profecti sumus regiones. Nam in campo patenti mulieres virosque pilosos in modum ferarum toto corpore vidimus, pedum altiores octo, sine veste nudos. Hos Indi Ichthyophagos appellant. Hi magis assueti fluminibus nec non stagno quam terris erant, crudo pisce tantummodo et aquarum haustu viventes. Quos cum videre vellemus, vicinis Ebimaridis fluminis vivi se mersere verticibus. Cynocephalis ingentibus deinde plena invenimus nemora, qui nos adlacessere temptabant et ad ictum sagittarum fugiebant. Iam deserta intrantibus nobis loca nihil dignum spectaculo ab Indis ultra superesse referebatur.

Igitur aditurus Phasiacen, unde veneram, signa converti imperavi, ut ex eo loco duodecim miliariorum castra vicina aquationi poneremus. Aeque cuncta erecta tentoria erant largique ignes accensi, cum repente Euri venti tanta vis flantis exorta est, ut omnia tabernacula principiaque nostra conturbaverit everteritque maiorem in modum stupentibus nobis. Quadrupedia multo vehementius vexabantur exitiique scintillis et titionibus in terga venientibus adurebantur. Tum hortor milites, quia aequinoctiali tempore . . . id accidisse non deorum ira, quod octobrio mense

2 sumus *om.* ω.*H.* 4 pedum] pedes *L.* pedibus *V.* octo] novenum *C.* IX *H.* 5 Ichthyophagos *scripsi;* ictifanos *L.M.* ictifangos *G.* istifanos *B.* indici fannos *V.* fanos *C.* faunos *P.H.* Hi *om.* ω. magis *om.* *H.* fluminibus aquae *C.* 6 nec non et *C.H.* 8 videre] adire *H.* vicini *etc.*] vicinius marini fluminis *H.* vivi *om.* *H.* 9 verticibus] voraginibus *C.* deinde loca plena *H.* 12 exspectaculo *L.B.M.* 15 ex ω.*V.H.* ab *C.* duodecim ω. ad quindecim *C.* ad duodecimum miliarium *H.* 16 aeque iam *C.* et iam *V.* 17 erecta *om.* *L.* 19 evertitque ω. everteretque *V.* 21 exitiique — adurebantur *om.* *C.* exitiique *L.G.* excituque *B.M.* multumque *V.* exituque scintillarum et titionum in terga venientium *H.* 23 quia] qui *L.* quod *V.* 24 accidisset *C.H.* iram *L.* quod octobrio mense *C.P.* octimbrio mense quod ω. octobri *V.H.*

in hieme, non in aestate autumnoque urgueret. Vix tandem recollectis sarcinis ex integro in apriciori valle sedem castrorum inveni ordinatisque rebus omnibus cenare militem iussi. Nam et flatus Euri ceciderat et frigus ingens vespertino tempore accrescebat. Cadere mox in modum vellerum immensae coeperunt nives. Quarum aggeratione metuens ne castra cumularentur, calcare militem nivem iubebam, ut quam primum iniuria pedum tabesceret, proderentur ignes aliquatenus, qui nive paene erant exstincti. Una tamen res saluti fuit, quod momento temporis hae nives dilapsae sunt imbre veniente largo. Quem protinus atra nubes subsecuta est, visaeque nubes ardentes de coelo tamquam faces decidere, ita ut incensu earum totus campus arderet. Verebantur autem dicere, ne deorum ira premeret, quod homo Herculis Liberique vestigia transgredi conatus essem. Iussi tamen milites scissas vestes opponere ignibus. Nox serena continuo reddita est nobis orantibus. Tum ignes ex integro accenduntur et ab securis epulae capiuntur, et triduo continuo sine sole claro id nobis accidit pendente minaci nubilo.

Et ego sepultis admodum quingentis militibus, qui inter nives perierant, castra inde motari imperavi. Nam et edita coelo promuntoria et oceanum in Aethiopia vidimus, et Nysaeos quoque vidimus montes

1 in hieme] hieme *L.* non hieme *V.* in aestate] aestate *L.* urguerit *ω.* 2 apriciore *H.* 4 ceciderat *C.* accederat *L.M.B.* accesserat *G.* acciderat *V.* deciderat *H.* 7 aggeratione *Ed. Basil.* aggerationem *Codd.* 9 proderentur *ω.* proderentur et *H.* prodirentque *C.* 14 incensu *ω.V.* in accensu *C.P.* incendio *H.* 15 autem *om. ω.H.* ne deorum *G.M.V.H.* neu deorum *L.B.* neu a deorum premerer ira *C.* 16 homo *om. ω.V.* ego homo *H.* 17 tamen *om. ω.* igitur *H.* 20 securis nobis *H.* 21 per triduum *C.* 23 Et *ω.H.* at *C.* 26 Nysaeos] nysseos *G.* thenesaeos *L.* thenesseos *C.P.* enesseos *B.* eneseos *M.* enesios *H.* *Tenesseos? cf. Strab. 770.*

et antrum Liberi, quo perdidi homines missos, qui dicebantur tertia die febribus mori, quia speluncam dei introissent. Quod fuisse dei manifestum mortibus eorum probavimus, quia intrari praeter religionem et sine muneribus specus non poterat. Igitur ego supplex orabam numina, ut me regem totius orbis terrarum cum sublimibus trophaeis triumphantem in Macedoniam Olympiadi matri meae remitterent. Quam rem frustra me petere ita cognovi, quoniam dum sciscitor, si quid etiam unum videre possem dignum ad admirationem aut memoriam, omnibus Indis negantibus usquam esse, diverti castra in Phasiacen, cum antea Nothi venti flatus essem secutus.

Dumque in itinere sumpsissem agmen sub signis ducente me, duo senes facti sunt nobis obviam. Quos cum interrogarem, numquid nossent in illa regione dignum aliquod spectaculum, responderunt mihi, esse viam decem non amplius dierum, per quam iniquae essent aquationes, maxime tamen si illuc cum tantisque impedimentis et cum universo pergere vellem exercitu. Ceterum si comitatus quadraginta milibus hominum praeponerem per angustas semitas et per bestiosa satis loca pergere, posse mihi contingere, ut aliquid incredibile perspicerem. Tum ego ilico

1 perdidi *ω*. prodidi *C*. quo perditos emisimus, quia dicebantur — mori, qui *H*. 5 specu *ω*. Igitur ego *P*. igitur eo *C*. *om*. *cet*. 10 unum] adhuc *H*. 11 admiratione aut memoria *C*.*V*.*H*. id negantibus *C*. 12 usquam *G*.*M*.*V*. nusquam *C*. umquam *L*.*B*. castra] castella *ω*. omnibus Indis dicentibus nichil aliud memorabile inveniri posse in his locis, quam quod cognovimus, iussi diverti signa in Phasiacen antinothi venti flatum secutus *H*. 14 Dum *ω*. sumpsi *ω*. Tumque in itinere sumptum agmen *H*. 19 maxime *C*. *om*. *cet*. si illuc cum *C*. causa *ω*.*V*. tantisque *ω*. tantis *C*. 20 et *C*. si *ω*. perquam difficilis tamen accessus propter penuriam aquae tantisque impedimentis, si *H*. 21 comitatus] commeatus *H*. milibus *scripsi*. milium *H*. milia *cet*. 22 hominum robore *C*. praeponerem *ω*. postponerem *C*. proponerem *H*. 23 satis *om*. *H*. pergere *om*. *ω*.*H*. 24 perspicerem negotium *H*. Tunc (tamen *C*.)

laetus factus, 'Dicite,' inquam, 'mihi vos duo senes,' humanitatis eos lege mulcens, 'quid sit istud, quod mihi tam illustre et tam significum pollicemini.' Tum vero exhilarati blanda mea voce, 'Videbis, rex,' inquiunt, 'quicunque es, duas arbores Solis et Lunae Indice et Graece loquentes, quarum unum virile robur est Solis, alterum femininum Lunae, et ab his, quae tibi instent bona aut mala, nosse poteris.' Qua re tam incredibili ludi me a barbaris senibus existimans, poena eos impingi et aliqua contumelia iussi notari, illa dicens: 'Itane eo maiestas mea pervenit, ab occidente in orientem, ut a senibus barbaris ac decrepitis illudi videar posse?' Quibus iurantibus se nihil falsi comminiscere, experirem modo an vera dicerent, reperturus brevi id non esse vanum, orantibus amicis comitibusque meis, ne rei experimento fraudarentur, trecenta milia cum equitatu mecum traxi, remissis in Phasiacen copiis cum quibusdam praefectis exercituque cuncto, cum elephantis et Poro rege et impedimentis omnibus. Mox autem lecto robore iuventutis admirabilia visuri spectacula profecti sumus, ducentibus Indorum senibus, qui nos, ut dixerant, per inania et egentia plerumque aquarum plenaque serpentium

ego ilico laetus factus *C.P.* Tum ergo (ego *L.*) quo facto laetus *ω.* tum ego laetus *V.* tum ego eo responso laetus *H.* 1 vos *om.* *L.V.G.M.H.* duo *om.* *B.* 2 demulcens *C.* illud *C.* 4 vero exh.] unus exhilaratus *H.* inquiunt *L.V.* inquit *B.G.M.P.H.* aiunt *C.* 6 virilis *C.* quarum lignum virile est Sol. *H.* 8 instent *Ed. Basil.* insistent *G.B.M.V.* instant *H.* insistunt *cet.* Quam rem tunc *L.* 9 me deludi *C.* illudi *H.* 11 pervenit *etc.*] penetrarit (penetraverit *P.*) ab oriente usque in occidentem *C.P.* 13 comminiscere *C.* commiscere *cet.* 14 experirem *C.* experire *ω.* experiri modum censui *V.* experiri modo me posse *H.* reperturus] appariturum *H.* 16 tantae rei *H.* fraudaremur *H.* trecenta] quadraginta *C.P.H.* 17 cum *L.G.M.* *om.* *B.* ex *C.* 20 autem *om.* *ω.H.* lecto *H.* leto *ω.* electo *C.* 21 profecti sumus *om.* *H.* *addens* iter accipimus *post* senibus. ducentibus nobis *B.* d. nos *V.* 22 dixerunt *L G.V.B.* duxerunt *M.* *qui mox, ut* diximus *H.* immania *H.* 23 plenaque *Keil.* *per aliqua ω.C.* per aliquot H. per inania et egentia loca

ferarumque loca deduxerunt in proxumam oraculi sedem. De quibus feris et serpentibus, quia innumerae et Indica lingua erant vocitatae, scribendum tibi non putavi.

Cum autem adpropinquaremus ad regionem nobis praedictam, vidimus feminas virosque aliquos pantherum et tigridum pellibus contectos. Cum quaereremus, quinam hominum essent, Indos se sua lingua esse dicebant. Locus autem erat largus, ture et opobalsamo immenso abundabat, quae plurima ramis suorum innascebantur nemorum. Exin vesci incolae eius regionis consueverant. Et cum sacrarium nobis praedictum et multis incognitum incessissemus, pedum amplius decem statura altior, nigro corpore, dentibus caninis antistes oraculi apparuit perforatis auribus, ex quibus uniones pendebant anulique, et erat pellibus vestitus. Atque cum me more gentis illius rituque salutaret, metum simulatione silentioque texi. Et cum interrogaret, ut quid eo venissem, dixi me cupientem inspicere sacras arbores Solis et Lunae. Tum barbarus 'Si a coitu pueri,' inquit, 'et feminino contactu vacas, licet intrare divinum locum.' Secutumque me cum amicis et cum commilitatoribus circiter trecentis deponere anulos vestesque cunctas cum calciamentis imperavit. Imperavi, per omnia hominis ut pareremus

serpentium ferarumque plerumque habundantiā aquarum duxerunt *V.* 2 innumera *C.* 3 vocitatae *H.* vocitata *cet.* 5 autem *om.* *ω.H.* appropinquaremus regioni a nobis petitae *H.* 9 lucus *H.* 10 suorum] eorum *H.* 11 Exinde *C.* 12 sacrarium *C.* sesarium *ω.* sessarium *H.* iter *V.* 16 dependebant *C.* 17 gentis illius *om.* *ω.V.H.* 18 salutasset *C.* metum *C.* et mecum *L.G.M.V.* texi *C.* texit *cet.* metum — et cum *om.* *H.* 19 ut quid *C.* quid *L.M.B.H.* quod *G.* cur *V.* eo *C.M.* ego *L.G.B.V.H.* 20 sacras] seras *ω.* 21 femineo *C.H.* 22 licet intrare *C.* scilicet intercede *ω.V.* scilicet intrabis *H.* Secutusque me cum *C.* Astantibus *H.* 23 cum commilitatoribus *M.* cum militatoribus *L.G.B.V.* cum commilitonibus meis *C.* 25 homines *L.* hominibus *G.* Parui per

religioni. Hora undecima diei erat exspectabatque sacerdos solis occasum. Namque Solis arborem loqui ac responsa dare, cum primus iubaris ortus esset, adfirmabat. Item noctis eadem tempora custodire Lunae narrabat ipsam arborem. Quae res plus mihi mendacio quam veritati similis videbatur.

Igitur perambulare totum incipio nemus; intra parietem vero erat non magno aedificatum opere, opobalsamo cum optimo odore omnibus undique ramis arborum abundantissime manante. Cuius odore captus et ipse clibulas de corticibus praevellebam et idem comites mei faciebant. In medio autem luci sacratae illae arbores *erant*, similes cypressis [et] generibus frondium. Hae pedum altae centum erant [et] arbores, quas bebrioras Indi appellant. Eas cum mirarer diceremque frequentibus irrigatas imbribus in tantum crevisse, sacerdos affirmabat mihi numquam in his locis pluviam, neque feram aut ullam avem aut ullum adire serpentem; terminos vero antiquitus ab Indorum maioribus consecratos Soli et Lunae adfirmabat, idem quod in eclipsi solis et lunae veluti uberrimis lacrimis sacrae arbores commoveantur de deorum suorum statu timentes. Et cum sacrificare instituerem et victimas immolare, prohibitus sum a sacerdote, quia negabat licere aut tus in eo sacrificio

omnia homini *H.* 2 namque *C.* nam et *M.* nam eo *B.* nam *cet.* 3 ac] aut *C.* dare ad primos iubaris ortus *C.* 8 parietem vero *B.* parietem autem *M.* *om. cet.* opere videoque *H.* opobalsamo *scripsi.* opobalsamum *codd.* 9 odore *H.* honore *cet.* 10 manans *H.* 11 clibulas *H.* cliabulis *M. P.* diabulis *C.* diabulos *G.* diabolo *L.* *om. V.* 13 arbores *om.* ω. erant *addidi.* et *om. V.* 14 et *delevi.* 15 bebrioras ω. bertoras *V.* brebrioras *C.* in media autem parte luci sacrae arbores consistebant diversis generibus frondium circumstantibus. Hae pedum altae centum erant arbores, quas brebionas Indi appellant *H.* 16 irrigatas *C.* regnum *L. B. M.* aerum *G.* eas *V.* *om. H.* 19 vero *C.* *om. cet.* 20 solis *C.* 21 idem *quod]* *addidit*que quod *V.* easque *H.* 22 sacras arbores commoveant *C.* commoveri *H.* 25 sacrificio] sacrario *H.*

igne uri aut ullum animal interfici. Sed praecepit, ut provolutus arborum truncis oscula darem oraremque Solem et Lunam, ut veridica mihi darent responsa. Quod ego cum facturus essem, interrogandum tamen sacerdotem existimavi, utrum Indice an Graece mihi essent arbores responsurae. Tum ille 'Utraque,' inquit, 'Solis elocutio lingua pronuntiat futura, Luna Graeco sermone incipit, Indico finit.'

Dum ea geruntur, vidimus ab occidente iubare fulgentibus Phoebi radiis percussa arborum cacumina et sacerdos ait: 'Sursum,' inquit, 'omnes tuemini et, de quibus rebus quisque consulturus est, occulte cogitet silentio, nemo palam pronuntiet.' Tum ego et amici et commilitatores accuratius sumus intuiti, ne inter nemorum densitatem aliqua in morem hominum nos illuderet falsitas. Mox interveniente nullo tali dolo usque ad cacumina ramosque perspeximus et stantibus nobis comminus divina auribus occupamus oracula. Cogitabam, si devicto orbe terrarum in patriam triumphans ad Olympiadem matrem sororesque meas carissimas reverti possem, cum subito Indico sermone tenuissime respondit arbor: 'Invicte bellis Alexander, ut consuluisti, unus eris dominus orbis terrarum, sed vivus amplius in patriam non reverteris, quoniam fata tua ita de capite tuo statuerunt.' Tum ego oraculum cum ignorarem qualiter esset Indus interpretaturus, *alios mecum interpretes adduxeram,* quos ego partim muneribus, partim minis, ut quaecunque arbores dicerent indicarent coegi. Qua re

1 praecepit ut *om. H.* 2 provolutus *C. V.* volutus *ω.* volutos *H.* dare orareque *H.* 5 utrum *C. om. cet.* 11 tuemini *L. G. M.* intuemini *cet.* 14 commilitones *H.* ne] nemo *L.* 15 aliqua in morem *etc.*] aliqua seductio in morem veterem docta nos hominum aliquis eluderet. Mox *H.* 17 prospeximus *C.* et *C. om. cet.* 18 divina *etc.*] divinas aures precibus sollicitavimus *V.* 19 orbi *L.* 27 alios mecum interpretes adduxeram *Edit. Basil.; om. codd.* 28 quos *G. B. M. V.* quas ? hos *C.* ut *om. V.* 29 indicare *ω. V.*

cognita omnibus perculsis flentibusque, qui mecum erant comitati palam, et quia moris erat, aliud consulturus intrare vespertino tempore . . . Sed nondum exorta erat luna, cum rursus invitati ad lucum iuxta sacras arbores constitissemus; mox solita consuetudine adoramus. Tres fidelissimos induxeram mecum amicos, Perdiccam et Clitonam et Philotam, quia nullum metuebam ultra nec in me quicquam erat metuendum, ubi neminem fas erat interfici. Consulto igitur, ubi moriturus essem. Tunc ad primum lunae ortum percussa cornu splendoreque accepto arbor Graece respondens: 'O Alexander,' inquit, 'plenum iam finem aetatis habes. Sed sequenti anno mense Maio in Babylone morieris; a quo minime speras, decipieris.' Tum lacrimas effudi amicique mei circumsistentes flebant. Nullumque ab eis dolum aut scelus cogitavi exsurrecturum, sed magis pro mea salute paratos mori. Neque enim ego quicquam de fidelissimis mihi amicis

1 cognita *V.* cognitis *cet.* perculsi *L.* 2 palam] lacrimatus sum *V.* aliud consulturus (consulturos *G.*) intrare *ω.* aliud consulturus eram *V.* aliam consulere intra *C.* 3 vespertino tempore *ω.* vespertinum tempus *C.* statuerunt. Haec ego audiens mente perculsus sum. Displicuit enim mihi, quod tam multos adduxi mecum ad sacras arbores. simul et amici mei et comites mei, qui mecum venerant, fleverunt valde et contristati sunt. Quos ego partim minis partim muneribus consolatus sum praecepique eis, ut nemini haec responsa dicerent. Rursum lunae oracula auditurus, quae media nocte posse fieri sacerdos affirmabat, quoniam tunc luna erat oritura, assumpsi mecum tres fidelissimos amicos, perdicam et clitoricam et philotam *H.* 5 sacras] seras *ω.* 6 adoravimus *L.* adhortamur *C.* 8 ultra] in illo loco *H.* in me] a me *H.* 9 *post* 'interfici' *pergit H.* 'iterumque lucum intrantes iuxta arbores sacras constitimus et mox solita consuetudine adoramus. Consulens igitur, ubi moriturus essem, tum *etc.* 10 Tunc *C.* et tum *V.* et cum *ω.* percusso *H.* 11 cornu *ω.H.* cornua sunt *C.* splendoreque *ω.H.* splendore. Quem *C.* 12 O *om. L.G.B.* 13 Maio] nono *H.* in *om. H.* 15 fudi *L.* 17 *exsurrecturum C.* esurrecturum *P.* resurrecturum *B.G.M.H.* *reçsur. M.* surrect. *L.V.* 18 enim om. L.V.H. ego om. *C.*

consulueram, an illos cavendos esse Alexandro praemoneret oraculum. Discessu deinde facto cum iam ad epulas reverteremur, ego aeger animo, ad requiem rogantibus amicis, ne me anxietate et ieiunio conficerem, paululum cibi contra animi mei voluntatem sumere coepi, meque ut praesto essem ad primum solis ortum, in sacrario collocavi. Postero die matutinis expergefactus, diluculo amicos etiam semisopore somno excito. Sed adhuc ipse quoque sacerdos velatus pellibus ferinis quiescebat. Positaque ante eum in tabula ebenina ingens cliba turis erat, quae illi ex pridiana cena superfuerat, et culter eburneus. Nam aere et ferro et plumbo et argento egent, sed auro abundant. Opobalsamo et ture vescuntur, cadenteque rivo puro ex vicino monte potant aquam homines, accumbentes et quiescentes sine ullis cervicalibus stratisque, tantum pellibus ferarum. Hoc amictu contenti vivunt idem annis fere trecentis. Excitato sacerdote lucum intravi tertio consulturus eandem mihi sacratissimam Solis arborem, cuius mortem manu percussoris habeam cavendam quemve exitum mater mea sororesque meae habiturae sint. Arbor Graece dixit: 'Si mortis tuae tibi insidiatorem prodidero, sublato eo facile instantia fata mutabis. Mihi quoque tres irascentur sorores, quod veridico oraculo earum pensa impedierim, Clotho, Lachesis, Atropos. Igitur ad annum et menses septem in Babylone morieris, non ferro

1 promoneret *C.* 3 verteremur *L. C.* ad requiem vado *H.* 6 sumere] accipere *L.* praesto] praestans *L. V. B.* praestens *M.* 7 matutinis *ω.* matutino *V. H.* maturius *C.* 8 semisopore somno excitos *ω.* vocavi a somno excitatos *V.* simul soporantes a somno excitavi *C.* semisop. s. excitos vidi *H.* 11 ex pridiana cena *H.* ex pridia ante c. *M.* ex pridiae ante c. *L.* ex pridiante c. *G. B.* ex nocturna c. *V.* ex pridie cenanti *C.* 13 sed *om.* *L. H.* 15 puram *H.* 16 accubantes *V. H.* 17 His amictis contecti vivunt ibidem *H.* 21 haberem *C.* 22 essent *C.* 24 O mihi *ω.* mihique *H.* 25 pensas *C.* 26 impedierim] impenderim *ω.* ad] post *H.* 27 septem] novem *H.* in *om.* *H.*

quod suspicaris, non auro neque argento, neque ullo metallo, sed veneno. Mater tua turpissimo ac miserando quandoque exitu insepulta iacebit in via, praeda avium ferarumque. Sorores tuae felices diu erunt ut tu factae. Tu enim etsi breve superest tempus, dominus tamen orbis terrarum eris. Nunc modo cave, ne nos ulterius sciscíteris. Proinde excede terminos luci nostri et ad Phasiacen Porumque revertere.' Sed et sacerdos commonuit, ut pareremus, dicens fletu et ululatu nostro sacras arbores offendi. Tunc ego contionatus ad universos milites dixi, ut Porum ad Phasiacen ex responso repeteremus, quod nobis faustum felixque futurum esset. De tempore autem vitae meae reticui, ne a commilitatoribus meis deductis in desperationem in alienigenis destituerer locis, et eas voces, quas ex responsis una mecum audierant, *ne divulgarent, voverunt;* qui his nominibus appellantur: Sermition, Praesidis filius, et Nestorinus et Timotheus et Lacon et Thrasyleon et Declitus et Machaon et Onocles et Silbrus et Sunsiclus et Perdiccas et Philotas et praefectus praetorii Diarotas. Sed silentio, quae audierant, ex sua fide et meo tegebant consilio.

3 quandoque *om. H.* insepulta iacebit] sepultura carebit iacebitque *H.* 4 ut tu *C. om. cet.* 7 susciteris *C.* proinde *C.* inde *cet.* 9 emonuit *ω. V.* sed et monuit sacerdos, ut pergeremus, fletum et ululatum nostrum sacras arbores dicens offendisse *H.* 10 contionatus *C.* continuatus *ω. H.* continuatos *V.* 11 ad] et *H.* Fasciacemque *V.* 13 esse *M. B.* autem *om. ω. V. H.* 14 reticui *om. ω. V. H.* deductis *C.* reditus *L. M.* redditus *B. G. V. H.* 15 alienis *C.* destituerer *V.* destruerer *ω.* desererer *C.* deserer *P.* dirumperer *H.* 16 ne divulgarent, voverunt *V. om. cet.* 17 sermiton *G.* sermicion *B. V. C.* 18 praesidis *P.* praesidus *B.* praesitis *cet.* protesilaus *pro* praesidis filius *H.* nestorinus *V.* mistorinis *ω.* nustorinus *C.* mistomus *H.* timothes *G. B. M.* thymotes *V.* 19 trascileon *G. L.* transileon *V.* traseleon *H.* trasicleon *cet.* declitus *B.* deolytus *P.* deditus *cet.* machaon *C.* machon *sive* macon *cet.* honocles *C.* erocles *H.* 20 simbrus *H.* sundidus *L.* sinsiclus *C.* perdica *G. H.* perdicam *cet.* philota *G.* phylaton *V.* philoctas *H.* philotam *cet.* 21 diarota *G.* coracdas *H.*

Iamque ex sacris excesseramus arboribus, sed adhuc etiam odore turis opobalsamique nares verberabantur. Indi sacra deorum ad oceanum tenebant, dicentes non parum me quoque esse immortalem, qui usque eo penetrare potuissem. Quibus ego, quod de nobis bene opinarentur, insinuans gratias agebam.

Pervenimus deinde in vallem Iordiam, in qua serpentes habitabant, habentes in collo lapides, qui smaragdi appellantur. — Hi lumen in oculis profusum accipiunt. — Hi vallem nulli adeundam incolunt. Hi serpentes lasere et albo vescuntur pipere. Nam supra vallem hanc sunt pyramides institutae pedum tricenum quinum, quae numinibus ab antiquis Indorum ob hanc causam sunt aedificatae. Sed hi serpentes, quos paulo ante descripsimus, inter se quotannis vere primo depugnant, multique morsibus deperierunt. Inde nos paucos extulimus ingentis formae smaragdos. Per magna pericula incedimus et incidimus talis generis bestias: habentes sunt *suum* capita, leonum caudas, unguibus binis, latae ad sex prope pedum mensuram, quibus verberabantur homines et inutiles fiebant. His erant intermixti grifi, rostra habentes aquilarum, at alia parte corporis dissimillimi. Qui mira celeritate

2 sed adhuc etiam *C.* sed iam *ω.V.* sed iam non *H.* 3 Indi enim *C.* tenebant] tendebant *C.* colentes dicebant *H.* 5 eo *C.* evum *B.M.H.* aevum *G.* in evum *L.* ad eurum *V.* quod] quoniam *C.* 6 bene *C.* *om. cet.* insinuans *om. C.* 7 Iordanis *H.* 8 in *om. ω.V.* 10 colunt *B.G.M.* 13 quae numinibus *om. ω.H.* 14 sunt *om. ω.H.* 15 aliquot annis *C.* 16 unde *C.* 18 magna deinde *H.* incedimus *L.B.M.V.* incidimus *H.* incessimus *cet.* et *om. C.P.H.* incidimus *V.* inscitas *ω.H.* ignotas *C.* in Cyritas *editiones.* 19 suum capita, leonum *scripsi.* capitalinum *ω.* capitalium *H.* eorum capita leonum similia *C.* caudae *C.* 20 prope *Ed. Basil.* quippe *codd.* mensuram *om. B.G.M.; locus ita legitur in cod. Bamb. E. III. 14:* Per magna deinde pervenimus in loca, quae erant fortissima, in qua erant bestiae, quae habebant caput sicut porcus, caudam sicut leo, ungulas duas, latas pedibus sex. 23 qui] quam *C.* que *H.* celeritate] velocitate claritate *L.* velocitate *H.*

in ora oculosque nostros resiliebant, pedum binorum ternorum a terra ferebantur, scuta clipeosque nostros caudis crudelem in modum verberabant. Qui partim sagittis, partim contis militaribus configebantur. Perdidi in eo certamine ducentos sex milites bestiarum utriusque generis morsu. Occidimus ad quatuordecim milia.

Inde ad Oclivas flumen venimus, quod sine flexu recte ad oceanum ferebatur, latum stadiis ad ripam alteram viginti; vestiebant eum arundines altae per littora, quarum unam triginta milites vix ferre possent. Excedebant autem arborum procerissimarum altitudinem. In his arundinibus stratum potentissimo ebore vidimus. Inhabitabant enim locum eundem milia elephantorum innumera, qui nos nescio quo facto nec lacerare temptabant. Alioquin crudelissime percalcati eramus. Multis collectis dentibus ratibus ex arundine factis transnavigavimus amnem. Inhabitabant litus ulterius Indi balenarum ferarum contecti pellibus. Non fuere inhospitales. Qui nobis spongias albas purpureasque in manus dedere cum bucinis ex genere coclearum capientes binos ternosque congios, et stragulas mollesque tunicas ex vitulorum marinorum pellibus factas, cocleas praeterea sextariales escae pulcherrimae, item vermes ex ipso flumine extractos,

1 binorum] bis *C.* 2 a terra *C.* impetu *V.* *om.* *ω.* *H.* scuta *om.* *C.* 3 caudis *om.* *C.* crude *C.* 4 militaribus] militatoribus *B.* *M.* cunctis militatoribus *L.* conficiebantur *H.* 6 quatuordecim] sedecim *H.* 8 Oclivas *ω.* oclyvas *C.* occluadas *H.* flexu *L.* *V.* *H.* fluxu *B.* *G.* *M.* reflexu *C.* 10 altae *G.* ACCCC. *L.* *M.* *B.* ac trecentae *V.* *H.* trecentae *C.* 11 vix ferre *ω.* *V.* ferre non *C.* 12 autem] enim *H.* procerissimam *C.* 14 ebore *H.* eboro *L.* eruo *B.* euro *cet.* 16 lacerare *ω.* lacessere *C.* 17 percultati *H.* perculsi *V.* essemus *C.* 18 amnem inhabitantibus ulterius Indis beluarum ferarum contectis pellibus *H.* 20 Sed non *C.* 21 et genere *B.* *G.* *V.* *H.* 22 coclearum] *conderum* *L.* coclearum, *in marg.* vel conclerum *G.* *chonciliorum* *V.* 23 stragula C. 25 extracti (extractos *V.* *H.*)

femore humano crassiores; qui nobis omni generi piscium sapore praeferendi sunt. Sed et fungos immensae magnitudinis viginti, cocco rubriores apposuerunt nobis et murenas habentes pondera ducenta, affirmantes esse maiores in vicino ipsis oceano, qui erat ad miliarium tertium et vicesimum. Pisces praeterea scauros pondere centenum quinquaginta gurgitibus nassis eburneis capiebant, ne arundines morsu confringerent, aut capillatae mulieres, quae pisce vivebant, aquis immersae prehenderent. Quae ignaros regionum homines in flumine natantes aut tenendo in gurgite suffocabant aut tractos in arundinetum, cum essent specie mirabiles, affectu suo avide victos corrumpebant aut veneria exanimabant voluptate. Quarum nos duas tantummodo cepimus colore niveo, similes nymphis, defusis per terga capillis.

Et in Gange flumine erant admirabilia portenta. De quibus, ne tibi fabulosus viderer, scribendum non putavi, nisi quod apud flumen...Boream ventus e sole et Euphratis ad Noti venti spiracula exeunt. Quorum fluminum ripae altera ab alia conspicuae non sunt prae latitudine aquarum earum. Inde ad castellum, quod Indi incolunt, pervenimus, ubi tum monita a

femore humano *ω.V.H.* extra femur humanum *C.* generi *H.* genere *cet.* 2 Sed *om. ω.V.H.* 3 apposuerunt *C.* posuerunt *cet.* 4 ducentena *H.* 7 scaros pondere *C.* scarvos pondus *ω.H.* scauros ponderibus centenis *V.* 8 qui gurgitibus *H.* nassis *CG.* nasis *L.M.B.* navibus *V.* *om. H.* capiebantur *H.* 9 aut] atque *B.M.* 10 prehenderent *C.* praetenderint *L.B.* praetenderent *G.V.* pranderent *H.* 11 ignorantes regionem *C.* 12 arundinetum *scripsi.* arundineto *H.* arundine *cet.* 13 affectu *ω.V.H.* aspecto *C.* 14 voluntate *ω.V.* 16 diffusis post terga *C.* 17 admirabilia *C.* animalia *ω.V.* mirabilia *H.* 19 apud quod *C.* flumen *om. L.* boream boramve *L.* e sola *B.G.M.* aesola *L.* e sole *C.* putavi. huiusmodi fluminis undae boreo vento flante exeunt *V.* *fortasse scribendum est:* nisi quod aquae fluminis huius Borea vento flante solum et Euphratis ad N. *etc.* 21 altere *L.M.B.* 22 prae *om. ω.H.* 23 *Post* 'pervenimus' *pergit H.:* deinde ad Seres, quae gens

senibus optimis accepimus, qui nos recte ducentes ire per Caspias portas ad Porum in Phasiacen inducebant. Non auditis his semper dolum suspicantes flatus Euri venti secuti incidimus in externas feras. De quarum capitibus velut gladii e vertice acuti serrata eminebant ossa; quae more arietino in adversos homines incurrunt. Tunc invictae ferae plurimorum militum clipeos cornu suo transverberabant. Quibus ergo occisis admodum octo milibus quadringentis quinquaginta, sic deinde exercitus meus ad Porum cum summo tandem labore ac periculo metuque militum pervenit. Ibique legato meo praecepi, quem praesidio praeposueram nomine Alticonem, ut poneret Persarumque et Babyloniorum pilas solidas aureas duas pedum vicenum quinum et in his omnia facta scriberet faceretque eadem in ultima India ultra Liberi et Herculis trophaea, quorum centum erant; quae et ego quinque mea aeque aurea eis altiora denis pedibus statui et in eis victorias atque itinera nostra describere imperavi, quaeque miraculo futura sunt, carissime praeceptor, posteris saeculis. Non parva admiratione novum perpetuumque virtutibus statuimus monimentum, ut in vi-

iustissima omnium gentium esse perhibetur. Ubi nec homicidium neque adulterium neque periurium neque ebrietas committi dicitur. Pane tantum et oleribus et aqua vescuntur. Qui nos commeatibus optimis suscipiunt et itinere recto ducentes per Caspias portas ad regem porum in fasiacem deducebant. Inde profecti et flatum Euri venti secuti *etc.* 2 inducebant *Keil.* deducebant ω. suadebant *C.* 3 Non ω.*V.* Nos *C.* 4 incedimus *L.M.B.* externas] aeternas ω. in terras feras *V.* 5 vertice] vorace *B.* 6 arietino] taurorum *H.* in adversos *C.* adversus ω.*V.* 7 invectae *L.* 8 ergo *B.G.M.* ego *cet.* 9 octo] novem *H.* 13 alticonem ω.*P.* Altriconem *C.* alconi *H.* altioni *V.* poneret *H.* pori ω. in foro *C.* persarumque ω. persarum *cet.* in persarum et babyloniorum terris *H.* 15 quinum statueret *C.* quinum erigeret *V.* 16 eadem *om.* ω.*V.* 17 mea *om.* *B.G.* meaeque *L.* 18 et in eis — describere *C.P.* *om.* *cet.* 20 quae *H.* praeceptorum *C.* 22 an ut *C.* in vivendo *C.* in vivendum *L.B.M.* *in viventibus V.* inveniendum G. invidendum H.

vendo mortalibus esset perpetua de nobis opinio, et animo et industria, optime Aristoteles, ponderatis.

1 mortalibus *C.V.* mortalitas *ω.* immortalitas *H.* esset *ω.H.* sit *C.* perpetuo *L.* 2 ponderatis *V.* ponderaris *L.* pondearis *G.M.* spondiaris *B.* sponde *C.* sponde. vale *P.* optimi Aristotelis iudicium *H.* — Explicit epistola Alexandri Magni Macedonis ad Aristotelem *Codices plurimi.*

INDEX NOMINUM,

QUAE APUD IULIUM VALERIUM LEGUNTUR.

(Numerus maior paginam, minor versum indicat.)

INDEX VERBORUM ET LOCUTIONUM.

[Verba stellis significata desunt in Georgis Thesauro Latino.]

C. VALERI FLACCI SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBRI OCTO.

RECOGNOVIT

AEMILIUS BAEHRENS.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXV.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

EDITORIS PRAEFATIO.

C. Valerius Flaccus num mortem obiens Argonautica ad finem perducta iam ediderit an imperfecta reliquerit, multum inter uiros doctos disceptatum est. qua de re certius iudicium ferre licebit, si quem in annum dies illius supremus cadat constabit. cum autem Quintilianus in institutionum oratoriarum, quas circa a. 90 p. Chr. n. confectas esse probabiliter statuerunt, libro X [1, 90] haec scribat: 'multum in Valerio Flacco nuper amisimus', hinc nonnullos ante a. 90 annos e medio cessisse Flaccum colligitur. qui quod libri quarti u. 507 sqq. canit:

sicut prorupti tonuit cum forte Vesaeui
Hesperiae letalis apex, uixdum ignea montem
torsit hiems, iamque eoas cinis induit urbes,

hoc non potest non pertinere, ut iam Loehbachius [II p. 8] bene uidit, ad montis Vesuuii eruptionem a. 79 factam. itaque non multum a uero aberrare nobis uidemur, si anno fere 85 Valerii mortem accidisse statuimus. primum autem Argonauticorum librum recitatum esse a. 71 suo iure uiri docti ex prooemii u. 11 sqq. concluserunt. itaque si a. 85 diem fatalem Flaccus obiit, quindecim fere anni ad elaboranda Argonautica ei suppetiuerunt. difficile quidem est in tanta singulorum ingeniorum diuersitate, quantum poetae epici temporis in singulis libris componendis consumpserint, certo affirmare; ex

paucis tamen quae huc pertinent Romanorum locis hoc mihi effici posse uidetur, unum fere annum ad unumquemque maioris alicuius carminis epici librum absoluendum impensum esse. nam et Vergilius undecim annis in Aeneide condenda consumptis nondum tamen ultimam ut aiunt manum ei addiderat et Statius in Thebaidos fine [XII 811] 'o mihi bissenos' ait 'multum uigilata per annos Thebai'. nec parui ad hanc quaestionem momenti est locus dialogi Tacitei, in quo [c. 9] de Saleio Basso haec legimus 'ut, cum *toto anno,* per omnes dies, magna noctium parte, *unum librum* excudit et elucubrauit, rogare ultro et ambire cogatur ut sint qui dignentur audire.' hunc igitur morem, quo poeseos epicae studiosi unius anni spatium singulis libris excudendis impendebant, si Valerius secutus est, post a. 79 librum octauum iamdudum absoluerat. sin uero res usque ad libri VIII u. 467, qui nunc totius operis est ultimus, tractatas accuratius inspexeris itaque quonam modo poeta noster historias suas pertexere soleat cognoueris, tantum materiae superesse uidebis, facile ut quattuor libris integris suffecerit. neque dubito quin Flaccus Vergilium aliosque secutus Argonautarum res gestas duodecim libris cecinerit. itaque qui a. 71 primum librum et deinceps annuis recitationibus libros insequentes praelegerat, is fere a. 82 totum opus persoluerat. quod auctum emendatumque, ut fieri solebat, a. 83 uel 84 emissum puto; unde in libro IV, qui secundum nostram computationem a. 74 recitatus est, rei multo post gestae fieri mentionem explicatur. iam cum priore cura dimissa nouae cogitationi toto pectore incumberet Valerius, praematura morte litteris est ereptus. unde optime intellegitur Quintiliani dictum unicum opus integrum a poeta docto relictum esse dolentis.

His rationibus adducti ea quae post VIII 467 nunc desunt librarii incuria periisse Heinsium secuti opinamur. licet enim argumentatio nostra fundamento innitatur debili, eandem tamen arte et ratione esse institutam facile mihi concessuros confido iudices aequos. certe multum mul-

tumque illa praestat sententiae eorum qui Valerium Argonautica imperfecta reliquisse censent. cuius rei nuper Thilo eiusque assecla Schenkelius uel in singulis libris indicia certissima deprehendisse sibi sunt uisi. nam ubicumque fere sententias hiantes, uersuum ordinem turbatum, uerborum sordes maculasque inuenerunt, statim haec ad carminis imperfecte relicti et a poetae mortui amico quodam non sat religiose editi miseram condicionem artificio nunc adamato rettulerunt. eidem tamen aliis locis plurimis non potuerunt non agnoscere librariorum malam manum. equidem qui bene intellegam quam sit periculosae plenum opus aleae, in tam deplorato unici quo Argonautica aetatem tulerunt codicis statu diiudicare quae uitia archetypo a poeta relicto, quae monachis sint tribuenda, nihil magis cauendum duxi quam uirorum illorum doctorum rationes lubricas fallacesque, cum praesertim eas omni a parte falsissimas esse persuasum habeam.

Scripta esse Argonautica tota ad exemplar Aeneidos Vergilianae notum est. tam prudenter autem scienterque Valerius ad huius normam suum poema conformauit ut iudicium pariter atque ingenium poetae suspiciamus. sunt autem de nulla fere re quae ad antiquos pertineat scriptores tam uariae tamque falsae plerumque opiniones latae quam de imitationis studio apud poetas latinos obuio. nam si hodie quidam apud duos diuersi temporis poetas uersus ex aliqua parte similes inueniunt, ilico auctorem aetate posteriorem excripsisse priorem clamant. notabile talis peruersitatis exemplum nuperrime praebuit Schenkelius, qui uelut oestro quodam percitus Valerium nostrum in uerbis uel tritissimis ubique anteriores imitatione expressisse statuit; ueluti non erubuit contendere [stud. p. 102] illa in codicibus tradita [V 125 sq.] 'est *uera propago* sanguinis, est ollis genitor deus' scripta esse ad exemplum Ouidii, qui in transmutationum libri II u. 38 dixerit 'per quae tua *uera propago* credar.' quam enim ineptum sit locis a sententia inter se dissimillimis propter duorum uocabulorum uolgatissimorum similitudinem sta-

tuere, alterum poetam ex altero hausisse, quis non sentit? quasi uero formula illa 'uera propago' non unusquisque poeta Romanus sua sponte uti potuisset! sed misso Schenkelio arte potius et ratione quid de hac re iudicandum sit uideamus. bene autem distinguendum est inter uerborum similitudines quasdam quae inter duos uel complures poetas intercedunt, id est, inter eas similitudines quae sua sponte ex uerborum formulis proueniunt et eas imitationes seu potius aemulationes quas imitandi bene conscii admiserunt poetae. fortuitae autem illius similitudinis, quae in uocabulis compluribus a diuersis poetis iteratis cernitur, tres potissimum inuenio causas: memoriam, consuetudinem, linguae Romanae penuriam. cum enim omnes Romani liberaliter instituti primum Ennium, mox Lucilium, deinde Vergilium et Horatium in scholis diligentissime lectitarent cumque uates eos qui praeclarissimi et erant et habebantur numquam in uita posteriore plane abicerent, sed eis tamquam fidelissimis in omni casu comitibus et in otiis et in negotiis delectarentur, consentaneum fere est illos carmina eorum pleraque memoria tenuisse. cuius rei exemplum insigne exhibet Seneca philosophus, qui plurimos Vergilii maxime et Ouidii uersus cum libris suis inseruerit ita tamen adfert ut plerumque illum non euoluisse, sed memoriter reddidisse eorum poemata appareat [cf. Aemilius Hermes, quaest. crit. in Sen., Meursae 1874]. quanto autem magis principes in suo genere uates nocturna uersasse manu, uersasse diurna putabimus eos qui ipsi ad Musarum fontem erant accessuri! hos igitur, cum carmina pangerent, sponte sua saepe in easdem uerborum formulas incidisse quas in exemplaribus suis iterum iterumque legerant, numquid mirum est? accedit quod in antiquitate, siquid semel bene inuentum erat in litteris artibusue, id sine rubore a posterioribus in proprium usum uocabatur et quasi in commune bonum cessit. iam siqua locutio in poesi ciuitatem erat adepta, ut aliquotiens metro, ita consuetudine plerumque euenit ut nisi certis uersus sedibus non

adhiberetur. exemplo rem inlustrabo. postquam igitur pater Ennius [ann. 266] dixit:

mox auferre domos populi *rumore secundo,*

illud 'rumore secundo' in tota poesi dactylica non positum inuenis nisi in fine uersus hexametri. sic Sueius in annalium, nisi fallor, libro V [Lucilius ed. L. M. p. 311]:

— redeunt, referunt laeti *rumore secundo**)

et Vergilius [VIII 90]:

ergo iter inceptum peragunt *rumore secundo*

et Horatius [epist. I 10, 9]:

quae uos ad caelum effertis *rumore secundo*

et Claudianus [epith. Pall. et Cel. 63]:

secessit regio quo non *rumore secundo.*

parum autem credibile est aut Vergilium Horatiumue Ennii uel Suei aut Claudianum Horatii uel Vergilii fuisse bene memores, cum ponerent illud 'rumore secundo'. immo memoria ac consuetudine certa formulae illius sedes nata est. innumera autem eius quod modo commemoraui similia exempla possunt afferri. quae cum maxima ex parte Antonius Zingerle, homo diligens, in libro non inutili cui inscriptum est 'Ouidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern' composuerit, singillatim enumerare omitto; hoc tamen addo nec Zingerleium satis distinxisse similitudines fortuitas et eas imitationes quae consulto dataque opera sunt factae. ad quas iam transeamus.

Quod de Nasone testatur Seneca rhetor [p. 27, 14 Kiessl.]: 'itaque fecisse illum quod in multis aliis uersibus Vergilii fecerat, non subripiendi causa, sed palam aemulandi**), hoc animo ut uellet agnosci', id de toto hoc imitationis studio dicendum est. itaque ut Vergilius

---

*) traditum est 'petita rumore secundo', quod corrigere studui. post ea enim quae supra dixi nemo iam cum L. Muellero locum transponendo sanabit.

**) 'emulandi' scripsi: 'mutandi' codd. sine sensu; 'mutuandi' Kiesslingius, recte utique si 'uerbis' pro 'uersibus' legeretur.

Ennii et Horatius satirarum scriptor Lucilii uestigiis ita erant ingressi ut praeclarissima quaeque eorum loca libere aemularentur eorumque flores delibarent [cf. Macrobius VI 1 et Gellius I 21, 7], sic Vergilii maxime carmina qui postea poesis epicae extiterunt cultores imitabantur ita ut procul habita spoliandi et excribendi cogitatione ingenua aemulatione cum eo uellent certare. nimirum habebant illi in recitationibus auditores eos qui, cum ipsi lectione Vergilii essent imbuti diligenti, facile num feliciter necne nouo poetae aemulatio illa cessisset diiudicarent. itaque posterioris aetatis epicos non solum in imaginibus comparationibus ἐπεισοδίοις compositione, sed etiam in singulis interdum locutionibus (quamquam de hac quidem re difficillimum est iudicium) Vergilium cum libera aemulatione imitari uidemus. sic cum Valerius ex. gr. in libri secundi [u. 174 sqq.] ἐπεισοδίῳ quodam Venerem mulieres Lemniacas facit instigantem, aperte sequitur Vergilii [V 618 sqq.] descriptionem simillimam; sic, cum in uiri alicuius fortissimi cum Lucifero comparatione Vergilius [VIII 590] adiecisset 'quem Venus ante alios astrorum diligit ignes', Valerius [VI 528] in eadem comparatione ita eum aemulatus est ut poneret 'quem Venus inlustri gaudet procedere caelo'. talibus in aemulationibus nescio an nullus poeta Romanus prudentius et, ut ita dicam, pudentius sese gesserit Valerio. alii enim, ut Silius Italicus, interdum nimis anxie ac timide, alii, ut Statius, nimis callide ac paene fraudulenter Vergilii uestigia presserunt; certe de Statio rectissime ipsius uerbis [Achill. I 60] a uiro docto nescioquo dictum est eum uulpis instar deleuisse pedum uestigia caudis. et hac quidem libera aemulatione optimum quemque poetam latinum cum nobilissimis prioris temporis uatibus certare uidemus. sed enim labente iudicio simul et poesi ultimis antiqui aeui temporibus eo peruenit res ut, cum Mauortius de ecclesia centonem mere Vergilianum declamasset, auditores eum non ut furem impudentissimum exsibilarent, sed ut Maronem, si dis placet, iuniorem celebrarent

[Anthol. lat. R. I p. 48]. — sed ad Valerium ut redeam, in fine huius editionis adieci tabulam locorum eorum quibus ille ex Vergilio pendeat aut certe pendere uideatur. neque enim illam sic accipi uolo, tamquam omnibus locis imitationem esse exploratam putem; immo haud pauca loca, in quae quod supra de similitudine fortuita dixi cadat, me dedisse probe scio; sed tamen talium quoque locorum obseruatio accurata suam habet utilitatem. praeter Vergilium num alios poetas Romanos imitatione expresserit Valerius, ea res admodum incerta est. nam ex Ouidio, qui quidem certus sit atque indubitatus, locus adlatus est nullus. ex Lucano [VIII 176 sqq.] possunt uideri fluxisse uersus qui leguntur II 61—65 (id quod bene uidit Weytinghius ad Homer. Lat. p. 329 sq.) et pauci alii.

Multo autem magis est dubium, quibus Valerii Argonautica poetis insequentibus exemplo fuerint et ipsa. nam quae loca Silium aemulatum esse Schenkelius putauit, ea uero maximam partem nihili esse rectissime monuit nuper Hermannus Blassius in Fleckeiseni annalibus [a. 1874 p. 494 sqq.]. unum Statium hic illic, in enarranda maxime uirorum Lemniacorum caede, Valerii exemplar sedulo obseruasse constat. nam de Claudiano res dubia est, quamquam in opusculis de raptu Proserpinae nonnulla ille non sine recordatione poetae nostri scripsisse potest. sed omnium falsissima est Schenkelii de Claudio Mario Victore Valerii imitatore opinio. unum tantummodo Dracontium ex ultimis imperii Romani scriptoribus noui quem Valerium non sine fructu legisse possit adfirmari; certe in carmine illius de raptu Hylae composito quaedam lectionem Valerianam aperte produnt.

Argonautica unico codice scilicet Vaticano 3277 saec. IX [V; de eo cf. Thilo proleg. p. XL sqq.] propagata ad nos peruenerunt. ex eo enim fluxerunt cum liber Sangallensis [cf. Thilo l. l. p. LXV sqq.], tum recentiores codices omnes, inter quos Monacensis c. lat. 802 [M] summum optinet locum. ex eodem Vaticano prouenit

etiam codex Carrionis, de quo mihi paucis agendum est. in Valerii enim editione a. 1565 Antuerpiae emissa Ludouicus Carrio codice quodam Belgico ante sexcentos annos exarato se usum esse affirmauit plurimasque ex eo lectiones in medium protulit. quas lectiones cum saepe emendatiores eis quas Vaticanus praebet esse uiderent, haud pauci uiri docti Carrionis librum summi esse faciendum censuerunt. cuius opinionis acerrimus nuper defensor extitit Gustauus Meyncke, qui in quaestionum Valerianarum parte priore de hac re sane et diligentissime et accuratissime disseruit. et erat cum huius disputatio mihi imponeret. sed enim iterum iterumque examinatis singulis libri Belgici scripturis ad sententiam plane contrariam perueni. nam paucae quas habet ille bonae lectiones ita sunt comparatae ut facillima coniectura ex ipso V elici potuerint. his autem paucis bonis scripturis obstat permagnus numerus lectionum pessimarum quaeque ueri tantummodo specie quadam fallant. plerumque enim certissimis argumentis interpolatorem agnoscimus qui Vaticani memoriam deprauatam utcumque emendare studuerit. in quo emendandi negotio, etsi interdum feliciter, multo tamen saepius auersis Musis uersatus est corrector iste, quin haud raro loca sanissima praue adtemptauit. horum aliquot Meynckius l. l. p. 8 composuit. qui cum inde, quod his locis emendandi nulla appareret causa, concluderet Carrionis codicem saepe scripturas praebere proprias neque e Vaticano pendentes, oblitus est quam saepe saeculi XV docti Itali mera coniectandi libidine acti uerba tradita immutauerint necessitate cogente nulla. cuius rei unicum proferam exemplum, Panegyricorum latinorum codicem Vaticanum 1775. cuius corrector ut haud pauca librariorum uitia egregie emaculauit, ita et plurimas corruptelas pessime temptauit et haud raro scripturas nulli suspicioni obuias uiolentissime mutauit. et hercle tales coniecturas e mera mutandi prurigine natas in quouis fere saeculi XV codice deprehendere licet. non possum autem accedere Ieepio aliisque qui, cum excerpta

Parisina saec. XIII [Thilo l. l. p. LXXXV] cum Carrionis codice duobus locis consentire uiderent, hinc eum non ex Vaticano ortum esse statuerunt. nam excerptorum istorum eadem est indoles atque libri Belgici: nimirum in utroque maculae antiquitus traditae, quoad eius fieri potuit, sublatae sunt. itaque quod C cum Parisinis excerptis I 330 pro Vaticani lectione 'paucis' praebet 'raucis', id quam facile ab utroque correctore inueniri potuerit apparet. quod autem uersu insequenti C et Paris. pro inepto illo 'cretamque' reposuerunt 'polumque', id quoque in utroque ex qualicumque coniectura secundum locum Statianum [Theb. XI 67] natum est. nam et florilegii Parisini excerptorem et codicis Carroniani interpolatorem Statium bene nosse potest demonstrari. itaque omnibus libri Belgici lectionibus diligentissime perpensis eum nihil aliud esse quam Vaticani apographum docti cuiusdam Itali manum emendatricem passum Thilonem Schenkeliumque secutus nunc censeo. non tamen Carrionem ipsum fraudem fecisse, sed deceptum esse eo quod codicis scriba saeculi decimi scripturam imitatus esset (id quod aliquotiens saec. XV factum esse constat), probabiliter statuerunt eidem.

Codicem igitur Vaticanum unicum in restituendis Valerii uerbis ducem habeamus. tantopere autem ille deprauatus est, fere nullus ut uersus a corruptela sit immunis. quamquam non is qui V exarauit plus solito peccauit; nam hic, ut erat homo linguae latinae paene ignarus, depinxit magis quam descripsit litteras traditas; itaque quae huic debentur uitia sanatu sunt facilia fere omnia. sed enim corruptelae labes inde ab antiquo aeuo serpens summam paulatim stragem iam ante libri V tempora ediderat. et pleraque quae scriptores antiqui contraxerunt menda iam in ipsa antiquitate esse orta hodie fere scitur. neque solum stupidum scribarum genus mera uocabulorum monstra procreauerat multosque uersus praue omiserat, sed etiam grammatici cuiusdam curae criticae in ipsum uerborum contextum sunt receptae. quamuis

enim fuerint qui interpolationibus Argonautica deformata esse negarent, mihi tamen de hac re plane constat. sic ex. gr. non potest non referri ad criticum quendam quod post uerba corrupta mancaque [VII 201] 'hoc satis ipse etiam spectare supremos' hic in V legitur uersus 'ei mihi necasus etiam spectare supremos'. aliis quoque locis tam aperta est res ut nemo, nisi forte caecus, non agnoscat. itaque, ut nonnumquam a diligenti eorum quibus V maxime laborat uitiorum obseruatione, ita maxime a domina illa atque regina ratione et ab accurata sermonis poetici notitia carminis Valeriani progredi debet emendatio. sed hac in parte post Heinsium parum praestiterunt. nam Thilo, qui anno h. s. LXIII Valerium edidit, eo quidem quod primus libri Vaticani scripturas omnes accuratissime adnotauit bene de poeta nostro meruit, sed de his meritis multum detraxit ipse, cum librariorum uitia apertissima plane neglectis eis quae latinitas quaeque ratio posceret atrocissime in prolegomenis defenderet plurimisque uulneribus foedissimis Argonautica relinqueret hiantia.

Thilonis operam qui ex parte corrigerent deinde extiterunt; nam patefacta iam librorum memoria complures ad emendandum carmen adtulerunt symbola. quorum e numero ante omnes cum honore commemorandi sunt Gustauus Meynckius, qui et in quaestionibus Valerianis Bonnae a. 1865 editis [I] et in dissertatione Musei Rhenani uol. XXII inserta [II] commenta egregia protulit haud pauca, et Philippus Wagnerus, qui ut ante Thilonis editionem in Philologi uol. XX [I] ita in censura illius [Fleckeis. annal. 1864; II], etsi interdum nimia uiolentia rem egit, quaedam tamen uitia optime sustulit. neque Hauptius [in Hermae uol. III. IV. VIII] et Madùigius [Aduers. II] inutiliter de Valerio disputauerunt. denique sua laude non fraudandus Loehbachius [in duobus gymnasii Antonnacensis programmatis]. omnium uero infelicissime, ut omnino in poetis latinis, ita in Argonauticis emendandis uersatus est C. Schenkelius, qui quae in editione sua e

Weidmannorum officina a. 1871 emissa in textu mutauerat ea commendare ac stabilire studuit in proprio libello cui inscripsit 'Studien zu den Argonautica des Val. Flaccus.'

Itaque cum restare uiderem ut tandem Argonautica detersis maculis talia fere qualia a poeta essent edita restituerentur, equidem uiam ab Heinsio optime olim initam ingredi nullus dubitaui. neque, si certa medela non esset in promptu, ad coniecturas dubias confugere et uiolentioribus interdum mutationibus uti sum ueritus. quod qui carminis corruptionem ingentem habent cognitam non uituperabunt. lectionis autem uarietatem adieci nullam, cum eis qui quid antiquitus traditum sit accurate cognoscere uelint selectus quem uocant apparatus criticus (qualem solum, nisi Thilonis copias expoliare uolebam, dare potui) nihil omnino prosit, ei autem qui legendo carmen gustaturi sint facile illo careant. itaque in eis quae iam secuntur pagellis tantummodo quibus locis a Thilone recesserim quam breuissime indicabo causis, nisi ubi ex re uisum est, non adiectis; has enim lectores attentos et poetarum latinorum gnaros facile deprehensuros esse ipsos confido.

I 11 *ueterumque faue ueneranda canenti facta uirum.* non perspicitur cur ueterum facta audiant 'ueneranda', cum praesertim Valerius alias plane diuerso modo de eis iudicet: cf. III 15 'tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio, pande uirum' et V 217—221. senserunt id anteriores critici reposueruntque 'memoranda'. scribendum potius 'uenerande'; cf. VIII 181 'meminique, o Tiphy, tuorum saxa per illa, pater, memini, uenerande, laborum' et auctor Culicis 29 'Octaui, uenerande, meis adlabere coeptis, sancte pater'.

13 *Solymo ac nigrantem* scripsi: *Solymo nigrantem* codd. asyndeto plane intolerabili. de 'ac' traiecto cf. VI 599 et VIII 400.

15 *delubraque centum* Hauptius, Herm. III 214: *delubraque genti* codd.

18 sqq. *neque enim Tyriis Cynosura carinis certior aut Grais Helice seruanda magistris, seu tu signa dabis seu te duce Graecia mittet et Sidon Nilusque rates.* ita fere codd. mirum autem est quam uiolentis remediis horum uersuum corruptelam tollere studuerint docti. optima autem eademque lenissima mutatione Gronouius [obs. I 18] dedit 'si tu signa dabis'. idem quod deinde 'si te duce' reposuit, id uero non laudamus. nam aperte ultima uerba opponuntur prioribus. itaque 'sed te duce' posui. postquam autem 'sed' in 'seu' abiit, paene consectarium erat ut etiam prius illud 'si' traheret labem.

39 *occupat et fictis dat uultum et pondera dictis.* iure optimo offenderunt docti homoioteleuto illo 'fictis dictis'. praeterea illud 'uultum et pondera' a latinitate suspectum est. itaque scripsi 'et ficti dat uultus pondera dictis'; cf. Manilius [V 452] 'frontisque ac uultus componit pondere mentes'. — 'et' addiderunt post 'uultus' uocis deprauationem.

41 'daque manum' Heinsius perprobabiliter.

49 *lacera adsiduis tumque* scripsi: *lacera adsiduis namque* V.

51 *ut pendere* scripsi: *uel pendere* V sine sensu. quod cum sentiret Maduigius, minus bene 'tu' reposuit.

58 sqq. *talibus hortatur iuuenem, propiorque iubenti conticuit, certus Scythico concurrere ponto Cyaneas, tantoque silet possessa dracone uellera.* post illa 'talibus hortatur iuuenem' admodum friget illud 'conticuit' tam nude positum. expectamus autem, ut ad 'silet', ita ad 'conticuit' additum esse obiectum quoddam. itaque, cum V praebeat 'certis', scripsi 'conticuit certas'. — 'Cyaneae concurrere certae' noto graecismo pro 'Cy. quae certe concurrent'; cf. Silius Italicus [XV 493] 'superari certior hostis'. — ceterum adnotatu est dignissimum, saepissime in V 'i' et 'a' uocales confusas esse; cf. I 17 'Tyrias—carinas'; 227 'ambige'; 429 'saluasque'; 619 'actus' 730 'sacri'. II 197 'adglomerit'. III 48 'oris'. IV

20 'silua'; 269 'trepida'; 702 'primis — oris'. V 411 'infrangitur'; 470 'moranti'; VII 102 'infida', alia.

63 *et dabat externo liuentia mella ueneno.* quidquid dicunt nonnulli, corrupta est uox 'externo'. lubet autem hic notare hominis cuiusdam imperitiam simul et coniectandi temeritatem. nuper enim Gustauus Hartelius [in ann. gymnas. Austriac. 1873 p. 144] confidenter 'ex tetro ueneno' reponendum ait. nimirum et a uocabulo 'taeter' ut optimum quemque poetam ita Valerium abstinuisse et illum praepositionis 'ex' usum Cypriano aequalibusque quam Valerio digniorem esse egregie ille nesciit. equidem omnino non uideo causam cur reicienda sit optima Eyssenhardtii coniectura 'interno'.

66 *scrutans tum* scripsi: *sectantum* V. nam cum olim 'sectans tum' coniecerim, hoc iam concedo Maduigio, sectandi uerbum non habere quaerendi notionem.

68 *currus et quos fren. drac. creditur* Hauptius [Herm. III 212]: *curru saeuos fren. drac. creditus.*

73 sq. *an socia Iunone et Pallade fretus armisona superet magis et freta iussa capessat.* ineptissimum est 'superet', quippe quod illud 'capessat' praecedere nequeat. neque uero ab Iasonis uoluntate pependit maria superare, id est, feliciter peruadere. scripsimus igitur 'speret magis'. nam sperandi uocabulum absolute positum habes apud Statium [silu. I 2, 78] et Iuuenalem [IV 57]. — 'magis' est nostrum 'uielmehr'; cf. quae dixi ad Sulpiciae u. 40.

89 *ictu* scripsi: *igni* V absurde.

90 *tingent* Vossius: *cingent* V.

99 *poscere quos reuehat rebusque in saecula tollat* reuectionis commemoratio hic plane importune fit. cum 're' et 'que' aliquotiens in libris mss. locum mutasse sat constet, dedi 'quosque uehat'. deinde Burmanno auctore 'in sidera tollat' reuocaui; cf. Verg. Aen. III 462 et Valerius IV 555.

105 malim 'laude canunt uisi'.

110 non recte offensus est Phil. Wagnerus [II p.

383] illo 'uelit ille quidem', quod ex Valerio excripsit Statius [Theb. VI 477].

130 *hic insperatos Tyrrheni tergore piscis.* ita Gronouii ex coniectura nunc scribunt, cum V 'spectes etenim' ita habeat ut litterae 'ctes etenim' manu secunda sint additae. quid V a prima manu habuerit, docent eius apographa M et P tum confecta, cum ille nondum correctoris expertus erat manum. itaque cum M 'sperata', P 'insperato' (ita ut 'in' additum et 'o' ex 'a' a m. sec. correctun sit) habeat, antiquitus 'hic sperata Tyrrheni' traditum esse dicemus. quam scripturam sanaui inserta uoce huic loco aptissima 'diu'.

132 *ipsa* addidi: om. V. 'illa' edd. ex C.

135 *nitidis* scripsi: *nudis* V languidissime. 'niueis' Hemsterhusius.

147 *adclinisque tapetis in mediis uacuo condit caput Hippăsus auro.* haec uerba non uno nomine suspecta sunt. nam quod Heinsius ad illud 'in mediis' subintellegit 'Lapitharum et Centaurorum', acciperem si pugna non praecessisset. nunc cum alios fugae se dedisse, alios necatos esse paulo ante narratum sit, non potest ita intellegi illud 'in mediis'. quod cum neque cum uerbo praecedenti 'tapetis', quippe quod ab 'adclinis' uoce pendeat, coniungi queat, corruptum esse statuemus. latet autem in eo epitheton, nisi fallor, Hippasi. itaque indubitanter scripsi 'inmensus'. porro ineptum est 'uacuo auro', id quod egregie sensit Eyssenhardtius [mus. Rhen. XVII 379]. cuius rationibus hoc addo, Hippasum non prostratum in tapetis, sed adclinem tapetis, scil. parietinis, dici. itaque statuendum esset iocandi causa a Centauro quodam illius capiti uacuum poculum esse impositum. quod sane absurdissimum est. equidem, siquid noui Valerium meum, eum scripsisse affirmo 'inmensus uacua condit caput Hippasus aura', quibus uerbis inmane Centauri corpus egregie depingitur. fortasse tamen uituperandus est poeta quod num Hippasus ex

uulnere laborans an uero temulentus parieti se acclinauerit non accuratius enarrauit.

149 *haec quamquam miranda uiris stupet Aesone natus*. frustra haec uerba defendit Thilo [praef. p. XXXIII]. nam quod stupendi uerbo notionem 'adtonitum esse' subesse dicit, oblitus est Valerii usum dicendi. qui 'stupere ad' uel 'stup. in' dixit ad exprimendam eam quam Thilo h. l. agnouit notionem [cf. I 262; IV 712; V 375]; 'stupere aliquid' nihil nisi 'mirari' significat. quid autem tam dirum illa nauis pictura habuit ut eis adtonitus redderetur Iason? itaque nullus dubito quin librarii offucias fecerint poetae. qui non potuit nisi haec fere scribere: picturas illas licet pulcherrimas nihil plane curasse Iasonem utpote curis iactatum. emendaui itaque 'haec quamquam miranda nihil stupet Aesone natus'.

152 *num* Sabellicus: 'nunc' V.

156 *motanti* scripsi: *conanti* V.

174 *nec passus rex plura uirum*. '*sat multa parato* eqs. non potest absurdius fingi illo 'sat multa'. nam aut una certa res aut omnia in nauigationem necessaria ut pararentur potuit iubere Acastus. et ut traditum 'multa' per se languidissimum est, ita addito illo 'sat' plane fit intolerabile. cum V tradat 'stat', Valerio reddidi 'uirumst, at'. deinde pro 'multa' id quod sententia flagitat 'cuncta' reposui.

183 *rapidos* scripsi: *auidos* V inepte.

199 *auet* codex Harlesii: *tamen V*.

206 *escendit* Heinsius: *aescendit* V.

213 *sedem* scripsi: *legem* V nimia breuitate; cf. V 538.

223 *quem circum uellera Martem aspicio?* rectissimo usus iudicio haec in suspicionem uocauit Meynckius [I p. 33 sq.]. cuius argumenta non credo fore ut quis refellat. eiusdem tamen coniecturam licet ingeniosam 'quod circa uellera monstrum' non possum probare propterea quod, cum Iasonis in impetrando uellere labor esset fere nullus,

eius rei a Mopso summas rerum uaticinato commemoratio fieri non potuit. non dubito quin uates bellum ex uellere aureo simul ac uirgine rapta inter Colchos et Graecos exortum paucis indicauerit. itaque scripsi: 'quem citum (uel 'excitum') uellere Martem aspicio'. nam quod nunc quidem participii 'citus' a forma 'cio' deriuati exemplum non suppetit, nihil curamus, cum inueniantur alia formae huius exempla haud pauca. ceterum cf. V 576 'tantis concita furoribus arma'.

226 *en* Aldina: *et* V.

227 *iamdudum minsas ambage ducemque terrificat.* ita fere V. et 'minsas' quidem recte in editionibus antiquis in 'Minyas' correctum est; sed ut lacunam explerent, uaria excogitauere docti. quod Heinsius, cui Thilo fere adstipulatus est, scripsit 'hac uates Minyas ambage', id neque ab externa neque uero ab interna probabilitate commendatur. neque enim addito illo 'uates' opus est, cum de Mopso sermonem esse ultro appareat. mihi intercidisse uidetur epitheton aliquod uocis 'ambage'. non puto autem reperiri posse quod et aptius sit et causam erroris melius declaret quam 'inuisa', certe facillime ante 'minsas' interlabi potuit.

230 *plenus fatis Phoeboque quieto.* de Idmone fatis pleno cum demum uu. 231—233 agatur, hic eius rei mentio praepostere fit. uerbis 'non pallore uiris, non ullo horrore comarum terribilis' oportet bina itidem membra opponantur quibus tranquillus pacatusque Idmonis status declaretur. itaque scripsi 'plenus pacis'. nam quod 'plenus' cum duplici casu coniungitur, in eo nemo prudens offendet; cf. Statius [silu. I 1, 15 sq.] 'iuuat ora tueri mixta notis belli placidamque gerentia pacem'; Ouidius [met. II 858] 'pacem uultus habet'.

233 *seu plenum certis interroget aera pinnis.* augures non aera, sed caelum interrogant. itaque pro 'interrogetera' unica syllaba duplicata scribendum est 'interroget etera', id est 'interroget aethera'. quod praeter loca a Burmanno adlata maxime comprobat Statius [silu. V 3,

181] 'praesagumque aethera certis auguribus', nisi quod hic ex Valerio pro 'auguribus' aperte restituendum est 'alitibus'.

242 *tantisque* Heinsius: *quantisque* V.

250 *hanc uero socii* ex V reduxi.

256 *ostendebat* M: *ostenderet* V.

265 *placitoque* Aldina, Heinsius: *placidoque* V.

274 sq. *Sol ruit et totum Minyis laetantibus undae diduxere diem* ex V restitui. solis occidentis lumen per mare spargitur. inde undas ipsas diem quasi diduxisse audacter sane Valerius fingit.

281 *mirantibus* Bentleius: *miserantibus* V. mirum est certissimam critici principis emendationem adhuc spretam esse. tum enim in itineris initio non erat cur miserarentur undae. an mali uenturi praesagae erant? nugae haec sunt. ceterum cf. Ouidius [am. II 11, 1] 'mirantibus aequoris undis' et Claudianus [in Eutr. II 164] 'mirantibus extulit undis'.

291 *rabido* scripsi: *rapido* V. 'uix credibile est etiam nunc magistros esse qui ut olim pueros doceant *rapidum* non esse celerem, sed rapacem' Lachmannus [Lucr. comm. p. 253] uerissime monuit.

293 *extentasque* Aldina: *extremasque* V. uide tabulas Campanas et emendationem istam plane necessariam esse credes.

302 *adstare* scripsi: *instare* V. sed astandi uerbum in talibus uisis nocturnis sollemne est.

306 *nunc* Kochius, ego: *dumque* V. — *tuto* Gronouius: *toto* V.

307 *incertumst* ego: *incertus* V.

308 *iam iam* ego: *iam nunc* V; cf. quae dixi de his uersibus in Fleckeiseni annal. 1872 p. 200.

319 *obruit* scripsi: *obruad* V; cf. ad I 58 adnotata. coniunctiuum quomodo tuearis non uideo.

331 *deficiam a Scythicum* scripsi: *deficiamus cithicum* V. deinde V hoc habet 'metuens potumque cretamque', quod in C et excerptis Parisinis ita est correctum [cf.

p. XI] 'pontumque polumque'. nullis autem artificiis umquam probabiliter explicabunt quomodo simplex illud 'polumque' in 'cretamque' potuerit deprauari. itaque hoc antiquitus traditum, illud uero ex qualicumque coniectura repositum esse pro certo habemus. equidem ex 'cretamque' recte elicuisse mihi uideor 'petrasque'. qua uoce post Ennium ex poetis usi sunt Statius [Theb. I 333] et Seneca [Herc. Oet. 808]; cf. Anal. Catull. p. 51.

347 *cedantque* P M a m. sec.: *cedamque* V.

389 *felixque* scripsi: *feleuis* V.

417 *et e clausis quem destinet Aeolus antris.* haec cum aperte sint deprauata, Vossius reposuit 'quam destinet Aeolus auris'. potuit leniore mutatione uerum restitui 'quem—austris'. nam austrum, ut alii poetae latini, ita Valerius pro quolibet uento posuit; cf. I 97 'inexpertos temptare parentibus austros' et II 52 'quantis, pro Iuppiter, austris restitimus'.

436 *hinc* edd. uet.: *hic* V.

443 *tuō* scripsi: *tuo* V inepte. cf. I 353 'laeuom'. IV 200 'saeuos'. IV 575 'ruont'.

445 frustra illud 'pendit' nimiae brachylogiae incusant Eyssenhardtius et Phil. Wagnerus; cf. IV 478 'scelerumque mihi nunc crimina pendi' et Lucanus [II 313] 'quidquid Romani meruerunt pendere mores'.

449 *panderet* (id est 'siccaret') scripsi: *penderet* V. 'perderet' edd. sine sensu. — ib. *mersos* Heinsius: *miseros* V. an 'madidos'?

457 *nec tibi* scripsi: *et tibi* V.

460 *ferit* Burmannus: *petit* V.

467 *condiderit* Heinsius: *perdiderit* V.

485 *ouans* Heinsius: *auens* V.

486 *horrentem in* Heinsius: *horrentem* V.

490 *quam* Burmannus: *cum* V. et est illud 'non aliter quam' ut Vergilio ita Valerio sollemnis locutio. sexcentiens autem 'cum' et 'quam' uoculae in codd. confusae.

491 *complexus* edd.: *compressus* codd. insolite.

493 *auerso* Aldina: *aduerso* codd.

494 *ut* V: *it* Eyssenhardtius.

501 sq. *una omnes gaudent superi uenturaque mundo tempora quaeque uias cernunt sibi crescere Parcae.* haec uerba cum uiri docti ex illa quam Valerius in transponenda copula 'que' aliquotiens sibi sumpsit libertate defenderent, operam oleumque perdidisse mihi uidentur. nam omnibus quae adtulerunt locis ita transposita est uox illa ut tamen scriptoris sententia facile perspiciatur. hic nemo nisi a Burmanno monitus intellegit hunc esse uerborum ordinem: 'una cum Ioue omnes superi gaudent et Parcae quae cernunt uentura mundo tempora et uias sibi crescere'. talem sententiam si poeta uoluit exprimere, non potuit id facere et obscurius et ineptius. nam unusquisque Romanus uerba sic ut nunc leguntur posita non potuit intellegere nisi ita quasi primum omnes dei, deinde tempora, tertio denique loco Parcae gaudia cepissent. ergo non integrum hunc locum aetatem tulisse apertum est. sed ex uariis quas proposuerunt coniecturis nulla ita comparata est ut ea poetae manus restituta uideatur. equidem, quotienscumque hunc locum legi, in eandem quam Thilo incidi suspicionem, nimirum in ipsa uocula 'mundo' latere corruptelae sedem. uidetur autem mihi Valerius, postquam omnes deos gauisos esse significauit, ea quibus maxima fuit laetandi causa numina nominatim adtulisse. quodnam igitur praeter Parcas numen debuit uentura tempora summopere laetari? Bellona, puto. et ad hanc paulo post Iuppiter dicit [u. 545] 'uia facta per undas perque hiemes, Bellona, tibi.' itaque scripsisse aio poetam 'uenturaque Enyo tempora'. iam recte illud 'uentura tempora' *ἀπὸ κοινοῦ* positum est iamque uoculae 'que' traiectio (pro 'Enyoque uentura tempora') conformis est ceteris exemplis Valerianis; cf. I 100, 103. II 224, 268 alia.

515 *ueris* Schraderus: *regum* V. an 'uerni'?

518 *auersis* Barthius: *aduersis* V.

524 *en teneros* scripsi: *et generos* V. quod inepte

defendunt locis qualia sunt Vergilii Aen. VII 98; 270 et XII 658.

528 sqq. *adfremit his quassatque caput qui uellera dono bellipotens sibi fixa uidet temptataque contra Palla* eqs. magna hic inter doctos dissensio est utrum ante an post 'temptataque' sit interpungendum. nam cum iam multo ex tempore Mars uellera sibi fixa uidisset, addatur oportet id quod tum eis fieri uidit. sed si scribis 'sibi fixa uidet temptataque, contra' particula 'que' plane abundat. neque id simili Valerii loco defenditur ullo. quouis pignore contenderim a Valerio uenisse 'sibi fixa uidet tempta, actaque contra'. de uoce 'acta' cf. ex. gr. Maro [Aen. X 63] et Val. II 247.

535 *cum* Pius: *cur* V.

549 *iam* Aldina: *nam* V.

551 *damna* Aldina: *dona* V. quod qui εἰρωνικῶς (cf. Verg. Aen. X 881) dictum putant, neglegunt post illa 'gemitus irasque pares' id nullo modo fieri posse.

552 malim 'quot ad Troiam stantes hiberna Mycenas'; certe traditum 'flentes' admodum mirum est.

554 *ut* Heinsius: *et* V.

563 intacta reliqui quae tradita sunt 'me primum regia mundo — imposuit'. nam neque quae alii coniecerunt neque quod ipse olim proposui, ad persuadendum sunt apta.

537 malim 'emensus terras'.

581 *totidem* Aldina: *totiens* V. postquam in 'totidē' syllaba ultima ante 'demissa' intercidit, mutilum illud 'toti' crassa Minerua correxerunt.

582 sq. *nec scopulos aut antra minor iuxta altera tellus cernitur; illam Acamas habitat nudusque Pyragmon.* nullam fuisse alteram in uicinia terram minorem, quid nostrum interest scire? expectamus fere a Valerio expositum, non aeque periculosam fuisse alteram terram. lege 'minax iuxta'; cf. Maro [Aen. I 162] 'geminique minantur in caelum scopuli'. sed de scopulorum immanitate iam dixit poeta uu. 579—581; restat ut quonam

modo 'antra' fuerint minacia explicetur. itaque pro 'illam' legendum est 'illa'.

594 *cohibere* Heinsius; *prohibere* V.

600 *bello* scripsi: *uelo* V ineptissime. illud 'bellum' saepe Valerius pro 'manus armata' posuit; cf. I 551 sq. VII 627. VIII 138; 427.

606 malim 'iam tu hominum'.

609 *ualido contortam* edd.: *ualidam contortam* V.

637 *aspectu in misero uotis* scripsi: *aspectu in misero tota* V. Maduigius 'asp. uota in misero' proposuit.

649 *iam* edd.: *tam* V.

653 malim 'madido grauis aura sinu'.

662 *Salmoneus, nondum ille furens, cum fingeret alti quadrifida trabe tela Iouis.* non possunt haec per latinitatem aliter intellegi quam Salmonea tum cum Iouem aemularetur nondum furentem fuisse. itaque scribendum esset 'nondum ille furens qui (uel 'ut') fingeret', nisi alterum subesset incommodum. Iouis enim fulmen non quadrifidum, sed trifidum fuit. parum autem credibile est Salmonea adeo mentis expertem a Valerio fingi, ut uel in insignibus Ioue maiorem se gestaret. genuinum esse puto 'nondum ille furens tum, fingeret alti qui trifida trabe tela Iouis'. — quod reposui 'qui' firmatur loco Vergiliano [Aen. VI 590] 'demens qui nimbos et non imitabile fulmen — simularet'.

671 *ut superum sic staret opus.* quod cum a grammatica ratione non possit stare, dedi 'sic constet'. nam ubi 'ē' post 'sic intercidit, ex 'stet' metri causa fecere 'staret'. — 'necessum' deinde scripsi, cum quod V praebet 'uicissim' non possit coniungi cum 'habet', nihili autem sit quod Schottus proposuit 'pontus auet'.

678 *pascet* Pius: *pascit* V.

680 *tantus nostras condere per urbes.* neque 'tantus' quo referatur habet neque ex eo quod V praebet 'concede' recte Heinsius fecit 'condere'. nam 'deum condere' pro 'deo statuam ponere' ab omni latinitate abhorret. itaque reposui 'sanctus nostrasque colere per urbes'.

681 *sequuntur* Aldina: *sequentum* V.

699 *futura* scripsi: *futuris* V. ex 'futura' primum 'futuri' (cf. ad I 58), deinde 'futuris' factum est, ut IV 20 pro 'siluis' in V legitur 'silua'.

702 *famuli* scripsi: *animi* V.

724 *casusque pares* scripsi: *casusque parens* V.

744 *factis* scripsi: *fatis* V.

749 *quin rapis hanc animam et famulos citus effugis artus.* carent haec sensu idoneo. nam quod Pius uocem 'famulos' explicat 'seruientes corporeis perturbationibus', eiusmodi sententia quam maxime ab hoc quidem loco aliena est neque antiquae cogitandi rationi conuenit, ut rectissime monuit Eyssenhardtius [l. l. p. 383]. Burmannus autem qui 'famulos artus' dicit esse 'qui Peliae famulabuntur', oblitus est, ut alia mittam, Aesona non famulaturum, sed interficiendum fuisse. sed ut mendum, quod uersus ille procul dubio contraxit, remouerent, parum probabilia protulerunt docti. restitui 'famulos citus effugis ictus', id est, famulorum ictus, ut simillime habes II 268 'hederis famularibus', Ouid. am. II 7, 21 'Venus famula'; Lucan. IV 207 'dextrae famulae'. — hic quoque mendum prouenit ex litterarum 'i' et 'a' confusione; simillime u. 619 ex 'ictus' in V 'actus', deinde in P 'arctus' factum est.

753 *furor* scripsi: *fragor* V, quod praue et sine exemplo pro 'fama' positum autumant.

755 'uestemque penusque sacerdos' Maduigius.

757 *quasi* scripsi: *quam* V. 'ceu' Burmannus. saepissime 'quam' et 'quasi' in codd. confusa. — *cunctatur* Thilo: *cunctatus* V.

758 *rictumque gemens* Columbus: *rictuque genas* V, quod male defendit Thilo proleg. p. XIX.

768 *quae fata* Pius: *quo fata* V ex priore 'quo fine'.

De uersibus 779—784 saepe mihi cogitanti semper tutissimum est uisum redire ad Thilonis sententiam ab ipso postea nimia quadam timiditate spretam qua uu. 779 sq. Valerio abiudicauit, 781—784 traiecit post

u. 816. uidentur autem illi additi ab homine quodam qui unde taurus ille tam subito apparuerit paucis uoluit explicatum. interpolatorem utique produnt illa 'gentis de more nefandae' praue a nonnullis defensa.

789 *consiliis* Phil. Wagnerus I p. 630: *conciliis* V.

797 *meriti* Heinsius: *meritis* V.

808 *incognita* Aldina: *incondita* V.

810 *non Marte nec annis* scripsi: *non Marte nec armis* V nimia tautologia.

811 *praedo* scripsi: *precor* V sine sensu. admodum praedonis uocabulo delectatus est Valerius.

812 *quin—quin* C: *quae—quae* V. — *cura* Phil. Wagnerus I p. 631: *cara* V.

815 *iunctae* scripsi: *cunctae* V.

782 *Auerno* scripsi: *retro* V. 'rite' Hirschwaelderus.

822 *peste* Maduigius: *ueste* V.

833 *hic geminae aeternum portae.* suo iure Phil. Wagnerus [II p. 406] 'aeternum' illud a Valerio scriptum negauit. non recte autem 'alternant' reposuit, cum talis uerbi 'alternare' usus nullis possit stabiliri exemplis. neque melius se habet quod excogitauit Ludouicus Ieepius [ind. philol. V p. 150] 'infernum'; quod cum 'inferna' uocis genetiuum uult esse, neglexit poetarum latinorum sermonem; cf. L. Muellerus [d. r. m. p. 378, 384]. itaque, dum melius praesto erit inuentum, retineo quod olim proposui 'geminae numero portae'; sic certe Ausonius [p. 60 ed. Bip.] 'et geminas numero portas' loci nostri fortasse non immemor, quamquam etiam Vergilius [VII 607] 'sunt geminae belli portae' similiter dixit.

848 sq. *tum porta quanta sinistra poena docet maneat Pelian, quo limine monstrat.* uerba 'quo limine' post illud 'porta sinistra' plane intolerabilia sunt. secutus est autem Valerius hoc loco Vergilii descriptionem similem [Aen. VI 548 sqq.], ex quo [565] etiam illud 'poena docet' repetitum est. itaque reposui 'quod limine monstrum'; intellegitur enim Tisiphone, de qua post poenarum descriptionem haec habet Maro [uu. 574 sq.] 'cernis

custodia qualis uestibulo sedeat? facies quae limina seruet?' minus enim placet quod itidem in mentem uenit 'quae (scil. poena) limine (scil. maneat) monstrat'.

851 *et contra* scripsi: *et loca et* V sine sensu.

II 16 'uetus ecce deum' eqs. Meynckius [I p. 34 sq.] non male coniecit. sed illud 'deum' Valerius, ni fallor, pariter ad 'metus' et ad 'bello' pertinere uoluit.

19 'quos scopulis saxisque parens' idem ibid.

53 *quanta quotiens et Palladis arte.* errant qui illud pro 'quanta et quotiens' positum putant. nusquam enim 'et' traicitur, si singula uocabula iunguntur, sed tantum in integris enuntiatis copulandis. puto poetam dedisse 'en Palladis'. nam de coniunctis 'quanta quotiens' cf. Peerlkampius [Hor. III 19, 7].

61 *mens stat* Heinsius: *monstrant* V.

62 *talis* scripsi: *tantus* V.

70 'et amico robora Baccho' Meynckius [I p. 37].

72 *iamque sub Eoae dubios Atlantidis ignes albet ager.* non potest 'sub ignes', id est paulo ante solem orientem albere ager, sed ipsa Aurora iam exorta eum facit albentem. neque quo iure Aurora 'Atlantis' uocetur scio. V 'altantidis' exhibet. scribe 'sub Eoae dubio Pallantidis igne'; cf. Ouidius [met. XV 700]. — et 'Pallantidis' restituendum esse Maduigius quoque agnouit.

79 *dilecta fauores* scripsi: *defleta labores* V inepte; neque enim unica uirorum Lemniacorum caedes a poeta uocari potest 'uarii labores', ut mittam eam rem tangi uerbis quae sequuntur 'nec te furiis et crimine matrum'. — 'dilecta' iam Thilo inuenerat; cf. Hor. od. I 30, 2.

94 *rursus* scripsi: *rudici* V *reduci* M P.

102 sq. *neque enim alma uideri iam tum ea cum reti crinem subnectitur auro.* foede haec uerba corrupta. nam et ex uerbis 'iam tum' alterutra abundat et illud 'cum reti' intellectum habet nullum. itaque cum uox 'alma' indigere addito quodam mihi uideretur, pro 'iam tum' rescripsi 'uultum'; deinde adsumpto quod apographa

nonnulla pro 'reti' exhibent 'tereti' restitui 'nec tereti'. summopere autem gauisus sum cum has emendationes olim factas confirmatas uiderem loco Statiano [Theb. V 62] aperte non sine recordatione Valerii scripto, ubi Venus in Lemnon descendens 'nec uultu nec crine prior' audit.

107 *quo* Burmannus: *qui* V.

111 *his* (scil. nuribus) scripsi: *et* V. 'en barbara uestis et torques, insigne ducis' Meynckius [I p. 37]. — quod Valerius torques uocat 'insigne loci', mihi semper adhiberi posse est uisum ad emendandum Horatium [od. III 6. 12]: 'et adiecisse praedam torquibus indigenis renidet'. nam id quidem egregie sensit Peerlkampius perlanguidam esse traditam lectionem 'torquibus exiguis'.

121 *augentem* scripsi: *audentem* V. 'auditam' Thilo coniecit.

133 *rabidas* Bononiensis: *rapidas* V.

136 *ad* Carrion: *ac* V.

146 *stimulatur* scripsi: *famulatur* V.

151 *aliis* Heinsius: *tales* V; cf. Meynckius I p. 32.

160 *derepta* Vossius: *directa* V.

181 *aufugiens* scripsi: *aut fugiens* V.

191 *funestaque* Schenkelius: *festinaque* V. 'infestaque' Marklandus, Schraderus, alii.

201 *pulsus* Peerlkampius: *primus* V.

202 *pauet* Hauptius [Herm. VIII p. 180]: *palus* V.

207 malim 'ut prima boatu'.

213 *adrectaque coma* scripsi: *adrectasque comas* V. 'adrectisque comis' Peerlkampius.

215 *et cunctantibus inuenit enses.* uox 'inuenit' cum aperte nihili sit, Heinsius 'ingerit' reposuit. sed nimis hoc ambiguum est; cf. VI 230. itaque reposueram 'inserit ensem' propter apertam Statii imitationem, apud quem [Theb. V 230] in eadem historia Venus 'adstitit impellitque minis atque inserit ensem', cum ex Harlesii adnotatione discerem ita iam Herelium [epist. crit. p. 69] coniecisse.

219 *cartas* scripsi: *noctes* V. 'uoces' Marklandus.

220 *artus* Meynckius II 363: *aditus* V.

221 sqq. *pars ut erant dapibus uinoque soporos, pars conferre manus etiam magnisque paratae cum facibus, quosdam insomnes et cuncta tuentes.* non extat in toto Valerii carmine locus foedius corruptus. nam prorsus inepte hic feminae faces gessisse narrantur, quippe quibus enses a Venere datos esse e u. 215 sciamus. praeterea cur faces illae audiunt 'magnae'? quid uocula 'etiam' sibi uult? sed ut haec quamquam intoleranda patienter feramus, plane abundat illud 'quosdam', id quod uel Thilo agnouit [praef. p. XXXIV]. nihil autem ad remouendas has difficultates proficiemus litterulas mutando. nam si Heinsium et Phil. Wagnerum [II p. 395] secuti scripserimus 'paratos', prauissime ei qui manus conferre sunt parati distinguuntur ab insomnibus cunctaque uidentibus, cum potius insomnes arma sumpsisse dicendi sint. itaque sic quoque 'quosdam' uox non haberet explicationem. equidem agnouisse mihi sum uisus interpolatoris cuiusdam manum, qui, cum haec antiquitus tradita inuenisset 'pars ut erant dapibus uinoque soporos pars insomnes et cuncta tuentes', locum aperte lacunosum proprio Marte suppleuerit. iam si uerba illa accuratius intuemur, facile quale fere remedium locus ille desideret intellegimus. nam in illis 'pars ut erant dap. uir. soporos' uerba 'ut erant' plane praeter necessitatem addita sunt. quae tum demum habent locum, si restitues 'sopori' sequeturque uocabulum quo uirorum Lemniacorum status accuratius describitur. hinc traditum illud 'soporos' in duo uerba dirimendum est. si leges 'pars, ut erant dapibus uinoque sopori, ignaros, pars insomnes et cuncta tuentes', genuinam, ni uehementer fallor, Valerii manum restitueris. qui hic quoque Maronem [IX 345] secutus est: 'Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque ignaros, Rhoetum uigilantem et cuncta uidentem'.

233 *anhelo* Heinsius: *anhela* V. an 'aperta'?

236 *adstantque domos* scripsi: *adduntque domos* V.

— post haec uerba aperte intercidit uersus. nam cum pars uirorum effugere uoluisse dicatur, quid alteri parti factum sit scire cupimus. hinc suppleui 'pars inde uirorum consumpta in somno flammis'. nam librarius a priore 'pars' ad alterum aberrauit oculis.

243 *orsa* Heinsius: *ora* V. — *furentis* scripsi: *ruentis* V.

250 *laeti* scripsi: *laesi* V. 'saeui' Meynckius I p. 38.

259 *tholus* Fr. Jacobsius [addit. animaduers. in Athenaei Deipnosoph. p. 42]: *chorus* V, quod nuper inepte defendit Schenkelius [stud. p. 97].

270 *elatus* Heinsius: *uelatus* V.

271 *in niuea* scripsi: *niuea* V.

280 *occulerat* ex V restitui; cf. Phil. Wagnerus II p. 390.

post u. 283 unius uersus lacunam indicaui. uiri docti cum u. 284 traditum 'et' in 'at' uel 'sed' uel 'est' mutarent, non amouerunt nimiam qua locus laborat breuitatem.

294 *heu serum* ex V restitui.

317 *te anxia* ego, *Ceto* Heinsius: *maxima laetae* V.

318 *Phariis fert* Heinsius: *pharii se* V.

319 *uexisse suam iunctis* scripsi: *rexissuiasiniunctis* V; 'rexisse uias iunctis' edd. inepte. nam quod Ceto et Proteus olim ad insulam Lemnon iter rexerunt, quid inde de Polyxus origine coniectari potuit?

320 *haec imis* scripsi: *saepimis* V (praecedit 's').

322 *dextera* addidi: om. V.

323 *melior* Heinsius: *leuior* V.

337 *ob sacrum* scripsi: *hoc factum* V. ceterum num latine possit dici 'tacet fulmen' pro eo quod est 'tacet sonitus ex fulminibus cudendis oriens', de hac re admodum dubito. puto Valerium dedisse 'taceat iam numen in antro'.

338 *tum* scripsi: *cum* V.

352 *quo fata* Heinsius: *quae fata* V.

359 *unoque dei Pangaea sub ictu Gargaraque et*

maesti steterunt formidine luci. prauissime additur 'et maesti luci', cum quae in Pangaeis et Gargaris erant nemora formidine stetisse Valerius fingat. V exhibet 'maestis et erant', unde litterarum 'st' et 's' transpositione facta 'maesi steterant' euadit. et pro 'steterant' quidem recte Pius rescripsit 'steterunt'; pro 'maesi' autem nos dedimus 'Moesi'.

369 *dum metus* scripsi: *qui metus* V. 'quem metus' inepte edd., cum non de uno Thespiade, sed de omnibus Minyis agatur.

387 *pergula alit* scripsi: *terra iuuat* V. — *breuis in flexus piger angitur orbis* Withofius: *breuis in laeuos piger angitur orbes* codd.

394 *est* scripsi: *et* codd. 'it' edd.

412 *uiridis c. h. late* Meynckius I. p. 48 sq.: *uiridis c. h. tela* V.

413 *mediis refugit pater anxius umbris.* Thoantis in silua latibulum iam satis superque uerbis antecedentibus 'uiridis circum horrida late silua tremit' indicatum est neque hic, ubi fastigia rerum enarrantur, iterum habet locum. deinde, si hoc uoluit, Valerius aut 'in medias refugit pater umbras' aut 'mediis latitat pater umbris' scribere debuit. denique desideramus Thoantis super mare fugae commemorationem. hinc pro 'umbris' rescripsi 'undis'; qua emendatione recepta et illud 'anxius' melius intellegitur (cf. u. 300 'ille procul trunca fugit anxius alno') et aptus ad Idae commemorationem fit transitus.

414 *pars et frondosae raptus expresserat Idae inlustremque fugam pueri.* hic primum uocula 'pars', quantum equidem uideo, explicationem habet nullam. reposui 'contra'; qua uoce in similibus descriptionibus usi Vergilius [Aen. VI 23] et ipse Valerius [I 137]. deinde uocis 'raptus' corruptelam euicit Eyssenhardtius [l. l. p. 385]. sed propius ad litteras traditas quam Eyssenhardtianum 'saltus' accedit id quod mihi in mentem uenit 'tractus'.

439 *uati Samothraca* Schraderus: *uates amothraca* V.

440 *uale* Schraderus: *mane* V.

448 *locat trito* Heinsius: *leuat tracto* V.

450 *obtendit* Maduigius: *ostendit* V.

452 *attigit* edd.: *accidit* V.

453 *flebilis ut scopulis* scripsi: *flebili succedens* V.

454 *dubiumque* scripsi: *uacuumque* V inepte.

464 *umentia* scripsi: *surgentia* V. quoties mare uel leniter mouebatur, uirgo, utpote beluam appropinquare rata, lacrimas fudit.

465 sqq. *exanimum ueluti multa tamen arte coactum maeret ebur Pariusue notas et nomina sumit cum lapis.* mirum est neminem interpretum haec ex Vergilii [Aen. I 592 sq.] imitatione scripta esse animaduertisse. sed eo locus Vergilianus a Valeriano differt quod illic id quod fit, hic quod iam factum est designatur. nam Hercules uirginem in rupe pendentem tamquam operam aliquam artificis manu factam miratur. sed in hac comparatione claudicat primum uox 'tamen'. nam talis oppositio 'quamuis multa arte tamen coactum est ebur' prorsus absona est. lege 'tandem', quo uocabulo artificis labor adsiduus egregie exprimitur. deinde pro 'sumit' necessario scribendum est 'sumsit', propterea quod de re iam facta agitur.

469 *sors* Heinsius: *mors* V.

472 pro 'frequentes' malim 'recentes'; cf. V 455.

477 *tum* Phil. Wagnerus I p. 634: *cum* V.

479 *molibus* scripsi: *monibus* V.

493 *uasti* Heinsius: *capti* V.

519 *unda* scripsi: *umbra* V. — *inde* scripsi: *idem* V.

520 *uadis* Beckius: *rates* V. — *pronae atque* scripsi: *pronaeque* V. — *puppes* Gronouius: *turres* V.

526 malim 'et pallescens urere uirgo'; cf. qui Valerio obuersatus est Vergilius [XII 666 sqq.]

534 *ualidos* scripsi: *uastos* V.

550 *emersa* Heinsius: *emissa* V.

post u. 565 sine iusta causa lacunam statuit Thilo.

567 *tacitosque* Heinsius: *tacitusque* V.

569 *immolet ereptaque luat responsa pharetra.* per latinitatem 'luere responsa' nil significat nisi 'poenas dare pro responsis', quod hic absurdum est. ueri uestigium seruauit V 'eraptaque' exhibens. lege 'et rapta luat responsa'.

571 *auertere* Gronouius: *uertere* V.

576 malim 'tunc ultro plura'.

580 sq. *et ueteris tumulos praelabitur Ili Dardaniumque patrem.* nullo modo uocabulum quale est 'ratis' cogitatione adsumi potest; id quod bene sensit Peerlkampius [ad Verg. Aen. I 257]. postquam autem geminum 'tumulus' sollemni illa litterarum 'u' et 'o' confusione in 'tumulos' abiit, sequebatur ut nominatiuum 'Dardaniusque pater' in accusatiuum mutarent. simillime alicubi corruptus est Fronto, ut docui in Fleckeiseni annal. a. 1872 p. 634.

593 *domu* scripsi: *domus* V. 'domo' Heinsius uoluit; sed datiui 'domo' non inueni apud poetas latinos exemplum; nam etiam apud Horatium [epist. I 10, 13] restituendum 'domu'.

620 *Taurus* Withofius: *Ianus* V.

626 *gestamina* scripsi: *uelamina* V. — dicuntur statuae templo impositae lateque conspicuae.

641 *abdita* scripsi: *ardua* V.

642 *nec loca* Burmannus: *longaque* V. — pro 'iam' non male Heinsius 'tam' scripsit.

659 *aura* scripsi: *ira* V.

III 9 *oneratque superbis* Aldina: om. V.

11 *dederat picto et* Thilo: *dabat et picto* V.

13 *phaleras* Heinsius: *pateras* V.

25 *tunc* Aldina: *nunc* V.

33 *prima* scripsi: *prona* V. sed 'prona sidera' sunt cadentia; parum autem credibile est sub nouam lucem Argonautarum reditum pugnamque locum habuisse.

31 *Procnesson* ex V restitui; cf. Fleckeisenus in annal. suis a. 1872 p. 576.

35 *et te iam* M a. m. sec: *ecce iam* V.

39 *at qui* Phil. Wagnerus I p. 635: *atque* V.

49 *latet* scripsi: *patet* V.

65 *aegide* Heinsius: *aethere* V.

55 *tacitis* Heinsius: *tantis* V.

56 *illa* (scil. uox) scripsi: *ille* V.

63 *hinc ciet aere* scripsi: *indiciere* V. expressus est Maro [VI 165] 'aere ciere uiros'.

76 'uox peruigil armis' Maduigius sublato lacunae signo.

85 *sanguineũ* scripsi: *sanginae* V; cf. Aen. XII 322.

121 quamquam retinui Bentlei coniecturam a Thilone receptam, tamen mihi pro certo est, latere aliud quid sub litteris traditis 'in quo omen masere ministri'. et partem quidem ueri repperisse mihi uideor 'inque omen'; cf. Vergilius [XII 854]; 'masere' emendent feliciores.

125 *urbe* V: *arce* C.

133 *tentoque* scripsi: *totusque* V.

134 *aduersa—flamma* V, corr. Heinsius.

136 *comantem* scripsi: *comanti* V inepte. credas siluestrem aliquem hominem uidere. fax corpore superlapso comas spargit.

141 *dissecuit* Sabellicus: *disiecit* V.

143 *cadauere* scripsi: *cadauera* V. sed opima cadauera nulla sunt. et, nisi antiquitus 'cadauere' scriptum sumis, numquam quomodo 'Nestor' in 'nostro' sit deprauatum intelleges.

150 *natantia* Heinsius: *labantia codd.*

162 *disicit* restitui ex eo quod M (nam V uu. 146—185 omittit) praebet 'disicet'. non enim recte de hoc loco nuperrime egit O. Ribbeckius [comic. lat. fr. praef. p. XIV]. nam unum aliquam dissicere, id est in binas partes diuidere, recte dicitur; agmina dissipantur in omnes regiones.

169 *en duc* scripsi: *et nunc* codd. cf. ex. gr. Nazarii paneg. [p. 233, 3 ed. meae] 'donum noctis ducere quod' eqs.

170 *memorabile* Bulaeus: *mirabile* codd.

175 *fidem* Heinsius: *diem* codd.

181 *deseris heu* Heinsius: *desere nunc* codd.

223 *ausus* (uel 'actus') scripsi: *auditus* V.

227 *remersit* scripsi: *remensa* V. 'remersat' Maduigius. at praesens tempus nullum hic locum habet.

228 malim 'Eumenidum chorus'.

230 *uirtusque* Heinsius: *uirtute* V.

233 *placet atque* Peerlkampius: *placeatque* V.

278 *prensant* cod. Burmanni: *prensat* V.

284 sq. *et cuspidis ictus Aesoniae.* ita V tradit. sed enim cuspis Aesonia non potest alia esse quam ab Aesone derecta. accedit ad augendam suspicionem quod Valerio hic quoque obuersatus est Maro, apud quem [VII 756] 'Dardaniae medicari cuspidis ictus' et [XI 40 sq.] 'uulnus cuspidis Ausoniae' legitur. itaque cum sat mihi constet librarium archetypi aliquando 'Haemonius' et 'Aesonius' permutasse (cuius rei exemplum extra dubitationom positum praebet VII 17), rescripsi 'cuspidis ictus Haemoniae'.

222 *iubar. heu* Thilo: *iuuarint* V.

295 *talisne* Heinsius: *talisue* V.

298 *a! malus* addidi: om. V.

328 'quin te thalamis' Schenkelius coniecit. sed facillime, ni fallor, ex u. 327 suppletur illud 'te'.

335 *pecudesque* Loehbachius [II p. 8]: *pecudumque* V ex praecedente 'canumque'.

336 *funereae: fert* (uel 'dat') scripsi: *funereaeque* V.

346 *parenti* Maduigius: *parentis* V.

355 *repellat* scripsi: *refellat* V.

389 *suis* Peerlkampius: *suos* V.

392 malim 'fors scaeua'.

411 *accenderit* Burmannus: *ascenderit* V.

412 *adhibe* M a m. sec.: *adhibere* V. illud omnino

necessarium est uel ob apertam imitationem Vergilii [VIII 56] 'hos castris adhibe socios'.

416 malim 'placitis'.

420 *auersis* scripsi: *aduersis* V.

430 malim 'ast Argoa manus'.

440 *tergora* scripsi: *pectora* V. — *partim* Aldina: *partem* V.

444 *numerum* Withofius: *nemorumque* V.

467 *maria* scripsi: *nemora* V.

469 *tentat* scripsi: *tend* V ita ut quae sequuntur litterae nunc legi nequeant.

473 *fragor* scripsi: *labor* V inepte.

474 *retro* scripsi: *remo* V.

481 *ardentior* scripsi: *andentior* V, in quo saepe 'n' et 'r' litterae confusae. de producta uoculae 'Phoebus' ultima cf. II 225 'metūs adeo', III 234 'sanguīs exuberet', VI 152 'saeuūs honor', VI 305 'genitōr inquit', VI 572 'breuibūs ereptus'.

483 *euro* Maserius: *uiro* V.

500 *aethere* Francius: *aequore* V.

503 *moras* Burmannus: *nefas* V.

506 *astusque* edd.: *aestusque* V.

517 *debuerim* scripsi: *debueram* V.

524 *stricta et corytus* Reinesius: *et stricta myrtus* V.

527 *pulsa* M: *plausa* V.

537 *carus* scripsi: *clarus* V inepte. — *montesque* scripsi: *fontesque* V.

558 *quasi* scripsi: *sic* V. 'ceu' Heinsius. syllaba 'qua' intercidit post 'uaga', dein ex 'si' factum 'sic'.

560 *nil umbra comaeque turbauitque sonus* eqs. Hylae somnum (nam u. 557 'procumbere pro 'obdormiscere' positum est, ut etiam IV 20 et Verg. VIII 30) quonam modo turbauit siluarum umbra? reposui 'nil unda'. iam enim recte primum aquae labentis, deinde frondis siluestris sibilus commemoratur.

591 *discurrit* scripsi: *decurrit* V.

593 *uiri* Peerlkampius: *uiris* V.

595 *totas* scripsi: *notas* V.

599 'moraest' malim, cum 'moraes' sit in V.

613 *orsis* scripsi: *ausus* V inepte. quid enim periculi subiit Tiphys socios uerbis increpans? 'orsa' pro eo quod est 'uerba' poni uel pueris notum est.

622 *haec tum* scripsi: *nedum* V.

628 *dixerat at* Burmannus: *dixerat et* V. de formularum 'dixit et', 'dixit at' similiumque discrimine alias copiosius agam. — *erecta* scripsi: *freta* V absurde. non obstat autem emendationi nostrae quod quarto abhinc uersu iterum 'erigit' legitur. hanc enim certam apud poetas latinos regulam inueniri, ut tertio quoque uersu idem uocabulum tuto liceat repetere, alibi significaui. — ceterum id quod est 'studiis' non recte de factionibus intellexere.

638 *iā iurgia* scripsi: *iurgia* V. illam uoculae 'iam' iterationem ualde adamat poeta noster.

642 *ferat* scripsi: *gemens* V ex glossa (quae genuinam lectionem expulit), cum librarius illud 'sed socio quocumque' nimia breuitate dictum putaret.

646 *potioribus ille deteriora fouens.* rectissimo iudicio hanc librorum scripturam in suspicionem uocauit Eyssenhardtius. nam Thilo cum 'potioribus' pro ablatiuo quem grammatici uocant comparationis sumeret, oblitus est nullo modo tum carere nos posse addito illo 'quam'; quod habes eo quem ille contulit loco [VII 428]; cf. et Reisigii praelect. § 227 ibique Haasius. itaque eram cum, ut quocumque modo traditam lectionem defenderem, 'potioribus' dandi casu, quem uocant incommodi (= contra potiores), positum putarem. quod quam parum feliciter excogitarim, mox perspexi. nam fouendi uerbum, ut eius fert natura, non potest iungi cum datiuo nisi ita ut aliquid in alicuius gratiam foueri significetur. itaque, cum Eyssenhardti inuentum 'potior quibus' male se habeat, sine cunctatione reposui 'pro moribus'.

664 *pax* Heinsius: *fax* V.

670 *et ego et quocumque uoces qua tegmina ferro*

plura metam. corruptissimis his uerbis primum ita medendum est ut auctore Maduigio reponatur id quod et mihi olim in mentem uenerat 'en ego eo'. deinde pro 'uoces' non uideo quid aptius sit quam 'uoles'. porro ex 'tegmina' recte Heinsius elicuit 'agmina'. uocem autem 'qua' frustra adhuc temptarunt docti; ea enim duplicata legendum est 'quaqua'. denique illud 'plura' traxit corruptelam, cum nimiae sit arrogantiae plura quam Herculem agmina se straturum esse gloriari. litterarum transpositione facta scripsi 'quaqua agmina ferro rupta metam'; sic autem Maro [XII 683] rapido cursu media agmina rumpit'.

681 *solū* scripsi: *soli* V.

700 *prementibus* scripsi: *petentibus* V; cf. V 73.

703 *iuxta* scripsi: *uului* V.

732 *iacet* V: *tacet* Burmannus. — *fluctibus* Vossius: *flatibus* V.

734 *parenti* ex V reuocaui; cf. Dracontii Hylas in fine.

736 *solisque negat decedere siluis.* non uideo cur Hercules ex siluis desolatis decedere noluerit. lege 'solumque', id est, sine Hyla.

737 sq. *non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae terga dedit. sed et inde uiis* eqs. haec uerba deprauata non recte adgressi sunt uiri docti. ante omnia enim remouenda est uox 'dedit', quae neque ob sequentia tempora praesentia locum habet neque uero a sententia. quid enim? num, postquam gemitus dedit, in uiis sedet lea? putes eam, dum sedet, querelas edere. quamquam nec hoc rectum esset. nam circumcursare omniaque perquirere loca solent matres fetibus orbatae. itaque cum lea cum Hercule post Hylan frustra quaesitum tandem redeunte comparetur, scribendum est 'redit'; quam notionem aptissime sequitur illud 'sedet *inde* uiis'. deinde pro 'terga' cum Heinsio reposui 'aegra'; cf. IV 46. et facillime ex 'adempte egra' oriri potuit lectio tradita.

IV 19 *premens* scripsi: *ferens* V.

24 *frondibus in croceis et iniquae munere nymphae.* quid 'et' hic sibi uelit mente non assequor, cum illud 'munere' per appositionem ad 'frond. in croceis' accedere debeat. dedi 'inimicae munere'. nam cum 'inimicae' in 'iniquae' deprauatum esset, necessario 'et' inserebant. cf. II 224 'inimica diua'.

26 *haec sedes* scripsi: *haec fatis* V. 'heu fatis' Doruillius.

28 sq. *et iam mihi lumina caeli conciliat iungitque toros et fontis honores.* illud 'lumina' siue 'limina caeli' plane idem ualet atque id quod praecedit 'in arces Iouis accessus'. lege 'numina caeli'; nam expressus est Vergilius [Aen. I 78] 'tu sceptra Iouemque concilias'. — deinde 'frontis honores' reposui; quamquam cum 'toros' uox in V desit, non male Meynckius [I p. 40] coniecit 'iungit socios et fontis honores', coll. Ouid. met. XIII 949.

48 *uicta* Heinsius: *icta* V.

65 *fontes* Nodellius (cf. u. 71): *montes* V.

98 *at* scripsi: *et* V.

121 *perdere* scripsi: *pergere* V, quod locis plane alienis defendunt.

125 *ultra* edd.: *ultro* V.

130 *spreture* scripsi: *preme dure* V.

138 *patriae* M m. sec.: *patris* V.

140 *is* scripsi: *es* V.

153 *tantum* Burmannus: *tandem* V.

159 malim 'externas fato delatus ad oras'.

161 *nauemque* scripsi: *nomenque* V.

170 *quando* Schraderus: *frando* V.

175 *durent si* scripsi: *dura sic* V.

179 *die* Peerlkampius: *deum* V.

180 *fremibunda* Heinsius: *remibunda* V.

181 *hic* Aldina: *hinc* V.

201 *taciti* ex V restitui.

213 ante 209 posuit Schenkelius. — *en* inserui: om. V; cf. II 336.

212 *remeent* Bononiensis: *remeant* V.

218 *ne ferte preces* ex V restitui.

224 *Nelidaeque* Heinsius: *Nelidesque* V.

228 *ad* Meynckius [I 41 sq.]: *aut* V.

229 *rapitur* Meynckius [ibid.]: *labitur* V; cf. Statius [silu. I 1, 20].

230 malim 'aut sacrae laurus harenae'.

240 'celeras' Maduigius.

242 *tune'o* e V restitui.

250 *ec* scripsi: *haec* V. — *tergis* scripsi: *tauris* V ineptissime.

252 *per* scripsi: *post* V; cf. Fleckeis. ann. 1872 p. 203.

258 *at* Heinsius: *et* V.

259 *poenae* J. A. Wagnerus: *pugnae* V.

268 *protectusque* scripsi: *proiectusque* V absone.

270 *rabidum* Friesemannus: *rapidum* V.

273 *nubibus* e V restitui; quamquam malim 'mobilis', cum admodum dubitem, num 'nubibus' pro eo quod est 'in uentos' dicere liceat.

275 *summis m. diducere* scripsi: *summos m. deducere* V.

283 *robora* scripsi: *corpora* V.

287 *artificum notata. et manus.* ita V. quam scripturam ex parte sanauit Heinsius scribendo 'Aetna manus'. deinde uero pro 'notat' litteris 't' et 'n' transpositis emendandum est 'tonat'. quo uerbo ut Verg. [Aen. III 571 et VIII 418], ita Valerius alibi [IV 612] in eadem re utitur.

288 conicias 'trepidant'.

289 *laeuamque* Heinsius: *dextramque* V eodem uitio quod habes VII 169 alibi. nam praue traditam lectionem ex Vergilii Aen. X 810 defendunt; qui locus Valerio III 153 obuersabatur.

291 *quatit* scripsi: *rapit* V sine sensu.

297 *rabidusque uirum* scripsi: *auidusque uiri* V.

298 *tum caestu elatus* scripsi: *tunc caestu uelatus* V.

303 *at ut* scripsi: *enim* V.

307 *uerbere* scripsi: *uulnere* V.
308 *ceciditque manus* scripsi: *ceciditque malis* V.
309 *sanguine iāque* scripsi: *sanguineque* V.
333 *oraque* Schraderus: *armaque* V.
349 *admonitus* Peerlkampius: *admonita* V.
357 *tum* Iuntina: *cum* V.
364 *qua fraude* ex V restitui.
365 *iuuentos tenuisset* L. Muellerus [d. r. m. 392]: *iuuentus timuisset* V.
382 *ardentemque* Heinsius: *audentemque* V.
386 *carmina auena* scripsi: *carmina uena* V.
387 *respice cantus* e V restitui.
388 *iam iam* addidi: *om.* V.
392 *at* ego: *et* V.
393 *flagrisque* scripsi: *spirisque* V ineptissime.
405 *placida* scripsi: *pauida* V.
409 *torquens* Marklandus: *torrens* V.
411 *caeci* scripsi: *saeui* V.
417 *Phari* Carrion: om. V.
418 *uincta* scripsi: *cuncta* V.
434 *duce fertur* Peerlkampius: *defertur* V.
439 *ac uestri rebar sic tempora cursus.* ita V. quod nuperrimi editores non dubitauerunt Valerio tribuere, Vergilium [VI 690] eum imitatum esse putantes. equidem, qui imitationem tam absurdam a poeta nostro quam alienissimam esse pro certo habeam, locum Vergilianum a lectore quodam adnotatum esse et ita corruptelae ansam dedisse censeo. quid Valerius dederit, ex ipso discere potes, quippe apud quem legatur [II 139] 'tardi reputant quae tempora belli'. itaque rescripsi: 'ac uestri reputaui tempora cursus'.
449 *confectis* scripsi: *consuetis* V. 'completis' Hauptius [Herm. VIII 180].
477 *non* scripsi: *quod* V.
495 *pubes* scripsi: *nubes* V.
507 *sicut* Schenkelius: *sic ubi* V.
528 *pubis* Heinsius: *puppis* V.

536 *et longae* scripsi: *alongae* V; cf. Analecta Catulliana p. 42.

564 *cum uincula mundi ima labant, tremere ecce solum* eqs. Heinsius, cum bene uideret latere sub his uerbis comparationem, 'ceu — labent' rescripsit idque recepit Thilo. sed in hac coniectura offensioni utique est quod uerba 'tremere ecce solum, tremere ipsa repente tecta uides' nullo modo absolute possunt poni. quid enim Cyaneis cum tectis? itaque haec quoque uerba ad comparationem illam pertinere apparet. hinc emendaui 'quasi, uincula mundi cum ima labant, tremere' eqs. postquam enim 'quasi' post 'suas' interlapsum est, 'cum' traiecit is qui metro iam claudicanti uoluerit succurrere. — ceterum similiter de hoc loco statuit Schenkelius [stud: p, 14].

566 *aequora uertunt* scripsi: *aequora certant* V.

572 *fiet* scripsi: *fieret* V. eodem modo VIII 338 'succedet' in 'succederet' corruptum est.

596 *caeca tegitur c. campus* Marklandus, Burmannus: *saeua sequitur c. campos* V.

601 *huic* scripsi: *hic* V. — *fluento* Heinsius: *memento* V.

624 *sinite o precor* scripsi: *sileo precor* V. cf. Verg. X 15.

645 *deficere* Burmannus: *defigere* V.

646 *lapsi* Graeuius: *rapti* V.

651 *certe* ex V restitui.

652 *caecus erat* conieci: *Pe^r^culerat* V.

653 *certo* scripsi: *credo* V.

661 *sicut* Schenkelius: *sic ubi* V.

664 *artus* Friesemannus: *aures* V.

669 *feruet* scripsi: *pendet* V.

674 sq. '*sequor o quicumque deorum*', *Aesonides*, '*uel fallit*' *ait.* ita V. quae cum aperte sint deprauata, aut 'uel fallor' aut 'nec fallor' aut 'nil fallis' reposuere docti. sed tale additum, nihil se dubitare de ominis illius auctore, non conuenit Iasonem. quid fere postulet sententia,

ut saepissime apud Valerium, docet Maro [IX 21] 'sequor omina tanta quisquis in arma uocas'. itaque ex 'uel' elicui 'ciet'. deinde pro 'fallit' dedi 'altus'. nam adsurrexisse ad talia omina ueteres ex. gr. ex Vergilio [II 699] elucet.

681 *unda* Schenkelius: *umbra* V ex III 215.

702 *ora ubi* scripsi: *oscula* V inepte. 'ora pallentia' habes IV 490 sq.; VII 79.

705 *saeuum* scripsi: *serum* V sine sensu idoneo. 'uerum', quod Burmannus uoluit, mirum quantum languet. uides quam apte 'saeuus Phasis' et 'mites (contra naturam suam) Colchi' sibi opponantur.

709 *haec—manebant* scripsi: *et—manebant* V. cf. III 352.

715 *iunctus* Thilo: *quamuis* V.

716 *tot* scripsi: *et* V. plerique, inter quos nuperrime etiam Maduigius extitit, cum non intellegerent primum de Ponti latitudine, deinde de aquarum ubertate agi, praue de his uersibus disputauerunt.

718 *num* Slothouwerus: *non* V; ceteris uiri illius docti mutationibus non opus est.

719 *Nonasque* nondum correctum ex V restitui.

730 sq. malim 'primo nec uere profundum s. a. solis cum lux'.

734 *requirit* scripsi: *exquirit* V.

746 *habenis* Weytingkius ad Hom. Lat. p. 230: *harenis* V.

758 *inliso* Columbus: *inuiso* V.

V 3 *dudum conscius* scripsi: *tum non inscius* V; cf. I 238 sq.

35 *Aesonides* edd.: *Aesonidus* V.

38 *qui* scripsi: *quas* V.

55 malim '*tabentibus*'.

56 *extremis* scripsi: *extermis* V.

72 *miseras* addidi: om. V.

84 *referens* scripsi: *repetens* V.

92 sq. malim 'sol magnus ut orbem cum tollit nubemque quatit polus'.

95 *omina* M: *omnia* V.

101 *acrius in remos rediit* scripsi: *altius in uentos recipit* V.

125 *dura* Meynckius [I 43]: *uera* V.

131 *fatur* idem: *fatus* V. quod deinde 'at aegro' reposuit uir doctus, oblitus est formularum 'dixit at' et 'dixit et' discrimen.

132 *cursus* doctus Anglus: *currus* V.

134 *sanguine uexerit amnis* e V restitui.

140 pro 'clausis' malim 'densis'.

143 malim 'ima manus'; nam 'creatrix' et 'prima' nimis tautologa sunt.

182 malim 'aethere laeta corrusco'.

187 *pariter* Meynckius [II 365]: *pauo* V.

196 *prora properanti* scripsi: *durae properantia* V.

207 *reuerendaque natis* scripsi: *uerenda fluentis* V. 'reuerenda' iam Heinsius uoluit.

209 praeplacet Heinsianum 'aurata — urna'; cf. Verg. VII 792.

224 *inde canens: Scythica senior iam Solis in urbe.* cum uariis modis docti permirum illud 'inde canens' remouere studuerint, mihi melius est uisum totum uersum utpote interpolatum uncis includere. nam etiam illud 'Solis in urbe' post 'Soligenae' admodum friget. adiectus est uersus ab eo qui locum nimia quadam breuitate laborare putauerit.

240 *nacta peto* Eyssenhardtius: *pacta petat* V.

246 *praescie* scripsi: *haec tua* V.

252 *uocibus* scripsi: *noctibus* V.

255 *Graiumque procul respexit ad orbem.* cum uox 'respexit' habeat quo offendaris, ex 'rexperit', quod V praebet, primae syllabae traiectione feci 'perrexit'.

269 *qui t. auctor* scripsi: *qui t. ausis* V.

270 *ferentem* C: *serentem* V.

271 *ferit* J. A. Wagnerus: *petit* V.

273 *magnis regum cum milibus urbi.* ita V. sed ut 'magnis' illud merito Burmanno, qui 'multis' proposuit, offensioni fuit, ita 'regum milia' intolerabile est. itaque rescripsi 'molibus'; sic infra [u. 282] 'magna pariter quos mole petamus'.

287 *magnus* addidi: om. V; cf. Verg. VI 71; VII 412.

308 *alios* Columbus: *altos* V. — *dubiis* scripsi: *duris* V, quo seruato tota comparatio claudicat. ceterum unde illa 'aut sanguinei — gentibus ortus' pendeant non satis perspicitur. itaque fortasse 'dat sanguinei' scribendum.

313 *pridem* nescioquis: *primum* V.

316 fortasse 'nec pelagi nocuere uiae'.

318 *sparget* edd.: *spargit* V.

324 *pauor* Aldina: *pudor* V.

326 *legit* Heinsius: *petit* V.

329 *sorte* Meynckius (I 46): *forte* V.

339 *pueros* V: *puero* Eyssenhardtius. — *tremendum* Wakefieldus: *trementum* V.

363 *sunt* Aldina: *sic* V.

370 *luctiferas* Burmannus: *luciferas* V.

371 *tardo* scripsi: *tanto* V.

372 *roribus* Heinsius: *foribus* V.

382 *sin* scripsi: *si* V.

394 *binos* scripsi: *uiuos* V; 'biuios' Heinsius.

395 *ideo* scripsi: *adeo* V sine sensu.

413 *subduxit* scripsi: *subtexit* V. 'subtraxit' Meynckius II 365. cf. Petronius [bell. ciu. 131] 'et lucem sceleri subduxit'. frustra illud 'subtexit' defendunt coll. Verg. Aen. III 582.

415 *ec* scripsi: *et* V. 'e' Lachmannus. — *imbres* Heinsius: *ignes* V.

436 *nectit* Thilo: *flectit* V.

438 *exoritur notus et toto ratis una profundo cernitur.* non potest hoc quidem loco ineptior esse oppositio illa. nam cum Argo prima fuerit nauis, toto mari illam

unicam cerni ita per se intellegitur ut in hoc addito nemo possit risum tenere. V 'torto' tradit, quod rectissimum est: uentus oritur, nautae mare remis uersant (cf. I 36 'tortas consurgit in undas'), nauis currit. itaque corruptela latet in uoce 'una'. legas 'et torto ratis acta profundo cernitur'. notum enim est ueteres in eiusmodi imaginibus res omnes uiuere ac moueri finxisse.

443 *taeda pernocte* Heinsius: *taedaque in nocte* V.

455 *horror* Meynckius II 369: *error* V.

466 *siderea* Heinsius: *sideris* V.

467 *stipantque* Loehbachius I 11: *rogitantque* V.

470 *promptus* Meynckius I 46: *propius* V.

472 *en* scripsi: *et* V.

483 *momine* scripsi: *nomine* V.

484 *ille* Gronouius: *illa* V. — *prementia cliuos* scripsi in Fleckeiseni annal. 1872 p. 204: *cremantia diuos* V. cf. Horatius [ep. II 1, 252] 'et flumina dicere et arces montibus impositas'.

485 *iugi* Heinsius: *uigili* V.

492 *in meritisque loces* scripsi: *haec meritique locus* V.

509 *ecce* scripsi: *atque* V.

519 *orantem* ex V restitui; cf. Verg. Aen. IV 220.

520 *premit* Heinsius: *fremit* V.

534 *hau tali* scripsi: *haud ali* V.

544 *quies* scripsi: *dies* V.

550 *incessit* Heinsius: *incussit* V.

565 sq. *qualis ab Oceano nitidum chorus aethera uestit, qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.* in utroque uersu cum plane idem dicatur, alterutrum ab interpolatore quodam additum aut, qui ultimam limam Argonauticis a poeta non additam censent, postea ab eo delendum fuisse statuunt. neutrum probabile; immo lenissima mutatione pro 'nitidum' reponendum est 'uolucrum'. neque enim opus est ut dein Bulaeo auctore rescribamus 'qualis et adsurgens', cum duas comparationes nulla addita particula copulent aliquando poetae. est autem illud 'ab Oceano uolucrum chorus' ea breui-

tate dictum, quam saepius deprendere licet apud Valerium; cf. III 229 'tardumque a moenibus agmen increpitat' et VII 645 'qualis Getico de puluere Mauors', quibus locis supplendum est 'ueniens' uel simile aliquid.

584—586 post 604 posuit Meynckius I 50 sq.

596 *hunc* scripsi: *hic* V.

597 *multa* Heinsius: *inulla* V.

598 *Phoebi* scripsi: *belli* V; cf. u. 406.

621 *pubi* Heinsius: *puppi* V.

627 *obicem* (uel *obices*) *struis* scripsi: *ius obicis* V sine sensu idoneo.

628 *non* Bononiensis: *num* V.

630 *sic cetera pergat, si ualet.* postquam Phoebus se non de ueteribus Palladis factis queri affirmauit, iam debuit afferre noua eius quae sibi dolori essent facinora. itaque dixit 'sic cetera pergit'.

631 *quid non* scripsi: *quid nunc* V inepte.

641 *curtus* scripsi: *tantus* V.

645 *en ego* scripsi: *ego* V.

650 *rumpere et* scripsi: *rumperet* V. sed enim 'quin—rumperet' non potest pendere a 'tulit', quippe quod suum habeat obiectum 'haec'. itaque 'quin' particulae aduersatiuae uice fungitur, ut saepius apud Valerium.

655 *numina* Ph. Wagnerus: *nomina* V.

656 *quin simili matrem demens grauitate secutus.* queritur Pallas se solam a Marte increpitam esse, cum tamen Iuno utpote in adiuuandis Minyis sibi socia non minus meruerit conuicia. itaque increpandi notio debet inesse corrupto illi 'grauitate secutus', quod frustra et plane ridicule nonnulli defenderunt. scripsi 'matrem, demens, rabie ante petisti'. certum puto 'rabie ante'; cf. falsi Ciceronis in Salustium inuectiua [III 9] 'nam quod ista inusitata rabie in uxorem et filiam meam inuasisti'; incertum est quod posui 'petisti'. uideant acutiores.

662 *perferre* Burmannus: *praeferre* V.

670 *mas — si femina* Maduigius: *fas — sic femina* V.

685 *quantumlibet* Burmannus: *quantumlicct* V.

VI 3 *uidere* scripsi: *uideri* V.

15 sq. malim 'mandataque Persei edoceant fati Minyas'; nam totus hic locus adumbratus uidetur ad Vergilii VIII 9 sqq., ubi u. 13 habes 'edoceat'.

27 *ecfulsit* scripsi: *et fulsit* V.

31 *gens quaeque* Meynckius [I 47] coll. Lucan. VII 5: *et quaeque* V.

32 *turmas* scripsi: *pugnas* V.

35 malim 'equis fera bella uirisque'.

41 *sociasque* scripsi: *solasque* V. imitatur poeta Vergilianum [VII 642 sq.] 'quae quemque secutae complerint campos acies'.

56 *diffuderis* edd.: *diffunderis* V.

75 *praetendens* Slothouwerus: *praetentans* V.

88 *pubem* Burmannus: *nubem* V.

95 *Sidonias* Ph. Wagnerus [I 641]: *sidonicas* V.

110 *loculisque* scripsi: *posituque* V. quod, si est uocabulum latinum, non potest significare nisi idem quod 'tumulus'. canes illi receptaculis eisdem quibus uiri condebantur; de uoce 'loculus' cf. Plinius [hist. nat. VII 2, 20].

123 *aegrae* scripsi: *aliae* V ex IV 126. — *motusque* Heinsius: *notusque* V.

128 *animosi* Loehbachius [I 12], ego: *animis* V.

133 malim 'abducere turmas'.

135 *pos terga* scripsi: *post erga* V.

165 *canor* Heinsius: *clamor* V. an 'chorus'?

168 *ictus* Heinsius: *intus* V.

181 *certa* Pius: *clara* V.

191 *pedem* Meynckius [I 48]: *necem* V.

209 *adstitit* scripsi: *constitit* V.

213 *nunc* Bonon.: *hunc* V.

214 *uel* scripsi: *et hic* V. — *cadat* M: *cadet* V.

230 *profusis* scripsi: *profundis* V.

237 *docilis relegi docilisque relinqui.* haec uerba simul et uersum sequentem qui accurate perpenderit, is non poterit dubitare de uocis 'relinqui' corruptela. inter relegendi autem et iterum in hostes mittendi commemorationem non habet locum nisi id quod u. 254 dicitur 'recollectam rursus locat'. non nimis autem litteris inhaerendum est hoc loco, cum appareat librarium 'relinqui' scripsisse praue memorem loci simillimi [V. 223] 'Soligenae falli meriti meritique relinqui'. quae cum ita se habeant, rescripsi id quod a sententia unice flagitatur 'reponi'.

238 *tardior* Heinsius: *altior* V.

247 *tinguuntur* Phil. Wagnerus: *linquuntur* V.

249 *sustinet* Heinsius: *sustulit* V.

258 *accepit* bis scripsi: *accedit* bis V.

264 *calamos* scripsi: *ramos* V inepte.

279 malim 'animos clades auget'.

285 *urbis* Maduigius, ego: *urbem* V.

287 *sic furit* scripsi: *inruit* V, quod hic nondum habet locum; cf. u. 292.

291 *paruique uiam didicere nepotes.* sic ex Carrionis codice scribunt pessime. numquam enim 'uia' simpliciter pro eo quod est 'mos' uel 'institutum' usurpatur. V habet 'eam dedicere' unde litterula 'm' traiecta fit 'eadem'; deinde repetita syllaba 'di' legendum est 'eadem didicere'.

296 *frontis* scripsi: *frondis* V. — *conspectaque* V, corr. Heinsius.

300 ex V restitui 'non usquam uidet'; ad quod sine ullo negotio 'te Cyrne' mente subintelleges. deinde lacunam, qua deformatus est uersus, expleui inserendo ante 'instat' uocem 'acrior'. — *utque* Burmannus: *adque* V. — *instat* Heinsius: *intrat* V.

303 *hinc* Burmannus: *hunc* V.

305 *genitor inquit* ex V restitui; cf. ad III 481.

313 *omnis* Kochius: *omni* V.

330 sqq. *feror arctois nunc liber in aruis cuncta tenens mecum; omnis amor iacturaque plaustri sola nec hac longum uictor potiere rapina; ast epulae quodcumque pecus.* sensit Peerlkampius uocem 'mecum' non posse coniungi cum illo 'tenens'. sed interpunctione mutata, ut ille uoluit, parum proficitur. quid enim? num uerbis 'mecum omnis amor' ullum sensum idoneum inesse censes? itaque scripsi 'mecum omnia ago'; cf. Vergilius [Georg. III 343]. porro quid uerba 'nec hac longum uictor potiere rapina' hoc loco sibi uelint nemo exposuit exponetue. nam neque quonam 'hac rapina' spectet neque quomodo tota sententia in descriptionem uitae, qua Gesander fruebatur, quadret perspicitur. itaque Pium et Loehbachium [I 14] secuti uerba illa utpote ab interpolatore quodam praue addita omnino a Valerii textu exulare iussimus.

343 *nuper* scripsi: *propius* V.

347 *astat* scripsi: *hasta* V.

348 *ruentes* Heinsius: *ruentem* V.

351 *funere* scripsi: *corpore* V. quod ex glossemate ortum est. certe intolerabile est illud 'corpore' eisdem duorum uersuum insequentium sedibus positum.

356 *illuuies* Hauptius: *ille dies* V.

357 *pelli* Burmannus: *belli* V, in quo saepe 'b' et 'p' mutarunt locum.

358 *frangere* Aldina: *frangit* V.

362 *madent* Meynckius [II 372]: *meant* V.

380 *hinc* Thilo: *hic* V.

382 *quis iam iam* scripsi: *quin etiam* V. — *nutansque* scripsi: *nutuque carens* V contra metrum pariter atque sententiam. neque quidquam proficiunt qui 'cadens' corrigunt, cuius rei insequenti demum uersu fit mentio.

385 *tandem* M a m. sec.; *tamen* V. — *perculit* scripsi: *protulit* V; non ausim reponere 'proculit'. — *orbem* Maduigius: *urbem* V.

391 *harenas* scripsi: *habenas* V.

404 *isdem aquilisque* scripsi: *quorum aquilis* V. — *parentes* Burmannus: *parentis* V.

413 *cernuntur* scripsi: *tenduntur* V.

414 *ferra* scripsi: *frena* V.

416 *axibus* ego: *curribus* V e u. praecedenti.

417 *moti* scripsi: *usquam* V. — *mittere parcunt* addidi in fine: *neque in peste reuinctos* V.

426 malim 'per iuga'.

430 'regina' praue suspectarunt nonnulli: cf. Verg. Aen. I 411 sq., alia.

437 *datis* scripsi: *satis* V, quod pro eo quod efflagitatur 'serendis' positum esse uix et ne uix quidem credibile est. ceterum nunc doleo quod post uerba 'dentibus hydri' unius uersus lacunam non indicaui. nam et enuntiati subiectum, sc. 'Colchorum rex', et pugnae contra terrigenas obitae [cf. u. 451] commemoratio deest.

443 *ingens* Bonon.: *ignis* codd.

444 *recoquit* Gronouius: *recolit* codd.

452 *nec cui medio* scripsi: *nec medio* M (nam V hic deficit) ita ut a m. sec. 'quae' additum sit.

461 *en iam* scripsi: *etiam* codd.

473 *adfectusque* scripsi: *adfatusque* codd.

492 *uarios* scripsi: *uernos* V; cf. Aen. VI 708.

499 *innisa* M: *iniussa* V.

505 *fulgure* scripsi: *frigore* V inepte.

520 *cedunt* scripsi: *redeunt* V.

522 *altis* Balbus: *atris* V.

526 *tumefacta* Itali: *tremefacta* V.

527 *quale in* scripsi: *qualem* V.

528 *procedere* Schraderus: *producere* V.

535 *simul agnota* V, corr. Burmannus.

546 *caedibus* Heinsius: *laudibus* V.

553 puto 'utrimque'.

572—574 post u. 562 ponendos puto.

572 *excipit* scripsi: *exigit* V.

570 *reddit amato (auaro?)* scripsi: *reddita caro* V. — uersu insequenti ex V restitui 'breuibus ereptus'; cf. ad III 481.

582 *eques confunderet arua* scripsi: *equis quod fuderat arma* V.

583 *errantesque* Sabellicus: *orantesque* V.

586 *unus* scripsi: *saeuus* V.

600 'effata aciem campis' Maduigius.

601 *ardentisque* scripsi: *ardentesque* V, in quo saepissime 'es' et 'is' confusae, ut ex. gr. 424, 598, 634.

602 *ac* Heinsius: *ad* V.

607 'uirgo' sine dubio corruptum est. latet nomen ducis alicuius hostilis.

608 *autumi* V, correxi — *locati* scripsi: *uocati* V.

614 recte, ni fallor, illud 'spargitque famem' suspectauit Meynckius [I 49]. sed prae eius coniectura 'spargit saniem' malim 'pascitque famem'.

617 *turmae* scripsi: *pugnae* V. — Meynckius l. l. maluit 'crudescunt sang. pugnae'.

621 *et* scripsi: *ad* V.

626 *maerens* et 627 *frement* Peerlkampius: *maeret—fremunt* V.

632 *hiberna—arcto* scripsi: *hiberno—arcu* V inepte.

653 *Haemoniae* scripsi: *Aesoniae* V; cf. notam nostram ad III 284. hoc loco praeterea offensioni est repetitio illa 'Aesoniae 'et 'Aesonides'.

657 *dea sūmouet* scripsi: *deus amouet* V. nullus hic Amori locus est, qui recte u. 673 demum commemoratur.

661 *nam* scripsi: *nec* V.

706 *agit* C: *ait* V.

729 *iussistis* ex V restitui.

734 *quo falli et* scripsi: *quo fellet* V.

754 *digreditur* V, corr. Vossius.

756 *ad* addidi: om. V.

VII 8 *causam* Phil. Wagnerus [I 643]: *paulum* V.

17 *Haemonias* scripsi: *Aesonias* V.

20 *huc* Schenkelius: *hunc* V. — *carus* scripsi: *talis* V.

21 *durumque* scripsi: *tumque* V.

22 *lumine eoū* scripsi: *limeneaeo* V.

25 *grataque* ex V restitui. nam 'que' semper fere pro 'ue' ponit Valerius.

29 *appendere* Itali: *accendere* V.

32 *parantem* ex V restitui.

33 *anteuenit* Maduigius: *ante aperit* V. — *mouentis* (sc. ora) scripsi: *morantis* V.

41 *Minyae* Heinsius: *cerno* V, quod interpolatum est postquam 'minue' post 'hominum' intercidit.

50 *penates* Burmannus: *parentes* V.

53 *inmisit* scripsi: *inlisit* V sine exemplo iusto.

55 malim 'decrescet Caucasus'; cf. Statius [silu. I 1, 10].

57 *aut—statuam* scripsi: *aut—statui* V.

76 *dentibus* Heinsius: *seminis* V.

84, 85 *sereno axe* scripsi: *serena arce* V, sed 'arx' numquam omisso addito quodam (uelut 'caelestis') a Valerio aliisque pro 'caelum' ponitur. — *prensus* scripsi: *praeceps* V, quod utcumque repositum est, postquam in 'prensus' uoce ultima syllaba ante 'subito' periit. Valerius imitatur illud Horatianum 'otium diuos rogat in patenti prensus Aegaeo': cf. et Bentleius et Peerlkampius ad Hor. od. I 14, 10.

115 *cernens* scripsi: *quacres* V, unde 'quaerens' edd. at neque in solo cubili neque in sororis gremio quaerere potest Medeae Iasonis uultus; immo hi ubique ei obuersabantur.

127 *semet sic ĩcrepat* scripsi: *semels increpat* V, unde quod edd. legunt 'sese semel' ineptum est. de 'sic' uocula sequente 'ait' addita cf. VI 646; VIII 177 alia.

134 *futt* scripsi: *foret* V.

135 *o tantum* scripsi: *et tandem* V.

139 *a redeat* scripsi: *aut redeat* V, quod ex glossa ortum est hac '$\overset{\text{ut}}{\text{a}}$ redeat'.

150 *incestae* Dom. Marius: *infestae* V.

151 *auens* scripsi: *agens* V.

156 *pudore* Vossius: *pudori* V.

159 *sis hunc* Ph. Wagnerus: *tecum* V.

161 *defecta* Meynckius: *decepta* V.

164 *tori* scripsi: *praecor* V ex uersu priore. omnino opus est genetiuo quodam ad 'amorem' uocem addito. olim conieceram 'istud quo me frustratur acerbum uince prior'.

165 *illū atro* scripsi: *illa sacro* V.

169 *cantibus* scripsi: *soluat et* V ex foeda interpolatione post uocis genuinae interlapsum.

171 *contra* scripsi: *Venus* V ex glossa. nam aut simpliciter 'Venus' aut 'mater Amorum' scribere debuit Valerius, cum hoc ad illud per appositionem additum mirum quantum frigeat; ceterum cf. Verg. Aen. II 325 et XII 807.

174 *quin* Heinsius: om. V. 'quin' apud Valerium saepe pro eo quod est 'sed' adhibetur.

178 *Haemonii* scripsi: *Aesoni* V.

186 *arripit* scripsi: *aspicit* V.

198 *nunc et tua* scripsi: *nunc si tua* V.

200 *quidne* (=quippe quid) ego: *quidue* V.

201 *nec* scripsi: *hoc* V; cf. Aen. IX 10.

213 *ista* scripsi: *ipsa* V.

214 *sic* Carrio: *hic* V. — malim 'carique'.

226 *ut iam reputentur* Heinsius: *etiam repetentur* V.

229 *maligna* scripsi: *malignis* V.

230 *luserit* Heinsius: *cluserit* V. — *messis* Carrio: *mensis* V.

240 *tuum* scripsi: *unum* V.

243 *dubiae* Burmannus: *durae* V; cf. Aen. IV 55.

244 *membra* Thilo: *menti* V.

245 *reponens* scripsi: *reponem* V.

247 *istaque* Phil. Wagnerus: *ipsaque* V.

250 *somnia* Heinsius: *omnia* V.

259 *aetheriis* scripsi: *asperis* V; 'aeriis' Maduigius.

260 *fulgentem* Heinsius: *figientem* V.

262 *callet* scripsi: *uellet* V. — *natos* scripsi: *nautas* V ineptissime.

269 *ac* scripsi: *tu* V.

276—283 post 291 posuit Thilo.

277 *uulgata* ex V restitui; cf. Meynckius II 373.

285 *ac tamen* scripsi: *ut tamen* V.

295 et 296 transposuit Meynckius I 50.

295 *artus* Heinsius: *annos* V.

315 sq. *absenti—Peliae* scripsi: *absentem—Pelian* V.

318 *dein negat* Doruillius: *denegat* V. — *obire* Maduigius: *in ira* V.

330 *sanguineo—ore* Heinsius: *sanguinea—ira* codd.

333 *uelocius herba* scripsi: *uelocius ulla* codd.

334 *pestifera est* scripsi: *pestiferam* codd.

337 *miserata* scripsi: *mirata* V.

341 *cui—es* Heinsius: *qui—est* codd.

343 *heu—quam primam uidit* scripsi: *et—quem primum uidi* codd.

357 *Caucasei p. nutritum in gramine montis* scripsi: *Caucaseum p. nutritaque gramina ponti* codd.

358 *quem* scripsi: *quae* codd.

359 *alitque* Bulaeus: *editque* codd.

363 *saluus* scripsi: *sangus* V.

369 *toto* M: *totos* V.

375 *insuetum* scripsi: *supremum* V.

376 *aethera* scripsi: *aera* V.

406 *rabidus* Heinsius: *rapidus* V.

420 *cur* scripsi: *nec* V.

426 *spem mihi promissam — reddat qua lege uides.* neque latine dicitur 'spes promissa' neque uero 'spem reddere'. scripsi 'spe sine. promissum' eqs. cf. Verg. V 386.

428 *poscimus* scripsi: *possumus* V.

441 *fax* scripsi: *pars* V.

445 *haec* scripsi: *haee* V.

452 *in istis* Thilo: om. V.

456 *extemploque etenim* scripsi: *extemplo neque enim* V.

483 *nullos fundunt* scripsi: *nullos stringunt* V.

486 *te coniunx nataeque manent.* ita V. qua lectione non potest ineptior fingi. neque melius se habet quod

nuper repositum est 'natique'. ita enim haec euadit sententia, quasi certe sciuerit Medea esse Iasoni mulierem liberosque. sed primum omnes habet probabilitatis numeros, uirginem de uiri amati caelibatu iamdudum certiorem esse factam neque, nisi spe eum captandi ductam, opem ei fuisse laturam. itaque non potuit illa loco nostro dicere nisi fere hoc: tu domi uxorem duces. quibus uerbis prudenter ad ea, de quibus agi uoluit, flexit orationem. itaque rescripsi aperta ueritate: 'te coniunx taedaeque manent'. et similia uerba saepissime coniungi a poetis notissimum; cf. ex. gr. Verg. Aen. IV 18 'thalami taedaeque'.

496 *procurrit* Heinsius: *procumbit* V; cf. II 637. et saepius uoces illae in codd. confusae.

501 *merit si noctis sum* scripsi: *meritis noctis* V.

503 *umquam* scripsi: *tum* V.

506—508 *flamma tuaeque artes; nullus sucurrere contra ingrato queat et siquid tu saeuius, istis adicias neque in medio terrore relinquas.* ita fere V. quae cogente sententia transposui et emendaui, quamuis fortasse praestet 'tum siquid saeuius'.

514 *nunc deicit* e V restitui; cf. L. Muellerus d. r. m. 271.

515 *at—conpellat* scripsi: *ac—conterret* V.

520 *temtanti* scripsi: *quem tanta* V.

528 *uacuas* scripsi: *uacuo* V.

531 *abiit* scripsi: *trahit* V.

533 malim 'tradende periclis'.

534 *o* scripsi: *ut* V.

536 *calcare uolumina* Meynckius II 374: *calcantem lumina* V.

537 *cui* scripsi: *uix* V.

543 *meat* A. Wagnerus: *quaeat* V.

546 *en uocor* M: *et uocor* V. — *alas* Phil. Wagnerus: *ausa* V.

547 *in flammas* e V restitui.

548 *totos—fluctus* scripsi: *totas—flammas* V ex uersu autecedenti; cf. 572.

550 *Graium* ex V restitui.

551 *istius* scripsi: *ipsius* V. — *pereat* Schenkelius: *pereant* V.

552 *aura* scripsi: *terga* V.

558 *decessit* scripsi: *discessit* V. sed discedimus ab hominibus, decedimus a locis.

560 *stabat ut extremis desertus ab orbibus axis.* ita V, nisi quod 'oribus' praebet. si ad quanta artificia confugiant interpretes ad ineptissima quaeque defendenda uno exemplo cognoscere uis, legas quae de hoc uersu protulerunt. nobis Valerius, si re uera 'axis' (quocumque modo accipis) scripsisset, indignus hercle uideretur, in quo emendando tempus consumamus. itaque primum pro 'desertus ab' scripsi 'deserta sub'; deinde aut 'sub axibus arbos' aut simplicius 'sub orbibus arbos' legendum puto. nihil enim huic loco aptius dici fingiue potest quam Iasonis cum arbore in desertis regionibus extante comparatio. haec lectio ubi semel deprauata est, u. 561 et 562 ex 'quam' librarii fecerunt 'quem'.

562 *sursus* Schraderus: *rursus* V.

572 *atros uoluunt — fluctus* scripsi: *atro uoluens — fluctu* V nimis tautologe cum eis quae praecedunt.

575 *flerat* scripsi: *flebat* V.

587 *ilicet — ad squalentia* scripsi: *inicit — atque ardentia* V.

604 *ec* scripsi: *ac* V.

619 *secanti* Pius: *sequaci* V.

620 *leuantis* scripsi: *sequentis* V ex u. priore.

621 *ec* scripsi: *a* V.

630 *subiere* scripsi: *uidere* V.

646 *hauritque grauis* scripsi: *uritque grauem* V.

648 *fugit* Heinsius: *furit* V.

649 *ut* scripsi: *hic* V.

652 *quae* Burmannus: *qui* V.

VIII 10 *mille* Heinsius: *ille* V.

17 *promit* Turnebus: *prodit* V.

20 *erecta* edd.: *eiecta* V.

23 *premit* scripsi: *ferit* V.

31 *talisque* scripsi: *talemque* V.

49 malim 'quam (scis) saepe fidem'.

62 *non iam* scripsi: *contra* V. — *haud uocat* scripsi: *aduocat* V.

67 *tanta* scripsi: *tantos* V. — *ui* Barthius: *ut* V.

68 *uirgamque* scripsi: *crinemque* V.

77 *me astante* Heinsius: *meis tande* V.

136 *effulsit* Heinsius: *inflexit* V.

140 *ad hanc* scripsi: *adhuc* V.

157 malim 'quiduis super accipe'.

161 *litora remi* Heinsius: *nam singula* V.

163 *te ioca* scripsi coll. Ouid. a. a. III 367: *tempora* V, quod uarie sanabant docti. sed neque 'pocula' Doruillianum (quasi uero potatrix fuerit Medea!) neque quod L. Muellerus d. r. m. p. 392 proposuit 'tempea' aut a sententia aut a forma placet.

164 *alieno ad gaudia uultu s. eras* scripsi: *alieno gaudia uultu s. erat* V.

168 *tecum* Heinsius: *nunc* V.

170 *qualemcumque* scripsi: *quascumcumque* V.

191 *perferat* edd.: *proferat* V.

194 fortasse 'hac mihi non'.

200 *flexu* Phil. Wagnerus: *flectunt* V.

224 *erigere* Heinsius: *erigit* V.

231 *Iuno iam destinat Hebae* scripsi: *Iunonia sustinet Hebe* V.

232 *adfuit* scripsi coll. Horat. od. III 27, 66: *adsunt* V. — *unanimes* V, corr. Meynckius II 375.

246 *paterae uerguntur* ego: *pariter uertuntur* V.

254 ita conformat Phil. Wagnerus: 'pars ueribus figit trepidantia uiscera acernis, pars foliis undam ingenti despumat aeno'; et certe locus corruptus est.

263 *diroque* scripsi: *diramque* V.

264 *heia agite* scripsi: *adque hanc* V.
284 *comitare* scripsi: *coire* V.
285 *orans iterat remosque* scripsi: *orans iterum uotosque* V.
286 *supplent regis uerba illa magistri* scripsi: *supplet remigis uexilla magistris* V.
307 *non ulla* scripsi: *non una* V.
313 *segnis summo* ego: *summo segnis* V.
332 malim 'hos aequore toto'.
348 *flammis set olentis* scripsi: *flammise tollentis* V.
364 *quantum ille uelit* scripsi: *aut ille uelit* V.
365 *extat* Aldina: *errat* V.
370 *heu* Heinsius: *nec* V.
374 *adspectu* ego: *abscessit* V.
378 *tuta* scripsi: *dudum* V.
403 *cunctaturque moramque* Phil. Wagnerus: *cunctatur mortemque* V. — post h. u. lacunam indicaui.
412 *iam comites* scripsi: *una omnes* V.
415 *quin tecum* Heinsius: *uittae cum* V.
418 *despecta* scripsi: *decepta* V.
434 *me* scripsi: *et* V. — *poscunt* uir doctus nescioquis: *possunt* V.
437 *quis te* Heinsius: *quise* V.
443 *hanc* scripsi: *aut* V.
post 450 lacunam indicaui.
452 *tenui* addidi ex Ouidio [met. I 570]: om. V.
455 *manet* scripsi: *mouet* V.
post 457 lacunam indicaui.
458 *gloria magni* Pius: om. V.
post 462 lacunam indicaui.
463 qualem V exhibet, post 440 posuit Lemairius.
466 *lenit pectora dictis* scripsi: *tempera dictis* V.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICA.

Corrigenda.

I 145 *post* terga *dele punctum*. — *ib.* 511 *lege* teneant — *ib.* 606 tantum — *ib.* 710 signa — III 242 annos! — IV 574 *post* terrae *dele punctum* — V 534 *lege* hau — VI 135 pos — *ib.* 361 raptataque — *ib.* 686 primaque — *ib.* 730 quid — VII 20 abito'. — ib. 60 ipse.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER PRIMUS.

Prima deum magnis canimus freta peruia natis
fatidicamque ratem, Scythici quae Phasidis oras
ausa sequi mediosque inter iuga concita cursus
rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.
Phoebe, mone, si Cymaeae mihi conscia uatis
stat casta cortina domo, si laurea digna
fronte uiret. tuque o, pelagi cui maior aperti
fáma, Caledonius postquam tua carbasa uexit
oceanus Phrygios prius indignatus Iulos,
eripe me populis et habenti nubila terrae,
sancte pater, ueterumque faue, uenerande, canenti
facta uirum. uersam proles tua pandet Idumen
(namque potest), Solymo ac nigrantem puluere fratrem
spargentemque faces et in omni turre furentem.
ille tibi cultusque deum delubraque centum
instituet, cum iam, genitor, lucebis ab omni
parte poli. neque enim Tyriis Cynosura carinis
certior aut Grais Helice seruanda magistris,
si tu signa dabis; sed te duce Graecia mittet
et Sidon Nilusque rates. nunc nostra serenus
orsa iuues, haec ut Latias uox impleat urbes.
Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis,
iam grauis et longus populis metus: illius amnes
Ionium quicumque petunt, ille Othryn et Haemum
adque imum felix uersabat uomere Olympum.
sed non ulla quies animo fratrisque pauenti

progeniem diuumque minas; hunc nam fore regi
exitio uatesque canunt pecudumque per aras
terrifici monitus iterant: super ipsius ingens
instat fama uiri uirtusque haut laeta tyranno.
ergo anteire metus iuuenemque extinguere pergit
Aesonium letique uias ac tempora uersat.
sed neque bella uidet Graias neque monstra per urbes
ulla. Cleonaeo iam tempora clusus hiatu
Alcides, olim Lernae defensus ab angue
Arcas et ambobus iam cornua fracta iuuencis.
ira maris uastique placent discrimina ponti.
tum iuuenem tranquilla tuens nec fronte timendus
occupat et ficti dat uultus pondera dictis.
'hanc mihi militiam, ueterum quae pulchrior actis,
adnue daque animum. nostri de sanguine Phrixus
Cretheos ut patrias audisti effugerit aras.
hunc ferus Aeetes, Scythiam Phasimque rigentem
qui colit (heu magni Solis pudor!), hospita uina
. . . .
nil nostri diuumque memor. non nuntia tantum
fama refert: ipsum iuuenem tam saeua gementem,
ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
aspicio, lacera adsiduis tumque illius umbra
questibus et magni numen maris excitat Helle.
si mihi quae quondam uires, ut pendere poenas
Colchida iam et regis caput hic adque arma uideres!
olim annis ille ardor hebet, necdum mea proles
imperio et belli rebus matura marique.
tu, cui iam curaeque uigent animique uiriles,
i, decus et pecoris Nephelaei uellera Graio
redde tholo ac tantis temet dignare periclis.'
talibus hortatur iuuenem, propiorque iubenti
conticuit certas Scythico concurrere ponto
Cyaneas tantoque silet possessa dracone
uellera, multifidas regis quem filia linguas
uibrantem ex adytis cantu dapibusque uocabat
et dabat externo liuentia mella ueneno.

Mox taciti patuere doli nec uellera curae
esse uiro, sed sese odiis immania cogi
in freta. qua iussos scrutans tum quaerere Colchos
arte queat, nunc aerii plantaria uellet
Perseos aut currus et quos frenasse dracones
creditur, ignaras Cereris qui uomere terras
imbuit et flaua quercum damnauit arista.
heu quid agat? populumne leuem ueterique tyranno
infensum adque olim miserantes Aesona patres
aduocet? an socia Iunone et Pallade fretus
armisona speret magis et freta iussa capessat,
siqua operis tanti domito consurgere ponto
fama queat? tu sola animos mentesque peruris,
Gloria! te uiridem uidet immunemque senectae
Phasidis in ripa stantem iuuenesque uocantem.
tandem animi incertum confusaque pectora firmat
relligio, tendensque pias ad sidera palmas
'omnipotens regina', inquit, 'quam, turbidus atro
aethere caeruleum quateret cum Iuppiter imbrem,
ipse ego praecipiti tumidum per Enipea nimbo
in campos et tuta tuli nec credere quiui
ante deam, quam te tonitru nutuque reposci
coniugis et subita raptam formidine uidi,
da Scythiam Phasimque mihi; tuque, innuba Pallas,
eripe me. uestris egomet tum uellera templis
illa dabo; dabit auratis et cornibus ictu
colla pater niueique greges altaria tingent.'
Accepere deae celerique per aethera lapsu
diuersas petiere uias. in moenia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia deuolat Argum.
moliri hunc puppem iubet et demittere ferro
robora, Peliacas et iam comes exit in umbras.
at Iuno Argolicas pariter Macetumque per urbes
spargit inexpertos temptare parentibus austros
Aesoniden, iam stare ratem remisque superbam
poscere quosque uehat rebusque in sidera tollat.
Omnis adest quae iam bellis spectataque fama

turba ducum, primae seu quos in flore iuuentae
temptamenta tenent necdum data copia rerum.
at quibus aruorum studiumque insontis aratri,
hos stimulant magnaque ratem per lustra uiasque
uisi laude canunt manifesto in lumine Fauni
siluarumque deae atque elatis cornibus Amnes.
Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
aduolat, Arcadio cuius flammata ueneno
tela puer facilesque umeris gaudentibus arcus
gestat Hylas: uelit ille quidem, sed dextera nondum
par oneri clauaeque capax. quos talibus amens
insequitur solitosque nouat Saturnia questus:
'o utinam Graiae rueret non omne iuuentae
in noua fata decus, nostrique Eurystheos haec nunc
iussa forent! imbrem et tenebras saeuumque tridentem
iam iam ego et inuiti torsissem coniugis ignem.
nunc quoque nec socium nostrae columenque carinae
esse uelim, Herculeis nec me umquam fidere fas sit
auxiliis, comiti et tantum debere superbo.'
Dixit et Haemonias oculos detorquet ad undas.
feruere cuncta uirum coetu, simul undique cernit
delatum nemus et docta resonare bipenni
litora; iam pinus gracili dissoluere lamna
Thespiaden iungique latus lentoque sequaces
molliri uidet igne trabes, remisque paratis
Pallada uelifero quaerentem brachia malo.
constitit ut, longo moles non peruia ponto,
puppis et ut tenues subiere latentia cerae
lumina, picturae uarios superaddit honores.
hic sperata diu Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos uehitur Thetis; aequora delphin
corripit, ipsa sedet deiecta in lumina palla
nec Ioue maiorem nasci suspirat Achillen.
hanc Panope Dotoque soror laetataque fluctu
prosequitur nitidis pariter Galatea lacertis,
antra petens; Siculo reuocat de litore Cyclops.
contra ignis uiridique torus de fronde dapesque

uinaque et aequoreos inter cum coniuge diuos
Aeacides, pulsatque chelyn post pocula Chiron.
parte alia Pholoe multoque insanus Iaccho
Rhoetus et Atracia subitae de uirgine pugnae.
crateres mensaeque uolant araeque deorum
poculaque, insignis ueterum labor. optimus hasta
hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Aeson.
fert grauis inuito uictorem Nestora tergo.
Monychus, ardenti peragit Clanis Actora quercu,
nigro Nessus equo fugit, adclinisque tapetis
inmensus uacua condit caput Hippasus aura.
Haec quamquam miranda nihil stupet Aesone natus
et secum: 'heu miseros nostrum natosque patresque!
hacine nos animae faciles rate nubila contra
mittimur; in solum num saeuiet Aesona pontus?
non iuuenem in casus eademque pericula Acastum
abripiam? inuisae Pelias freta tuta carinae
optet et exoret nostris cum matribus undas.'
Talia motanti laeuum Iouis armiger aethra
aduenit et ualidis fixam erigit unguibus agnam.
at procul e stabulis trepidi clamore sequuntur
pastores fremitusque canum; citus occupat auras
raptor et Aegaei super effugit alta profundi.
accipit augurium Aesonides laetusque superbi
tecta petit Peliae. prior huic tum regia proles
aduolat amplexus fraternaque pectora iungens.
ductor ait: 'non degeneres, ut reris, Acaste,
uenimus ad questus: socium te iungere coeptis
est animus; neque enim Telamon aut Canthus et Idas
Tyndareusque puer mihi uellere dignior Helles.
o quantum terrae, quantum cognoscere caeli
permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!
nunc forsan graue reris opus; sed laeta recurret
cum ratis et caram cum iam mihi reddet Iolcon,
quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores!
quam referam uisas tua per suspiria gentes!'
Nec passus rex plura uirumst, at 'cuncta parato;

in quaecumque uocas; nec nos', ait, 'optume, segnes
credideris patriisue magis confidere regnis
quam tibi, si primos duce te uirtutis honores
carpere, fraternae si des adcrescere famae.
quin ego, nequa metu nimio me cura parentis
inpediat, fallam ignarum subitusque paratis
tunc adero primas linquet cum puppis harenas.'
dixerat. ille animos promissaque talia laetus
accipit et gressus rapidos ad litora uertit.
At ducis imperiis Minyae monituque frequentes
puppem umeris subeunt et tento poplite proni
decurrunt intrantque fretum. non clamor anhelis
nauticus aut blandus testudine defuit Orpheus.
tum laeti statuunt aras. tibi, rector aquarum,
summus honor, tibi caeruleis in litore uittis
et Zephyris Glaucoque bouem Thetidique iuuencam
deicit Ancaeus. non illo certior alter
pinguia letifera perfringere colla bipenni.
ipse ter aequoreo libans carchesia patri
sic ait Aesonides: 'o qui spumantia nutu
regna quatis terrasque salo conplecteris omnes,
da ueniam. scio me cunctis e gentibus unum
inlicitas temptare uias hiememque mereri:
sed non sponte feror, nec nunc mihi iungere montes
mens auet aut summo deposcere fulmen Olympo.
nec Peliae me uota trahunt: ille aspera iussa
repperit et Colchos in me luctumque meorum.
illi inhians tantum non indignantibus undis
hoc caput accipias et pressam regibus alnum.'
sic fatus pingui cumulat libamine flammam.
Protulit ut crinem densis luctatus in extis
ignis et escendit salientia uiscera tauri,
ecce sacer totusque dei per litora Mopsus,
inmanis uisu, uittamque comamque per auras
surgentem laurusque rotat. uox reddita tandem,
uox horrenda uiris; tum facta silentia uati.
'heu quaenam aspicio! nostris modo concitus ausis

aequoreos uocat ecce deos Neptunus et ingens
concilium. fremere et sedem defendere cuncti
hortantur. sic amplexu, sic pectora fratris,
Iuno, tene; tuque o puppem ne desere, Pallas:
nunc, patrui nunc flecte minas. cessere ratemque
accepere mari. per quot discrimina rerum
expedior! subita cur pulcher harundine crines
uelat Hylas? unde urna umeris niueosque per artus
caeruleae uestes? unde haec tibi uulnera, Pollux?
quantus io tumidis taurorum e naribus ignis!
tollunt se galeae sulcisque ex omnibus hastae
et iam iamque umeri. quem citum uellere Martem
aspicio? quaenam aligeris secat anguibus auras
caede madens? quos ense ferit? miser eripe paruos
Aesonide. cerno en thalamos ardere iugales.'

Iamdudum inuisa Minyas ambage ducemque
terrificat; sed enim contra Phoebeius Idmon,
non pallore uiris, non ullo horrore comarum
terribilis, plenus pacis Phoeboque quieto,
(cui genitor tribuit monitu praenoscere diuum
omina, seu flammas seu lubrica comminus exta
seu plenum certis interroget aethera pinnis)
sic sociis Mopsoque canit: 'quantum augur Apollo
flammaque prima docet, praeduri plena laboris
cerno equidem, patiens sed quae ratis omnia uincet.
ingentes durate animae dulcesque parentum
tendite ad amplexus.' lacrimae cecidere canenti,
quod sibi iam clusos inuenit in ignibus Argos.

Vix ea fatus erat, iungit cum talia ductor
Aesonius: 'superum quando consulta uidetis,
o socii, tantisque datur spes maxima coeptis,
uos quoque nunc uires animosque adferte paternos.
non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni
suspectiue doli: deus haec, deus omine dextro
imperat; ipse suo uoluit commercia mundo
Iuppiter et tantos hominum miscere labores.
ite, uiri, mecum dubiisque euincite rebus,

quae meminisse iuuet nostrisque nepotibus instent.
hanc uero, socii, uenientem in litore laeti
dulcibus adloquiis ludoque educite noctem.'
paretur. molli iuuenes funduntur in alga
conspicuusque toris Tirynthius. exta ministri
rapta simul ueribus Cereremque dedere canistris.
Iamque aderat summo decurrens uertice Chiron,
clamantemque patri procul ostendebat Achillen.
ut puer ad notas erectum Pelea uoces
uidit et ingenti tendentem brachia passu,
adsiluit caraque diu ceruice pependit.
illum nec ualido spumantia pocula Baccho
sollicitant ueteri nec conspicienda metallo
signa tenent; stupet in ducibus magnumque sonantes
haurit et Herculeo fert comminus ora leoni.
laetus at impliciti Peleus rapit oscula nati
suspiciensque polum 'placito si currere fluctu
Pelea uultis' ait 'uentosque optare ferentes,
hoc, superi, seruate caput. tu cetera, Chiron,
da mihi. te paruus lituos et bella loquentem
miretur; sub te puerilia tela magistro
uenator ferat et nostram festinet ad hastam.'
omnibus inde uiae calor additus: ire per altum
magna mente uolunt. Phrixi promittitur absens
uellus et auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit et totum Minyis laetantibus undae
diduxere diem. sparguntur litore curuo
lumina nondum ullis terras monstrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci testudine uates
extrahit, ut steterit redimitus tempora uittis
Phrixus et iniustas contectus nubibus aras
fugerit Inoo linquens Athamanta Learcho;
aureus ut iuuenem mirantibus intulit undis
uector et adstrictis ut sedit cornibus Helle.
septem Aurora uias totidemque peregerat umbras
Luna polo dirimique procul non aequore uisa
coeperat a gemina discedere Sestos Abydo.

hic soror Aeoliden, aeuum mansura per omne,
deserit, heu saeuae nequiquam erepta nouercae!
illa quidem fessis longe petit umida palmis
uellera, sed bibulas urgenti pondere uestes
unda trahit leuique manus labuntur ab auro.
quis tibi, Phrixe, dolor, rabido cum concitus aestu
respiceres miserae clamantia uirginis ora
extentasque manus sparsosque per aequora crines!
Iamque mero ludoque modus, positique quietis
conticuere toris; solus quibus ordine fusis
inpatiens somni ductor manet. hunc grauis Aeson
et pariter uigil Alcimede spectantque tenentque
pleni oculos. illis placidi sermonis Iason
suggerit adfatus turbataque pectora mulcet.
mox, ubi uicta graui ceciderunt lumina somno,
uisa coronatae fulgens tutela carinae
uocibus his adstare duci: 'Dodonida quercum
Chaoniique uides famulam Iouis. aequora tecum
ingredior, nec fatidicis auellere siluis
me nisi promisso potuit Saturnia caelo.
tempus adest. age rumpe moras! nunc aequore tuto
currimus; incertumst, si nubila duxerit aether.
iam iam mitte metus, fidens superisque mihique.'
dixerat. ille pauens, laeto quamquam omine diuum,
prosiluit stratis. Minyas simul optulit omnis
alma nouo crispans pelagus Tithonia Phoebo.
discurrunt transtris: hi celso cornua malo
expediunt, alii tonsas in marmore summo
praetemptant, prora funem legit Argus ab alta.
Increscunt matrum gemitus et fortia languent
corda patrum; longis flentes amplexibus haerent.
uox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes:
femineis tantum illa furens ululatibus opstat,
obruit Idaeam quantum tuba Martia buxum.
fatur et haec: 'nate indignos aditure labores,
diuidimur; nec ad hos animum componere casus
ante datum, sed bella tibi terrasque timebam.

uota aliis facienda deis. si fata reducunt
te mihi, si trepidis placabile matribus aequor,
possum equidem lucemque pati longumque timorem.
sin aliud Fortuna parat, miserere parentum,
Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor. ei mihi, Colchos
unde ego et auecti timuissem uellera Phrixi?
quos iam mente dies, quam saeua insomnia curis
prospicio! quotiens raucos ad litoris ictus
deficiam a! Scythicum metuens pontumque petrasque
nec de te credam nostris ingrata serenis!
da, precor, amplexus haesuraque uerba relinque
auribus et dulci iam nunc preme lumina dextra.'
talibus Alcimede maeret; sed fortior Aeson
attollens dictis animos: 'o si mihi sanguis,
quantus erat, cum signiferum cratera minantem
non leuiore Pholum manus haec compescuit auro;
primus in aeratis posuissem puppibus arma
concussoque ratem gauderem tollere remo.
sed patriae ualuere preces auditaque magnis
uota deis. uideo nostro tot in aequore reges
teque ducem. tales, tales ego ducere suetus
adque sequi. nunc ille dies (det Iuppiter oro),
ille super, quo te Scythici regisque marisque
uictorem adque umeros ardentem uellere rapto
accipiam cedantque tuae mea facta iuuentae.'
sic ait. ille suo conlapsam pectore matrem
sustinuit magnaque senem ceruice recepit.

Et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantis
soluerat amplexus tristi tuba tertia signo.
dant remo sua quisque uiri, dant nomina transtris.
hinc laeuom Telamon pelagus tenet, altior inde
occupat Alcides aliud mare, cetera pubes
diuiditur: celer Asterion, quem matre cadentem
Piresius gemino lauit pater amne Cometes,
segnior Apidani uires ubi sentit Enipeus.
nititur hinc Talaus fratrisque Leodocus urget
remo terga sui, quos nobile contulit Argos.

hinc quoque missus adest quamuis arcentibus Idmon
alitibus; sed turpe uiro timuisse futura.
hic et Naubolides tortas consurgit in undas
Iphitus, hic patrium frangit Neptunius aequor
qui tenet undisonam Psamathen semperque patentem
Taenaron Euphemus, mollique a litore Pellae
Deucalion certus iaculis et comminus ense
nobilis Amphion, pariter quos edidit Hypso
nec potuit similes uoluitue ediscere uultus.
tum ualida Clymenus percusso pectore tonsa
frater et Iphiclus puppem trahit, et face saeua
in tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu,
Nauplius, et tortum non a Ioue fulmen Oileus
qui gemet, Euboicas nato stridente per undas,
quique Erymanthei sudantem pondere monstri
Amphitryoniaden Tegeaeo limine Cepheus
iuuit, et Amphidamas. at frater plenior annis
maluit Ancaeo uellus contingere Phrixi.
tectus et Eurytion seruato colla capillo,
quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
te quoque Thessalicae, Nestor, rapit in freta puppis
fama, Mycenaeis olim qui candida uelis
aequora et instantes mirabere mille magistros.
hic uates Phoebique fides non uana parentis,
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
palla imos ferit alba pedes uittataque fronte
cassis et in summo laurus Peneia conq.
quin etiam Herculeo consurgit ab ordine Tydeus
Nelidesque Periclymenus, quem parua Methone
felixque Elis equis et fluctibus obuius Aulon
caestibus aduersos uiderunt frangere uultus.
tu quoque Phrixeos remo, Poeantie, Colchos
bis Lemnon uisure petis, nunc cuspide patris
inclitus, Herculeas olim moture sagittas.
proximus hinc Butes Actaeis diues ab oris;
innumeras nam claudit apes longaque superbus
fuscat nube diem, dum plenas nectare cellas

pandit et in dulcem reges dimittit Hymetton.
insequeris casusque tuos expressa, Phalere,
arma geris; patula nam lapsus ab arbore paruum
ter quater ardenti tergo circumuenit anguis:
stat procul intendens dubium pater anxius arcum.
tum caelata metus alios gerit arma Eribotes.
nec Peleus fretus soceris et coniuge diua
defuit, ac prora splendet tua cuspis ab alta,
Aeacide: tantum haec aliis excelsior hastis,
quantum Peliacas in uertice uicerat ornos.
linquit et Actorides natum Chironis in antro,
ut socius caro pariter meditetur Achilli
fila lyrae pariterque leues puer incitet hastas,
discat eques placidi conscendere terga magistri.
et quem fama genus non est decepta Lyaei
Phlias inmissus patrios de uertice crines.
nec timet Ancaeum genetrix committere ponto,
plena tulit quem rege maris. securus in aequor
haut minus Erginus, proles Neptunia, fertur,
qui maris insidias, clarae qui sidera noctis
norit et e clausis quem destinet Aeolus austris,
non metuat cui regna ratis, cui tradere caelum
adsidua Tiphys uultum lassatus ab Arcto.
taurea uulnifico portat caelataque plumbo
terga Lacon, saltem in uacuos ut brachia uentos
spargat et Oebalium Pagaseia puppis alumnum
spectet securo celebrantem litora ludo.
oraque Thessalico melior contundere freno
uectorem pauidae Castor dum quaereret Helles,
passus Amyclaea pinguescere Cyllaron herba.
illis Taenario pariter tremit ignea fuco
purpura, quod gemina mater spectabile tela
duxit opus; bis Taygeton siluasque comantes
struxerat, Eurotan molli bis fuderat auro;
quemque suus sonipes niueo de stamine portat
et uolat amborum patrius de pectore cycnus.
at tibi collectas soluit iam fibula uestes

ostenditque umeros fortes spatiumque superbi
pectoris Herculeis aequum, Meleagre, lacertis.
hinc numerosa phalanx, proles Cyllenia: certus
Aethalides subitas neruo redeunte sagittas
cogere; tu medios gladio bonus ire per hostes,
Euryte; nec patrio Minyis ignobilis usu,
nuntia uerba ducis populis qui reddit, Echion.
sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis
heu cinerem Scythica te maesta relinquet harena.
cessantemque tuom lugebit in ordine remum.
te quoque dant campi tanto pastore Pheraei
felices, Admete; tuis nam pendit in aruis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
a quotiens famulo notis soror obuia siluis
fleuit, ubi Ossaeae captaret frigora quercus
panderet et pingui mersos Boebeide crines.
insurgit transtris et remo Nerea uersat
Canthus, in Aeaeo uoluet quem barbara cuspis
puluere; at interea clari decus adiacet orbis,
quem genitor gestabat Abas; secat aurea fluctu
tegmina Chalcidicas fugiens Euripus harenas,
celsaque semiferum contorquens frena luporum
surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geraesto.
nec tibi Palladia pinu, Polypheme, reuecto
ante urbem ardentis restat deprendere patris
relliquias, multum famulis pia iusta moratis,
si uenias. breuiore ferit iam caerula remo
occupat et longe sua transtra nouissimus Idas.
at frater magnos Lynceus seruatur in usus,
quem tulit Arene, possit qui rumpere terras
et Styga transmisso tacitam deprendere uisu.
fluctibus e mediis terras dabit ille magistro
et dabit astra rati, cumque aethera Iuppiter umbra
condiderit, solus transibit nubila Lynceus.
quin et Cecropiae proles uacat Orithyiae,
temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
nec uero Odrysius transtris inpenditur Orpheus

aut pontum remo subigit, sed carmine tonsas
ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.
donat et Iphiclo pelagus iuuenumque labores
Aesonides, fessum Phylace quem miserat aeuo,
non iam operum in partem, monitus sed tradat ut acres
magnorumque uiros qui laudibus urat auorum.
Arge, tuae tibi cura ratis, te moenia doctum
Thespia Palladio dant munere; sors tibi, nequa
parte trahat tacitum puppis mare fissaque fluctu
uel pice uel molli conducere uulnera cera.
peruigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro
Hagniades, felix stellis qui segnibus usum
et dedit aequoreos caelo duce tendere cursus.
Ecce per obliqui rapidum conpendia montis
ductor ouans laetusque dolis agnoscit Acastum
horrentem in iaculis et parmae luce coruscum.
ille ubi se mediae per scuta uirosque carinae
intulit, ardenti Aesonides retinacula ferro
abscidit; haut aliter saltus uastataque pernix
uenator quam lustra fugit dominoque timentem
urget equum, teneras conplexus pectore tigres,
quas astu rapuit pauido, dum saeua relictis
mater in auerso catulis uenatur Amano.
ut pariter propulsa ratis, stant litore matres
claraque uela oculis percussaque sole secuntur
scuta uirum, donec iam celsior arbore pontus
inmensusque ratem spectantibus abstulit aer.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
coepta tuens tantamque operis consurgere molem
laetatur; patrii neque enim probat otia regni.
una omnes gaudent superi uenturaque Enyo
tempora quaeque uias cernunt sibi crescere Parcae.
sed non et Scythici genitor discrimine nati
intrepidus tales fundit Sol pectore uoces:
'summe sator, cui nostra dies uoluentibus annis
tot peragit reficitque uices, tuane ista uoluntas?
Graiaque nunc undis duce te nutuque secundo

it ratis? an meritos fas et mihi rumpere questus?
hoc metuens et nequa foret manus inuida nato,
non mediae telluris opes, non inproba legi
diuitis arua plagae (tenent uberrima Teucer
et Libys et uestri Pelopis domus): horrida saeuo
quae premis arua gelu strictosque insedimus amnes.
cederet his etiam et sese sine honore referret
ulterius, sed nube rigens ac nescia ueris
stat super et nostros iam zona reuerberat ignes.
quid regio inmanis, quid barbarus amnibus ullis
Phasis et auersis proles mea gentibus obstat?
quid Minyae meruere queri? num uellere Graio
ui potitur? profugo quin agmina iungere Phrixo
abnuit Inoas ultor nec uenit ad aras,
imperii sed parte uirum nataeque moratus
coniugio uidet e Graïa nunc stirpe nepotes
en teneros, uocat et iunctas sibi sanguine terras.
flecte ratem motusque, pater, nec uulnere nostro
aequora pande uiris: ueteris sat conscia luctus
silua Padi et uiso flentes genitore sorores.'
adfremit his quassatque caput qui uellera dono
bellipotens sibi fixa uidet tempta, actaque contra
Pallas et amborum gemuit Saturnia questus.
Tum genitor 'uetera haec nobis et condita pergunt
ordine cuncta suo rerumque a principe cursu
fixa manent; neque enim terris tum sanguis in ullis
noster erat, cum fata darem; iustique facultas
hinc mihi, cum uarios struerem per saecula reges.
adque ego curarum repetam decreta mearum.
iam pridem regio, quae uirginis aequor ad Helles
et Tanain tenus inmenso descendit ab Euro,
undat equis floretque uiris, nec tollere contra
ulla pares animos nomenque capessere bellis
ausa manus; sic fata, locos sic ipse fouebam.
adcelerat sed summa dies Asiamque labantem
linquimus et poscunt iam me sua tempora Grai.
inde meae quercus tripodesque animaeque parentum

hanc pelago misere manum. uia facta per undas
perque hiemes, Bellona, tibi. nec uellera tantum
indignanda manent propiorque ex uirgine rapta
ille dolor, sed (nulla magis sententia menti
fixa meae) ueniet Phrygia iam pastor ab Ida,
qui gemitus irasque pares et mutua Grais
damna ferat. qua classe dehinc effusa procorum
bella! quot ad Troiam flentes hiberna Mycenas!
quot proceres natosque deum, quae robora cernes
oppetere, ut magnis Asiam concedere fatis!
hinc Danaum de fine sedet gentesque fouebo
mox alias. pateant montes siluaeque lacusque
cunctaque claustra maris; spes et metus omnibus esto
arbiter. ipse locos terrenaque summa mouendo
experiar, quaenam populis longissima cunctis
regna uelim linquamque datas ubi certus habenas.'
tunc oculos Aegaea refert ad caerula robur
Herculeum Ledaeque tuens genus adque ita fatur:
'tendite in astra, uiri: me primum regia mundo
Iapeti post bella trucis Phlegraeque labores
inposuit: durum uobis iter et graue caeli
institui. sic ecce meus, sic orbe peracto
Liber et expertus terras remeauit Apollo.'
dixit et ingenti flammantem nubila sulco
derexit per inane facem, quae puppe propinqua
in bifidum discessit iter fratresque petiuit
Tyndareos, placida et mediis in frontibus haesit
protinus amborum lumenque innoxia fundit
purpureum, miseris olim inplorabile nautis.
Interea medio saeuus permissa profundo
carbasa Pangaea Boreas speculatus ab arce
continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
concitus. omne dei rapidis nemus ingemit alis,
strata Ceres, motuque niger sub praepete pontus.
aequore Trinacrio refugique a parte Pelori
stat rupes horrenda fretis: quot in aethera surgit
molibus, infernas totidem demissa sub undas.

nec scopulos aut antra minax iuxta altera tellus
cernitur: illa Acamans habitat nudusque Pyragmo.
has nimbi uentique domos et naufraga seruat
tempestas; hinc in terras latumque profundum
est iter, hinc olim soliti miscere polumque
infelixque fretum (neque enim tunc Aeolus illis
rector erat, Libya cum rumperet aduena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines
perderet et mediis intrarent montibus undae),
intonuit donec pauidis ex aethere uentis
omnipotens regemque dedit, quem iussa uereri
saeua cohors: in monte chalybs iterataque muris
saxa domant Euros. cum iam cohibere frementum
ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
ipse uolens placatque data fera murmura porta.
nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto.
'Pangaea quod ab arce nefas' ait, 'Aeole, uidi!
Graia nouam ferro molem commenta iuuentus
pergit et ingenti gaudens domat aequora bello,
nec mihi libertas imis freta tollere harenis.
qualis eram nondum uinclis et carcere clausus!
hinc animi structaeque uiris fiducia puppis,
quod Borean sub rege uident. da mergere Graios
insanamque ratem: nil me mea pignora tangunt.
tantum hominum compesce minas, dum litora iuxta
Thessala necdum aliae uiderunt carbasa terrae.'
Dixerat. at cuncti fremere intus et aequora uenti
poscere. tum ualido contortam turbine portam
inpulit Hippotades. fundunt se carcere laeti
Thraces equi Zephyrusque et nocti concolor alas
nimborum cum prole Notus crinemque procellis
hispidus et multa flauus caput Eurus harena;
induxere hiemem raucoque ad litora tractu
unanimi freta curua ferunt nec sola tridentis
regna mouent; uasto pariter ruit igneus aether
cum tonitru piceoque premit nox omnia caelo.
excussi manibus remi conuersaque frontem

puppis in oblicum resonos latus accipit ictus,
uela super tremulum subitus uolitantia malum
turbo rapit. qui tum Minyis trepidantibus horror,
cum picei fulsere poli pauidamque coruscae
ante ratem cecidere faces, antemnaque laeuo
prona dehiscentem cornu cum sustulit undam!
non hiemem missosque putant consurgere uentos
ignari, sed tale fretum. tum murmure maesto
'hoc erat inlicitas temerare rudentibus undas
quod nostri timuere patres. uix litore puppem
soluimus, et quanto fremitu se sustulit Aegon!
hocine Cyaneae concurrunt aequore cautes?
tristius an miseris superest mare? linquite, terrae,
spem pelagi sacrosque iterum seponite fluctus.'
haec iterant segni flentes occumbere leto.
magnanimus spectat pharetras et inutile robur
Amphitryoniades; miscent suprema pauentes
uerba alii iunguntque manus adque ora fatigant
aspectu in misero uotis, cum protinus alnus
soluitur et uasto puppis mare sorbet hiatu.
illam huc atque illuc nunc torquens uerberat Eurus.
nunc stridens Zephyris aufert Notus; undique feruent
aequora, cum subitus trifida Neptunus in hasta
caeruleum fundo caput extulit. 'hanc mihi Pallas
et soror hanc' inquit 'mulcens mea pectora fletu
abstulerint; ueniant Phariae Tyriaeque carinae
permissumque putent. quotiens mox rapta uidebo
uela notis plenasque malis clamoribus undas!
non meus Orion aut saeuus Pliade Taurus
mortis causa nouae. miseris tu gentibus, Argo,
fata paras, nec iam merito tibi, Tiphy, quietum
ulla parens uolet Elysium manesque piorum.'
haec ait et pontum pater ac turbata reponit
litora depellitque notos, quos caerulus horror
et madido grauis unda sinu longeque secutus
imber ad Aeoliae tendunt simul aequora portae.
emicuit reserata dies caelumque resoluit

arcus et in summos redierunt nubila montes.
iam placidis ratis exstat aquis, quam gurgite ab imo
et Thetis et magnis Nereus socer erigit ulnis.
ergo umeros ductor sacro uelatur amictu
Aesoniamque capit pateram, quam munere gaudens
liquerat hospitio pharetrasque rependerat auro
Salmoneus, nondum ille furens tum, fingeret alti
qui trifida trabe tela Iouis contraque ruenti
aut Athon aut Rhodopen maestae nemora ardua Pisae
aemulus et miseros ipse ureret Elidis agros.
hac pelago libat latices et talibus infit:
'di, quibus undarum tempestatisque sonorae
imperium et magno penitus par regia caelo,
tuque, fretum diuosque pater sortite biformes,
seu casus nox ista fuit seu uoluitur axis,
ut superum sic constet opus, tollique necessum
pontus habet seu te subitae noua puppis imago
armorumque hominumque truces consurgere in iras
impulit, haec luerim satis et tua numina, rector,
iam fuerint meliora mihi. da reddere terris
has animas patriaeque amplecti limina portae.
tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
pascet honos, ubicumque rotis horrendus equisque
stas, pater, adque ingens utrimque fluentia Triton
frena tenet; sanctus nostrasque colere per urbes.'
dixerat haec. oritur clamor dextraeque sequuntur
uerba ducis. sic cum stabulis et messibus ingens
ira deum et Calabri populator Sirius arui
incubuit, coit agrestum manus anxia priscum
in nemus et miseris dictat pia uota sacerdos.
ecce autem molli zephyros descendere lapsu
aspiciunt; uolat inmissis caua pinus habenis
infinditque salum et spumas uomit aere tridenti:
Tiphys agit tacitique sedent ad iussa ministri;
qualiter ad summi solium Iouis omnia circum
prona parata deo, uentique imbresque niuesque
fulguraque et tonitrus et adhuc in fontibus amnes.

At subitus curaque ducem metus acrior omni
mensque mali praesaga quatit, quod regis adortus
progeniem raptoque dolis crudelis Acasto
cetera nuda neci medioque in crimine patrem
liquerit ac nullis inopem uallauerit armis,
ipse procul nunc tuta tenens; ruat omnis in illos
quippe furor. nec uana pauet trepidatque futura.
Saeuit atrox Pelias inimicaque uertice ab alto
uela uidet nec qua se ardens effundere possit.
nil famuli, nil regna iuuant; fremit obice ponti
clausa cohors telisque salum facibusque coruscat.
haut secus, aerisona uolucer cum Daedalus ora
prosiluit iuxtaque comes breuioribus alis,
nube noua linquente domos, Minoia frustra
infremuit manus et uisu lassatur inani
omnis eques plenisque redit Gortyna pharetris.
quin etiam in thalamis primoque in limine Acasti
fusus humo iuuenis gressus et inania signi
ore premit sparsisque legens uestigia canis
'te quoque iam maesti forsan genitoris imago,
nate,' ait 'et luctus subeunt suspiria nostri,
iamque dolos circumque trucis discrimina leti
mille uides. qua te, infelix, quibus insequar oris?
non Scythicas ferus ille domos nec ad ostia Ponti
tendit iter, falsae sed captum laudis amore
te, puer, in nostrae durus tormenta senectae
nunc lacerat. celsis an si freta puppibus essent
peruia, non ultro iuuenes classemque dedissem?
o domus, o freti nequiquam prole penates!'
dixit et extemplo furiis iraque minaci
terribilis 'sunt hic etiam tua uulnera, praedo,
sunt lacrimae casusque pares.' simul aedibus altis
itque reditque fremens rerumque asperrima uersat.
Bistonas ad meritos cum cornua saeua Thyoneus
torsit et infelix iam mille furoribus Haemus,
iam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
porticibus coniunxque fugit natique Lycurgum.

Tartareo tum sacra Ioui Stygiisque ferebat
manibus Alcimede tanto super anxia nato,
siquid ab excitis melius praenosceret umbris.
ipsum etiam curisque parem talesque prementem
corde metus ducit, facilem tamen, Aesona coniunx.
in scrobibus cruor et largus Phlegethontis operti
stagnat honos, saeuoque uocat grandaeua tumultu
Thessalis exanimes atauos magnaeque nepotem
Pleiones. et iam tenues ad carmina uultus
extulerat maestosque tuens natumque nurumque.
talia libato pandebat sanguine Cretheus:
'mitte metus, uolat ille mari quantumque propinquat,
iam magis adque magis uariis stupet Aea deorum
prodigiis quatiuntque truces oracula Colchos.
heu quibus ingreditur factis! qui gentibus horror
pergit! mox Scythiae spoliis nuribusque superbus
adueniet; cuperem ipse graues tum rumpere terras.
sed tibi triste nefas fraternaque turbidus arma
rex parat et saeuos irarum concipit ignes.
quin rapis hanc animam et famulos citus effugis ictus?
i, meus es, iam te in lucos pia turba silentum
secretisque ciet uolitans pater Aeolus aruis.'
Horruit interea famulum clamore supremo
maesta domus, regemque furor per moenia differt
mille ciere manus et iam dare iussa uocatis.
flagrantes aras uestemque nemusque sacerdos
praecipitat, subitisque pauens circumspicit Aeson,
quid moueat. quasi multa leo cunctatur in arta
mole uirum rictumque gemens et lumina pressit;
sic curae subiere ducem, ferrumne capessat
inbelle atque aeui senior gestamina primi
an patres regnique acuat mutabile uulgus.
contra effusa manus haerensque in pectore coniunx
'me quoque' ait 'casus comitem quicumque propinquat
accipies, nec fata traham natumque uidebo
te sine, sat caeli patiens, cum prima per altum
uela dedit, potui quae tantum ferre dolorem.'

talia per lacrimas. et iam circumspicit Aeson,
praeueniat quo fine minas, quae fata capessat
digna satis: magnos obitus natumque domumque
et genus Aeolium pugnataque poscere bella.
est etiam ante oculos aeuum rudis altera proles,
ingentes animos et fortia discere facta
quem uelit adque olim leti meminisse paterni.
ergo sacra nouat. ueteris sub nocte cupressi
sordidus et multa pallens ferrugine taurus
stabat adhuc, cui caeruleae per cornua uittae
et taxi frons hirta comis; ipse aeger anhelans
inpatiensque loci uisaque exterritus umbra.
[hunc sibi praecipuum gentis de more nefandae
Thessalis in seros Ditis seruauerat usus.]
illum ubi terrifici superesse in tempore sacri
conspexit, statuit leto supremaque fatur
ipse manu tangens damnati cornua tauri:
'uos, quibus imperium Iouis et non segne peractum
lucis iter, mihi consiliis, mihi cognita bellis
nomina magnorum fama sacrata nepotum;
tuque, excite parens umbris, ut nostra uideres
funera et oblitos superum paterere dolores,
da placidae mihi sedis iter meque hostia uestris
conciliet praemissa locis. tu, nuntia sontum
uirgo Ioui, terras oculis quae prospicis aequis,
ultricesque deae Fasque et grandaeua Furorum
Poena parens, meriti regis succedite tectis
et saeuas inferte faces. sacer effera raptet
corda pauor; nec sola mei grauia adfore nati
arma ratemque putet: classes et Pontica signa
adque indignatos temerato litore reges
mente agitet semperque metu decurrat ad undas
arma ciens; mors sera uiam temptataque claudat
effugia et nostras nequeat praecurrere diras,
sed reduces iam iamque uiros auroque coruscum
cernat iter. stabo insultans et ouantia contra
ora manusque feram. tum, uobis siquod inausum

arcanumque nefas et adhuc incognita leti
sors superest, date fallaci pudibunda senectae
exitia indecoresque obitus. non Marte nec annis
aut nati praedo ille mei dignatus ut umquam
ense cadat; quin fida manus, quin cura suorum
diripiat laceretque senem nec membra sepulchro
contegat. haec noster de rege piacula sanguis
sumat et heu iunctae quas misit in aequora gentes.'
tergeminam tum placat eram Stygiasque supremo
obsecrat igne domos iam iam exorabile Auerno
carmen agens; neque enim ante leues niger auehit umbras
portitor et uinctae primis stant faucibus Orci.
adstitit et nigro fumantia pocula tabo
contigit ipsa graui Furiarum maxima dextra;
illi auide exceptum pateris hausere cruorem.
    Fit fragor; inrumpunt foribus qui saeua ferebant
imperia et strictos iussis regalibus enses.
in media iam morte senes suffectaque leto
lumina et undanti reuomentes peste cruorem
conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
te, puer, et uisa pallentem morte parentum
deripiunt adduntque tuis. procul horruit Aeson
excedens memoremque tulit sub nubibus umbram.
    Cardine sub nostro rebusque abscisa supernis
Tartarei sedet aula patris, non illa ruenti
accessura polo, uictam si uoluere molem

* * *

ingenti iacet ore Chaos, quod pondere fessam 831
materiem lapsumque queat consumere mundum.
hic geminae numero portae, quarum altera dura
semper lege patens populos regesque receptat;
ast aliam temptare nefas et tendere contra:
rara et sponte patet, siquando pectore ductor
uulnera nota gerens, galeis praefixa rotisque
cui domus aut studium mortales pellere curas,
culta fides, longe metus adque ignota cupido;
seu uenit in uittis castaque in ueste sacerdos.

quos omnes lenis plantis et lampada quassans
progenies Atlantis agit. lucet uia late
igne dei, donec siluas et amoena piorum
deueniant camposque, ubi sol totumque per annum
durat aprica dies thiasique chorique uirorum
carminaque et quorum populis iam nulla cupido.
has pater in sedes aeternaque moenia natum
inducitque nurum. tum porta quanta sinistra
poena docet maneat Pelian, quod limine monstrum.
mirantur tantos strepitus turbamque ruentem
et contra infernos almae uirtutis honores.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER SECUNDUS.

Interea scelerum luctusque ignarus Iason
alta secat; neque enim patrios cognoscere casus
Iuno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis
ac temere in Pelian et adhuc obstantia regis
fata ruat placitosque deis ne deserat actus.
Iamque fretis summas aequatum Pelion ornos
templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae.
iam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit
Sepias; attollit tondentes pabula Magnes
campus equos; uidisse putant Dolopeia busta
intrantemque Amyron curuas quaesita per oras
aequora, flumineo cuius redeuntia uento
uela legunt. remis insurgitur; inde salutant
Eurymenas; recipit uelumque fretumque reuersus
auster et in nubem Minyis repetentibus altum
Ossa redit. metus ecce deum damnataque bello
Pallene, circumque uident inmania monstra
terrigenum caelo quondam aduersata gigantum,
quos scopulis trabibusque parens miserata iugisque
induit et uersos extruxit in aethera montes.
quisque suas in rupe minas pugnamque metusque
seruat adhuc; quatit ipse hiemes et torquet ab alto
fulmina crebra pater; scopulis sed maximus illis
horror abest, Sicula pressus tellure Typhoeus.
hunc profugum et sacras reuomentem pectore flammas

ut memorant, prensum ipse comis Neptunus in altum
abstulit implicuitque uadis totiensque cruenta
mole resurgentem torquentemque anguibus undas
Sicanium dedit usque fretum cumque urbibus Aetnam
intulit ora premens; trux ille eiectat adesi
fundamenta iugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem
commouet experiens gemituque reponit inani.
  Iamque Hyperionius metas maris urget Hiberi
currus et euectae prono laxantur habenae
aethere, cum palmas Tethys grandaeua sinusque
sustulit et rupto sonuit sacer aequore Titan.
auxerat hora metus, iam se uertentis Olympi
ut faciem raptosque simul montesque locosque
ex oculis circumque graues uidere tenebras.
ipsa quies rerum mundique silentia terrent
astraque et effusis stellatus crinibus aether.
ac uelut ignota captus regione uiarum
noctiuagum qui carpit iter non aure quiescit,
non oculis, noctisque metus niger auget utrimque
campus et occurrens umbris maioribus arbor,
haud aliter trepidare uiri. sed pectora firmans
Hagniades 'non hanc' inquit 'sine numine pinum
derigimus, nec me tantum Tritonia cursus
erudiit; saepe ipsa manu dignata carinam est.
an non experti, subitus cum luce fugata
horruit imbre dies? quantis, pro Iuppiter, austris
restitimus! quanta quotiens en Palladis arte
incassum decimae cecidit tumor arduus undae!
quin agite, o socii; micat immutabile caelum
puraque nec grauido surrexit Cynthia cornu,
nullus in ore rubor, certusque ad talia Titan
integer in fluctus et in uno decidit auro.
adde, quod in noctem uenti ueloque marique
incumbunt magis et tacitis ratis ocior horis.
atque adeo non illa sequi mihi sidera mens stat,
quae delapsa polo reficit mare (talis Orion

iam cadit, irato iam stridet in aequore Perseus),
sed mihi dux, uetitis qui numquam conditus undis
axe nitet serpens septenosque implicat ignes.'
sic ait et certi memorat qui uultus Olympi,
Pleiones Hyadumque locos, quo sidere uibret
Ensis et Actaeus niteat qua luce Bootes.
haec ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
restituunt uires et parco corpora Baccho.
mox somno cessere; regunt sua sidera puppem.
  Iamque sub Eoae dubio Pallantidis igne
albet ager motisque truces ab ouilibus ursi
tuta domosque petunt, raras et litus in altum
mittit aues; cum primus equis exegit anhelis
Phoebus Athon mediasque diem dispersit in undas.
certatim remis agitur mare rostraque cursu
prima tremunt; et iam summis Vulcania surgit
Lemnos aquis tibi per uarios dilecta fauores,
ignipotens; nec te furiis et crimine matrum
terra fugat meritique piget meminisse prioris.
  Tempore quo primum fremitus insurgere opertos
caelicolum et regni sensit nouitate tumentes
Iuppiter aetheriae nec stare silentia pacis,
Iunonem uolucri primam suspendit Olympo
horrendum chaos ostendens poenasque barathri.
mox etiam pauidae temptantem uincula matris
soluere praerupti Vulcanum uertice caeli
deuoluit; ruit ille polo noctemque diemque
turbinis in morem, Lemni dum litore tandem
insonuit. uox inde repens ut perculit urbem,
adclinem scopulo inueniunt miserentque fouentque
alternos aegro cunctantem poplite gressus.
hinc, rursus superas postquam pater adnuit arces,
Lemnos cara deo, nec fama notior Aetne
aut Lipares domus: has epulas, haec templa peracta
aegide et horrifici formatis fulminis alis
laetus adit. contra Veneris stat frigida semper
ara loco, meritas postquam dea coniugis iras

horruit et tacitae Martem tenuere catenae.
quocirca struit illa nefas Lemnoque merenti
exitium furiale mouet; neque enim alma uideri
uultum ea nec tereti crinem subnectitur auro
sidereos diffusa sinus; eadem effera et ingens
et maculis suffecta genas pinumque sonantem
uirginibus Stygiis nigramque simillima pallam.
Iamque dies aderat, Thracas quo fuderat armis
dux Lemni puppes tenui contexere canna
ausus et inducto cratem defendere tergo.
laeta mari tum signa refert, plenasque mouebant
armentis nuribusque rates; his barbara uestis
et torques, insigne loci. sonat aequore clamor
'o patria, o uariis coniunx nunc anxia curis,
has agimus longi famulas tibi praemia belli':
cum dea se piceo per sudum turbida nimbo
praecipitat Famamque uagam uestigat in umbra,
quam pater omnipotens digna adque indigna canentem
spargentemque metus placidis regionibus arcet
aetheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
non erebi, non diua poli, terrasque fatigat,
quas datur; augentem primi spernuntque fouentque;
mox omnes agit et motis quatit oppida linguis.
talem diua sibi scelerisque dolique ministram
quaerit auens. uidet illa prior, iamque aduolat ultro
inpatiens, iamque ora parat, iam suscitat aures.
hanc superincendit Venus adque his uocibus implet:
'uade age et aequoream, uirgo, delabere Lemnon
et cunctas mihi uerte domos, praecurrere qualis
bella soles, cum mille tubas armataque campis
agmina et innumerum flatus confingis equorum.
adfore iam luxu turpique cupidine captos
fare uiros carasque toris inducere Thraessas.
haec tibi principia, hinc rabidas dolor undique matres
instimulet: mox ipsa adero ducamque paratas.'
Illa abit et mediam gaudens defertur in urbem;
et primam Eurynomen ad proxima limina Codri

occupat exesam curis castumque cubile
seruantem: manet illa uiro famulasque fatigat
uelleribus, tardi reputant quae tempora belli
ante torum et longo mulcent insomnia penso.
huic dea cum lacrimis et nota uoce Neaerae
icta genas 'utinam non hic tibi nuntius essem,
o soror, aut nostros' inquit 'prius unda dolores
obruat, in tali quoniam tibi tempore coniunx
sic meritae, uotis quem tu fletuque requiris,
heu furit et captae indigno stimulatur amore.
iamque aderunt thalamisque tuis Threissa propinquat
non forma, non arte colus, non laude pudoris
par tibi nec magni proles praeclara Dorycli,
picta manus ustoque placet sed barbara mento.
ac tamen hos aliis forsan solabere casus
tu thalamis fatoque leges meliore penates;
me tua matris egens damnataque paelice proles
exanimat, quam iam miseros transuersa tuentem
letalesque dapes infectaque pocula cerno.
scis simile ut flammis simus genus; adde cruentis
quod patrium saeuire Dahis. iam lacte ferino,
iam ueniet durata gelu. sed me quoque pulsam
fama uiro, nostrosque toros uirgata tenebit
et plaustro derepta nurus.' sic fata querellas
abscidit et curis pauidam lacrimisque relinquit.
transit ad Iphinoen isdemque Amythaonis implet
Oleniique domum furiis; totam inde per urbem
personat, ut cunctas agitent expellere Lemno,
ipsi urbem Thraessaeque regant. dolor iraque surgit.
obuia quaeque eadem traditque auditque, neque ulli
uana fides. tum uoce deos, tum questibus implent,
oscula iamque toris adque oscula postibus ipsis
ingeminant lacrimisque iterum uisuque morantur.
prosiliunt nec tecta uirum thalamosque reuisunt
amplius; adglomerant sese nudisque sub astris
condensae fletus acuunt ac dira precantur
coniugia et Stygias infanda ad foedera taedas.

Has inter medias Dryopes in imagine maesta
flet Venus et saeuis ardens dea planctibus instat
primaque 'Sarmaticas utinam Fortuna dedisset
insedisse domos tristesque habitasse pruinas,
plaustra sequi, uel iam patriae uidisse per ignes
culmen agi stragemque deum! nam cetera belli
perpetimur. mene ille nouis, me destinat amens
seruitiis? urbem aufugiens natosque relinquam?
non prius ense manus raptoque armabimus igne,
dumque silent ducuntque noua cum coniuge somnos,
magnum aliquid spirabit amor?' tunc ignea torquens
lumina praecipites excussit ab ubere natos.
ilicet arrectae mentes euictaque matrum
corda sacer Veneris gemitus rapit: aequora cunctae
prospiciunt simulantque choros delubraque festa
fronde tegunt laetaeque uiris uenientibus adsunt.
iamque domos mensasque petunt; discumbitur altis
porticibus; sua cuique furens funestaque coniunx
adiacet, inferni qualis sub nocte barathri
adcubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta
Tisiphone saeuasque dapes et pocula libat
(tormenti genus) et nigris amplectitur hydris.
Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum
adglomerat tenebras pugnaeque adcincta trementem
desilit in Lemnon; nimbis et luce fragosa
prosequitur polus et tonitru pater auget honoro.
inde nouam pauidas uocem furibunda per auras
congeminat, qua pulsus Athos et pontus et ingens
Thraca pauet pariterque toris exhorruit omnis
mater et adstricto riguerunt ubere nati.
adcelerat Pauor et Geticis Discordia demens
e stabulis atraeque genis pallentibus Irae
et Dolus et Rabies et Leti maior imago
uisa truces exerta manus, ut prima uocatu
intonuit signumque dedit Mauortia coniunx.
hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum
orsa nefas gemitus fingit uocesque cadentum

inrupitque domos, et singultantia gestans
ora manu taboque sinus perfusa recenti
arrectaque coma 'meritos en prima reuertor
ulta toros, premit ecce dies'. tum uerbere uictas
in thalamos agit et cunctantibus inserit enses.
unde ego tot scelerum facies, tot fata iacentum
exequar? heu uatem monstris quibus intulit ordo!
quae se aperit series! o qui me uera canentem
sistat et hac nostras exsoluat imagine cartas!
inuadunt artus et quondam cara suorum
corpora: pars, ut erant dapibus uinoque sopori,
ignaros, pars insomnes et cuncta tuentes.
sed temptare fugam prohibetque capessere contra
arma metus; adeo ingentes inimica uideri
diua dabat, notaque sonat uox coniuge maior.
tantum oculos pressere manu, uelut agmina cernant
Eumenidum ferrumue super Bellona coruscet.
hoc soror, hoc coniunx, propiorque hoc nata parensque
saeua ualet; prensosque toris mactatque trahitque
femineum genus, inmanes quos sternere Bessi
nec Geticae potuere manus aut aequoris irae.
it cruor in thalamis et anhelo in pectore fumant
uulnera seque toris misero luctamine trunci
deuoluunt. diras aliae ad fastigia taedas
iniciunt adstantque domos: *pars inde uirorum*
consumpta in somno flammis, pars ignibus acti
effugiunt propere, sed dura in limine coniunx
obsidet et uiso repetunt incendia ferro.
ast aliae Thraessas labem causamque furoris
deripiunt; mixti gemitus clamorque precantum
barbarus ignotaeque implebant aethera uoces.
Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis
orsa feram, decus et patriae laus una furentis,
Hypsipyle? non ulla meo te carmine dictam
abstulerint, durent Latiis modo saecula fastis
Iliacique lares tantique palatia regni.
inruerant actae pariter nataeque nurusque

totaque iam sparsis exarserat insula monstris.
illa pias armata manus 'fuge protinus urbem
meque, pater; non hostis,' ait 'non moenia laeti
Thraces habent; nostrum hoc facinus. ne quaere, quis auctor.
iam fuge, iam dubiae donum rape mentis et ensem
tu potius, miserere, tene.' tunc excipit artus
obnubitque caput tacitumque ad conscia Bacchi
templa rapit, primoque manus a limine tendens
'exime nos sceleri, pater, et miserere piorum
rursus' ait. tacita pauidum tunc sede locauit
sub pedibus dextraque dei; latet ille receptus
ueste sacra; uoces tholus et trieterica reddunt
aera sonum fixaeque fremunt in limine tigres.
regina ut roseis Auroram surgere bigis
uidit et insomni lassatas turbine tandem
conticuisse domos, stabilem quando optima facta
dant animum maiorque piis audacia coeptis,
serta patri iuuenisque comam uestesque Lyaei
induit et medium curru locat aeraque circum
tympanaque et plenas tacita formidine cistas.
ipsa sinus hederisque ligat famularibus artus
pampineamque quatit uentosis ictibus hastam
respiciens, teneat uirides elatus habenas
ut pater, in niuea tumeant ut cornua mitra
et sacer ut Bacchum referat scyphus. inpulit acri
tum ualidas stridore fores rapiturque per urbem
talia uoce canens: 'linque o mihi caede madentem,
Bacche, domum; sine foedatum te funere pontus
expiet et referam lotos in templa dracones.'
sic medios egressa metus; facit ipse uerendam
nam deus et flatu non inscia gliscit anhelo.
iamque senem tacitis saeua procul urbe remotum
occulerat siluis, ipsam sed conscius ausi
nocte dieque pauor fraudataque turbat Erinys.
non similes iam ferre choros (semel orgia fallunt)
audet, non patrios furtis accedere saltus,
. . . .

et fuga diuersas misero quaerenda per artes.
uisa ratis saeuae defecta laboribus undae,
quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
solibus et canis urebat luna pruinis.
huc genitorem altae per opaca silentia noctis
praecipitem siluis rapit et sic maesta profatur:
'quam, genitor, patriam, quanta modo linquis inanis
pube domos! pro dira lues, pro noctis acerbae
exitium! talin possum te credere puppi,
care parens? possum tantis retinere periclis?
soluimus heu serum furti scelus! adnue uotis,
diua, soporiferas quae nunc trahis aequore bigas.
non populos, non dite solum, non ulla parenti
regna peto; patria liceat decedere terra.
quando ego seruato mediam genitore per urbem
laeta ferar? quando hic lacrimas planctusque uidebo?'
dixerat. ille procul trunca fugit anxius alno,
Taurorumque locos delubraque saeua Dianae
aduenit. hic illum tristi, dea, praeficis arae
ense dato; mora nec terris tibi longa cruentis.
iam nemus Egeriae, iam te ciet altus ab Alba
Iuppiter et soli non mitis Aricia regi.
  Arcem nata petit, quo iam manus horrida matrum
congruerat. rauco fremitu sedere parentum
natorumque locis uacuaeque in moenibus urbis
iura nouant; donant solio sceptrisque paternis
ut meritam redeuntque piae sua praemia menti.
  Ecce procul ualidis Lemnon tendentia remis
arma notant; rapitur subito regina tumultu
conciliumque uocat. non illis obuia tela
ferre nec infestos derat furor inprobus ignes,
ni Veneris saeuas fregisset Mulciber iras.
tunc etiam uates Phoebo dilecta Polyxo
(non patriam, non certa genus, sed te, anxia Ceto,
Proteaque ambiguum Phariis fert rumor ab antris
huc uexisse suam iunctis super aequora phocis);
haec imis se condit aquis cunctataque paulum

surgit ut auditas referens in gurgite uoces.
'portum demus' ait, 'haec dextera, credite, puppis
aduenit et melior Lemno deus aequore flexit
huc Minyas; Venus ipsa uolens dat corpora iungi,
dum uires utero maternaque sufficit aetas.'
dicta placent portatque preces ad litora Grais
Iphinoe; nec turba nocens scelerisque recentis
signa mouent, tollitque loci Cytherea timorem.

* * *

protinus ingentem procerum sub nomine taurum
deicit, insuetis et iam pia munera templis
reddit et hac prima Veneris calet ara iuuenca.

Ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris
fumant saxa iugis coquiturque uaporibus aer.
substitit Aesonides, adque hic regina precari
hortatur causasque docens 'haec antra uidetis
Vulcanique' ait 'ecce domos: date uina precesque.
forsitan ob sacrum taceat iam fulmen in antro;
nox dabit ipsa fidem: clausae tum murmura flammae,
hospes, et incussae sonitum mirabere massae.'
moenia tum uiresque loci ueteresque parentum
iactat opes. mediis famulae conuiuia tectis
expediunt; Tyrio uibrat torus igneus ostro.
stat maerens atauos reges regesque maritos
Thraessa manus, quaecumque faces timuisse iugales
credita nec dominae sanctum tetigisse cubile.
iam medium Aesonides, iam se regina locauit,
post alii proceres; sacris dum uincitur extis
prima fames, circum pateris it Bacchus et omnis
aula silet; dapibus coeptis mox tempora fallunt
noctis et in seras durant sermonibus umbras.
praecipueque ducis casus mirata requirit
Hypsipyle, quo fata trahant, quae regis agat uis,
aut unde Haemoniae molem ratis: unius haeret
adloquio et blandos paulatim colligit ignes
iam non dura toris Veneri nec iniqua reuersae.

et deus ipse moras spatiumque indulget amori.
Pliada lege poli nimboso mouerat astro
Iuppiter aeternum uoluens opus, et simul undis
cuncta ruunt unoque dei Pangaea sub ictu
Gargaraque et Moesi steterunt formidine luci.
saeuior haut alio mortales tempore mentes
terror agit; tunc urget enim, tunc flagitat iras
in populos Astraea Iouem terrisque relictis
inuocat adsiduo Saturnia sidera questu.
insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus
intonat Aegaeo tenditque ad litora pontus;
et lunam quarto densam uidet imbribus ortu
Thespiades. longus coeptis et fluctibus arcet
dum metus, usque nouos diuae melioris ad ignis
urbe sedent laeti Minyae uiduisque uacantes
indulgent thalamis; nimbosque educere luxu
nec iam uelle uias, zephyrosque audire uocantes
dissimulant, donec resides Tirynthius heros
non tulit, ipse rati inuigilans adque integer urbis.

* * *

inuidisse deos tantum maris aequor adortis
desertasque domos fraudataque tempore segni
uota patrum. quid et ipse uiris cunctantibus adsit?
'o miseri quicumque tuis accessimus actis!
Phasin et Aeeten Scythicique pericula ponti
redde' ait 'Aesonide: me tecum solus in aequor
rerum traxit amor, dum spes mihi sistere montes
Cyaneos uigilemque alium spoliare draconem.
si sedet Aegaei scopulos habitare profundi,
hoc mecum Telamon peraget meus.' haec ubi dicta,
haud secus Aesonides monitis accensus amaris,
quam bellator equus, longa quem frigida pace
pergula alit, breuis in flexus piger angitur orbis,
frena tamen dominumque uelit, si Martius aures
clamor et obliti rursus fragor impleat aeris.
tunc Argum Tiphynque uocat pelagoque parari

praecipitat; petit ingenti clamore magister
arma uiros pariter sparsosque in litore remos.
Exoritur nouus urbe dolor planctusque per omnes
est facies antiqua domos. sibi moenia linqui
en iterum, et quando natorum tempora, gentem
qui recolant, qui sceptra gerant? nunc triste nefandae
noctis opus, uidui nunc illa silentia tecti
saeua magis, thalamos excussaque uincla quod ausae
induere atque iterum tales admittere curas.
ipsa quoque Hypsipyle subitos per litora cursus
ut uidit totaque uiros decedere Lemno,
ingemit et tali conpellat Iasona questu:
'iamne placet primo deducere uela sereno,
carius o mihi patre caput? modo saeua quierunt
aequora. sic portus fugeret ratis, aspera si te
Plias in aduersae tenuisset litore Thraces.
ergo moras caelo cursumque tenentibus undis
debuimus?' dixit lacrimans, haesuraque caro
dona duci promit chlamydem textosque labores.
illic seruati genitoris conscia sacra
pressit acu currusque pios: stant saeua pauentum
agmina dantque locum; uiridis circum horrida late
silua tremit; mediis refugit pater anxius undis.
contra et frondosae tractus expresserat Idae
inlustremque fugam pueri; mox aethere laetus
adstabat mensis, quin et Iouis armiger ipse
accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro.
tunc ensem notumque ferens insigne Thoantis
'accipe' ait, 'bellis mediaeque ut puluere pugnae
sim comes, Aetnaei genitor quae flammea gessit
dona dei, nunc digna tuis adiungier armis.
i, memor i terrae, quae uos amplexa quieto
prima sinu; refer et domitis a Colchidos oris
uela per hunc utero quem linquis Iasona nostro.'
sic ait Haemonii labens in colla mariti.
nec minus Orphea tristis ceruice tuaque,
Aeacide, et gemino coniunx a Castore pendet.

Has inter lacrimas legitur piger uncus harenis:
iam remi rapuere ratem, iam flamina portant;
spumea subsequitur fugientis semita claui.
tunc tenuis Lemnos transitque Electria tellus
Threiciis arcana sacris; hic numinis ingens
horror et incautis decreta piacula linguis.
hanc demissa Ioui non umquam laedere fluctu
audet hiemps: sponte ipse deus tunc asperat undas,
cum uetat infidos sua litora tangere nautas.
obuius at Minyas terris adytisque sacerdos
excipit hospitibus reserans secreta Thyotes.
hactenus in populos uati, Samothraca, diemque
missa uale, sacrisque metum seruemus opertis.
illi sole nouo laeti plenique deorum
considunt transtris, iam quas praeuiderat urbes
nauita condebat, proraeque accesserat Imbros,
et sol aetherias medius conscenderat arces.
Thessala Dardaniis tunc primum puppis harenis
adpulit et fatis Sigeo litore sedit.
desiliunt: pars hinc leuibus candentia uelis
castra locat; trito pars frangit adorea saxo
farra; citum strictis alius de cautibus ignem
obtendit foliis et sulphure pascit amico.
Alcides Telamonque comes dum litora blando
anfractu sinuosa legunt, uox attigit aures
flebilis, ut scopulis cum fracta remurmurat unda.
adtoniti pressere gradum dubiumque secuntur
uocis iter; iam certa sonat, desertaque durae
uirgo neci quem non hominum superumque uocabat?
acrius hoc instare uiri succurrere certi;
qualiter, impleuit gemitu cum taurus acerbo
auia, frangentem morsu super alta leonem
terga ferens, coit e sparso concita mapali
agrestum manus et caeco clamore coloni.
constitit Alcides, uisuque enisus in alta
rupe truces manicas defectaque uirginis ora
cernit et ad primos umentia lumina fluctus;

exanimum ueluti multa tandem arte coactum
maeret ebur, Pariusue notas et nomina sumpsit
cum lapis aut liquidi referunt miranda colores.
ductor ait: 'quod, uirgo, tibi nomenque genusque,
quae sors ista, doce. tendunt cur uincula palmas?'
illa tremens tristique oculos deiecta pudore
'non ego digna malis' inquit; 'suprema parentum
dona uides, ostro scopulos auroque frequentes.
nos Ili felix quondam genus, inuida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
principio morbi caeloque exacta sereno
temperies, arsere rogis certantibus agri.
tum subitus fragor et fluctus Idaea mouentes
cum stabulis nemora. ecce repens consurgere ponto
belua, monstrum ingens; hanc tu nec molibus ullis
nec nostro metire mari. primaeua furenti
huic manus amplexus inter planctusque parentum
deditur. hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon,
uirgineam damnare animam sortitaque Lethen
corpora; crudelis scopulis me destinat urna.
uerum o iam redeunt Phrygibus si numina tuque
ille ades auguriis promisse et sorte deorum,
iam cui candentes uotiuo in gramine pascit
cornipedes genitor, nostrae stata dona salutis,
adnue meque, precor, defectaque Pergama monstris
eripe, namque potes. neque enim tam lata uidebam
pectora, Neptunus muros cum iungeret astris,
nec tales umeros pharetramque gerebat Apollo.'
auxerat haec locus et facies maestissima uasti
litoris et tumuli caelumque, quod incubat urbi,
quale laborantis Nemees iter aut Erymanthi
uidit et infectae miseratus flumina Lernae.

Dat procul interea signum Neptunus et una
monstriferi mugire sinus Sigeaque pestis
adglomerare fretum, cuius stellantia glauca
lumina nube tremunt, adque ordine curua trisulco
fulmineus quatit ora fragor, pelagoque remenso

cauda redit, passosque sinus rapit ardua ceruix.
illam incumbentem per mille uolumina pontus
prosequitur lateri adsultans, trepidisque ruentem
litoribus sua cogit hiemps. non fluctibus aequis
nubiferi uenit unda Noti, non Africus alto
tantus ouat patriisque manus cum plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
ecce ducem placitae furiis crudescere pugnae
surgentemque toris stupet immanemque paratu
Aeacides pulsentque graues ut terga pharetrae.
ille patrem pelagique deos suaque arma precatus
insiluit scopulo, motumque e sedibus aequor
horruit et celsi spatiosa uolumina monstri.
qualis ubi a gelidi Boreas conuallibus Hebri
tollitur et uolucres Riphaea per ardua nubes
praecipitat (piceo nox tum tenet omnia caelo):
illa simul molem horrificam scopulosaque terga
promouet ingentique unda subit; intremere inde
inlidique uadis pronae atque resurgere puppes.
occupat Alcides arcum totaque pharetrae
nube premit. non illa magis quam sede mouetur
magnus Eryx, deferre uelint quem uallibus imbres.
iam breuis et telo uolucri non utilis aer.
tum uero fremitus uanique insania coepti
et tacitus pudor et rursus pallescere uirgo:
proicit arma manu, scopulos uicinaque saxa
respicit, et quantum uentis adiuta uetustas
inpulerat pontiue fragor, tantum abscidit imi
concutiens a sede maris. iamque agmine toto
pistris adest miseraeque inhiat iam proxima praedae.
stat mediis elatus aquis recipitque ruentem
Alcides saxoque prior surgentia colla
obruit; hinc ualidos nodosi roboris ictus
congeminat. fluctus defertur belua in imos
iam totis resoluta uadis; Idaeaque mater
et chorus et summis ulularunt collibus Amnes.
protinus e scopulis et opaca ualle resurgunt

pastores magnisque petunt clamoribus urbem.
nuntius hinc socios Telamon uocat, ac simul ipsi
horrescunt subitoque uident in sanguine puppem.
nec minus in scopulos crudique cacumina saxi
emicat Alcides uinclisque tenentibus aufert
uirgineas de rupe manus aptatque superbis
arma umeris; regem inde petens superabat ouante
litora tuta gradu, qualis per pascua uictor
ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta reuisit
et patrium nemus et bello quos ultus amores.
Obuia cui contra longis emersa tenebris
turba Phrygum paruumque trahens cum coniuge natum
Laomedon; iam maestus equos, iam debita posci
dona gemit. pars aerii fastigia muri
cingit et ignotis iuuenem mirantur in armis.
illum torua tuens adque acri lubricus astu
rex subit et patrio fatur male laetus amore:
'maxime Graiugenum, quem non Sigea petentem
litora nec nostrae miserantem funera Troiae
adpulit his fors ipsa locis, si uera parentem
fama Iouem summique tibi genus esse Tonantis,
noster ades iunctisque uenis; sator unus et idem
stirpis honos, quamquam longis disiungimur oris.
quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
serus ades! quam parua tuis iam gloria factis!
uerum age nunc socios fraternis moenibus infer;
crastina lux biiuges stabulis ostendet apertis.'
dixerat haec; tacitosque dolos dirumque uolutat
corde nefas, clausum ut thalamis somnoque grauatum
immolet et rapta ludat responsa pharetra:
namque bis Herculeis deberi Pergama telis
audierat. Priami sed quis iam auertere regnis
fata queat? manet immotis nox Dorica lustris
et genus Aeneadum et Troiae melioris honores.
'nos' ait 'ad Scythici' Tirynthius 'ostia ponti
raptat iter; mox huc uestras reuehemur ad oras

donaque dicta feram.' tum uero plura uocatis
adnuit ille deis. promissa infida tyranni
iam Phryges et miserae flebant discrimina Troiae.
Panditur hinc totis in noctem carbasus alis,
litoraque et ueteris tumulus praelabitur Ili
Dardaniusque pater; uigili simul omnia ludo
festa uident; hinc unda sacris hinc ignibus Ide
uibrat et horrisonae respondent Gargara buxo.
inde ubi iam medii tenuere silentia ponti
stridentesque iuuant aurae, Phrixea subibant
aequora et angustas quondam sine nomine fauces.
ecce autem prima uolucrem sub luce dehiscens
terruit unda ratem, uittataque constitit Helle,
iam Panopes Thetidisque soror, iamque aurea laeua
sceptra tenens. tum sternit aquas proceresque ducemque
aspicit et placidis conpellat Iasona dictis.
'te quoque ab Haemoniis ignota per aequora terris
regna infesta domu fatisque simillima nostris
fata ferunt; iterum Aeolios Fortuna penates
spargit et infelix Scythicum gens quaeritis amnem.
uasta super tellus, longum (ne defice coeptis)
aequor, et ipse procul, uerum dabit ostia Phasis.
hic nemus arcanum geminaeque uirentibus arae
stant tumulis; hic prima pia sollemnia Phrixo
ferte manu cinerique, precor, mea reddite dicta:
non ego per Stygiae quod rere silentia ripae,
frater, agor; frustra uacui scrutaris Auerni,
care, uias. neque enim scopulis me et fluctibus actam
frangit hiemps; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucusque manu; pater ipse profundi
has etiam sedes, haec numine tradidit aequo
regna nec Inois noster sinus inuidet undis.'
dixerat, et maestos tranquilla sub aequora uultus
cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
tum pelago uina inuergens dux talibus infit:
'undarum decus et gentis, Cretheia uirgo,
pande uiam cursuque tuos age, diua, secundo.'

Inmittitque ratem mediasque interuolat urbes
qua breuibus furit aestus aquis Asiamque prementem
effugit abruptis Europa inmanior oris.
has etiam terras consertaque gentibus arua
sic pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
cuspis et aduersi longus labor abscidit aeui,
ut Siculum Libycumque latus, stupuitque fragore
Taurus et occiduis regnator montibus Atlans.
iam iuga Percotes Pariumque infame fragosis
exuperant Pityamque uadis, transmissaque puppi
Lampsacus, Ogygii quam nec trieterica Bacchi
sacra neque arcanis Phrygius furor inuehit antris,
sed suus in Venerem raptat deus. illius aras
urbe super celsique uident gestamina templi.
rarior hinc tellus adque ingens undique caelum
rursus et incipiens alium prospectus in orbem.
terra sinu medio Pontum iacet inter et Hellen
ceu fundo prolata maris; namque inproba caecis
intulit arua uadis longoque per aequora dorso
litus agit: tenet hinc ueterem confinibus oris
pars Phrygiam, pars discreti iuga pinea montis.
nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
urbs placidis demissa iugis; rex diuitis agri
Cyzicus. Haemoniae qui tum noua signa carinae
ut uidet, ipse ultro primas procurrit ad undas
miraturque uiros dextramque amplexus et haerens
incipit 'o terris nunc primum cognita nostris
Aemathiae manus et fama mihi maior imago.
non tamen haec adeo semota neque abdita tellus
nec loca iam populis inperuia lucis eoae,
cum tales intrasse duces, tot robora cerno.
nam licet hinc saeuas tellus alat horrida gentes
meque fremens tumido circumfluat ore Propontis,
uestra fides ritusque pares et mitia cultu
his etiam mihi corda locis; procul effera uirtus
Bebrycis et Scythici procul inclementia sacri.'
sic memorat laetosque rapit, simul hospita pandi

tecta iubet templisque sacros largitur honores.
stant gemmis auroque tori mensaeque paratu
regifico centumque pares primaeua ministri
corpora; pars epulas manibus, pars aurea gestant
pocula bellorum casus expressa recentum.
adque ea prima duci porgens carchesia Graio
Cyzicus 'hic portus' inquit 'mihi territat hostis,
has acies sub nocte refert, haec uersa Pelasgum
terga uides, meus hic ratibus qui pascitur ignis.'
subicit Aesonides 'utinam nunc aura Pelasgos
adferat et solitis temptet concurrere furtis
cunctaque se ratibus fundat manus: arma uidebis
hospita nec post hanc ultra tibi proelia noctem.'
sic ait hasque inter uariis nox plurima dictis
rapta uices nec non simili lux postera tractu.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER TERTIUS.

Tertia iam gelidas Tithonia soluerat umbras
exueratque polum; Tiphyn placida alta uocabant.
it tectis Argoa manus, simul urbe profusi
Aenidae caris socium digressibus haerent.
dant Cererem lectumque pecus nec palmite Bacchum
Bithyno Phrygioue satum, sed quem sua noto
colle per angustae Lesbos freta suggerit Helles.
ipse agit Aesonidae iunctos ad litora gressus
Cyzicus abscessu lacrimans *oneratque superbis*
muneribus, primas coniunx Percosia uestes
quas dederat picto et Clite uariauerat auro.
tum galeam et patriae telum insuperabile dextrae
addidit: ipse ducis phaleras et Thessala contra
frena capit manibusque datis iunxere penates.
  Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio,
pande uirum; tibi enim superum data, uirgo, facultas
nosse animos rerumque uias. cur talia passus
arma, quid hospitiis iunctas concurrere dextras
Iuppiter? unde tubae nocturnaque mouit Erinys?
  Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis
dum uolucri quatit asper equo siluasque fatigat
Cyzicus, ingenti praedae deceptus amore
adsuetum Phrygias dominam uectare per urbes
oppressit iaculo redeuntem ad frena leonem.

et tunc ille iubas captiuaque postibus ora
inposuit, spolium infelix diuaeque pudendum.
quae postquam Haemoniam tantae non inmemor irae
aerisono de monte ratem praefixaque regum
scuta uidet, noua monstra uiro, noua funera uoluit,
ut socias in nocte manus utque impia bella
conserat et saeuis erroribus inplicet urbem.
nox erat et leni canebant aequora sulco,
et iam prima leues spargebant sidera somnos.
aura uehit; religant tonsas ueloque Procnesson
et te iam medio flauentem, Rhundace, ponto
spumosumque legunt fracta Scylaceon ab unda.
ipse diem longe solisque cubilia Tiphys
consulit, ipse ratem uento stellisque ministrat.
at qui illum non ante sopor luctamine tanto
lenit agens diuum imperiis; cadit inscia clauo
dextera demittitque oculos, solataque puppis
turbine flectit iter portuque refertur amico.

Ut notis adlapsa uadis, dant aethere longo
signa tubae, uox et mediis emissa tenebris
'hostis habet portus, soliti rediere Pelasgi.'
rupta quies; deus ancipitem lymphauerat urbem,
Mygdoniae Pan iussa ferens saeuissima matris,
Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas
antra tenent; latet ad medias per deuia noctes.
saetigerum latus et toruae coma sibila frontis.
uox omnes super una tubas, qua conus et enses,
qua trepidis auriga rotis nocturnaque muris
claustra cadunt; talesque metus non Martia cassis
Eumenidumque comae, non tristis ab aegide Gorgo
sparserit aut tacitis aciem raptauerit umbris.
ludus et illa deo, pauidum praesepibus aufert
cum pecus et profugi sternunt dumeta iuuenci.

Ilicet ad regem clamor ruit. exilit altis
somnia dira toris simulacraque pallida linquens
Cyzicus. ecce super foribus Bellona reclusis
nuda latus passuque mouens orichalca sonoro

adstitit et triplici pulsans fastigia crista
hinc ciet aere uirum. sequitur per moenia demens
ille deam et fatis extrema in proelia tendit;
qualis in Alciden et Thesea Rhoetus iniqui
nube meri geminam Pholoen maioraque cernens
antra ruit, qualisue redit uenatibus actis
lustra pater Triuiamque canens umeroque Learchum
aduehit, at miserae declinant lumina Thebae.
iamque adeo nec porta ducem nec pone moratur
excubias sortita manus, quae prima furenti
aduolat; hinc alii subeunt, ut proxima quaeque
intremuit domus et motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pauor; aegra uirorum
corda labant, nec quae regio aut discrimina cernunt,
cur galeae clipeique micent, num peruigil armis
. . . .
donec et hasta uolans inmani turbine transtris
insonuit monuitque ratem rapere obuia caeca
arma manu. princeps galeam constringit Iason
uociferans 'primam hanc nati, pater, accipe pugnam
uosque, uiri, optatos huc adfore credite Colchos.'
Bistonas in medios ceu Martius exilit astris
currus, ubi ingentes animae clamorque tubaeque
sanguineum iuuere deum, non segnius ille
occupat arua furens; sequitur uis omnis Achiuum.
adglomerant latera, et densis thoracibus horrens
stat manus, aegisono quam nec fera pectore uirgo
dispulerit nec dextra Iouis Terrorque Pauorque,
Martis equi. sic contextis umbonibus urgent,
caeruleo ueluti cum Iuppiter agmine nubem
constituit; certant zephyri frustraque rigentem
pulsat utrimque notus; pendent mortalia longo
corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat aruis.
Hinc manus infelix clamore inpellere magno
saxa facesque atras et tortae pondera fundae;
fert sonitus inmota phalanx irasque retentant,
congeries dum prima fluat. stellantia Mopsus

tegmina et ingentem Corythi notat Eurytus umbram.
restitit ille gradu seseque a lumine ferri
sustinuit praeceps, subitum ceu pastor ad amnem
spumantem nimbis fluctuque arbusta ruentem.
et Tydeus 'en intentis quem uiribus' inquit
'opperiar manibusque dari quem comminus optem;
quo steteris moriere loco.' subit ilia cuspis
Olenii; dedit ille sonum conpressaque mandens
aequora purpuream singultibus expulit hastam.
ac uelut in medio rupes latet horrida ponto,
quam super ignari numquam rexere magistri
praecipites inpune rates, sic agmine caeco
incurrit strictis manus ensibus. occubat Iron
et Cotys et Pyrno melior genitore Bienor.
At magis interea diuerso turbida motu
urbs agitur. Genyso coniunx amouerat arma;
ast illi subitus uentis uiuoque reluxit
torre focus; telis gaudes, miserande, repertis.
linquit et undantes mensas infectaque pernox
sacra Medon; chlamys inbelli circumuenit ostro
torta manum strictoque uias praefulgurat ense.
talis in arma ruit, nec uina dapesque remota
statque loco torus, insomnes mansere ministri.
inde uagi nec bella modis nec casibus isdem
conseruere manu et longe iacuere perempti.
ecce grauem nodis pinguique bitumine quassans
lampada turbata Phlegyas decurrit ab urbe;
ille leues de more manus aciemque Pelasgum
per noctem remeasse ratus pulsumque requirens
saepe sibi uano Thamyrim clamore petebat
arduus et late fumanti nube coruscus;
quantus ubi inmenso prospexit ab aethere Typhon
igne simul uentisque rubens, quem Iuppiter alte
crine tenet; trepidant diro sub lumine puppes.
tollitur hinc tentoque ruit Tirynthius arcu
pectore certa regens aduersae spicula flammae
per piceos accensa globos, et pectus harundo

per medium contenta fugit; ruit ille comantem
ore facem supra maiorque apparuit ignis.
Ambrosium Peleus, ingentem Ancaeus Echeclum
sternit et elatae propius succedere dextrae
Telecoonta sinit duplicataque ora securi
dissecuit ceruice tenus. simul aspera uictor
cingula sublustri uibrantia detrahit umbra.
'has, precor, exuuias et opima cadauere' Nestor
'linquite' ait: 'ferro potius mihi dextera, ferro
nauet opus,' prensumque manu detruncat Amastrum
diuersasque simul socios inuadere turmas
admonuit. pergunt rupta testudine fusi,
qua tenebrae campique ferunt. grauis inuenit Ochum
Phlias et trepido Pollux inpingitur Hebro.
ipse super uultus taboque natantia terga
dux campi Martisque potens ut caeca profundo
currit hiemps, Zelyn et Broten Abarimque relinquit
semineces; Glaucum sequitur Glaucumque ruentem
occupat et iugulo uulnus molitur aperto.
ille manu contra telum tenet ultima frustra
uerba ciens, fixamque uidet decrescere cornum.
hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
Protin et insignem cithara cantuque fluenti
Dorcea, qui dulci festis adsistere mensis
pectine Bistoniae magnum post ausus alumnum.
nec pharetram aut acres ultra Tirynthius arcus
exercet, socia sed disicit agmina claua.
ac ueluti magna iuuenum cum densa securi
silua labat cuneisque gemit graue robur adactis
iamque abies piceaeque ruunt: sic dura sub ictu
ossa uirum malaeque sonant sparsusque cerebro
albet ager. leuis ante pedes subsederat Admon;
occupat os barbamque uiri clauamque superne
intonat. 'occumbens en duc' ait 'Herculis armis
donum ingens semperque tuis memorabile fatis.'
horruit ille cadens nomenque agnouit amicum
primus et ignaris dirum scelus attulit umbris.

nec tibi Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
hospitiis aut mente moras fouisse benigna
et laribus sacrasse fidem; procul aduenit Idmon
oblatumque ferit galeam cristasque rubentes,
heu tua dona, gerens. quem te qualemque uidebit
attonitus, Crenaee, parens! en frigidus orbes
purpureos iam somnus obit, iam candor et anni
deficiunt uitaque fugit decus omne soluta:
deseris heu nemus et Nympharum, durus, amores!
at diuersa Sagen turbantem fallere neruo
tum primum puer ausus Hylas (spes maxima bellis
pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Iuno),
prostrauitque uirum celeri per pectora telo.
Accessere (nefas) tenebris fallacibus acti
Tyndaridae in sese: Castor prius ibat in ictus
nescius; ast illos noua lux subitusque diremit
frontis apex. tum Castor Ityn, qua caerulus ambit
balteus et gemini committunt ora dracones,
frater Hagen Thapsumque securigerumque Nealcen
transigit et Canthi pallentem uulnere Cydrum.
torserat hic totis conisus uiribus hastam
uenatori Erymo, breuis hanc sed fata ferentem
prodidit et piceo comitem miserata refulsit
Luna polo; cessere iubae raptumque per auras
uulnus et extrema sonuit cita cuspide cassis.
Nisaeum Telamon et Ophelten uana sonantem
per clipei cedentis opus cratemque trilicem,
qua stomachi secreta, ferit laetusque profatur:
'di, precor, hunc regem aut aeque delegerit alta
fors mihi gente satum, magnusque et flebilis urbi
conciderit.' super addit Aren fratremque Melanthum
Phoceaque Oleniden, Lelegum qui pulsus ab oris
regis amicitiam et famuli propioris honores
(qua patiens non arte?) tulit. nox alta cadentum
ingentes duplicat sonitus augetque ruinas.
ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesuius, attonitas acer cum suscitat urbes,

sic pugnae crudescit opus; neque enim ignea cedunt
astra loco, lentis haeret nox conscia bigis.
perge age Tartareae mecum simul omnia noctis,
Musa, sequi. trepidam Phaeton adflauit ab alto
Tisiphonen grauiorque locos iam luce propinqua
umbra premit; non signa uirum, non funera cernunt,
et rabie magis ora calent. uos prodite, diuae,
Eumenidum noctisque globos, uatique patescat
armorum fragor et tepidi singultibus agri
labentum adque acti Minyis per litora manes.
  Cyzicus hic aciem uanis discursibus implet
fata trahens; iam pulsa sibi cessisse Pelasgum
agmina, iam passim uacuos disiecta per agros
credit ouans; tales ausus, ea gaudia fingit
ira deum. fundo ueluti cum Coeus in imo
uincla Iouis fractoque trahens adamante catenas
Saturnum Tityumque uocat spemque aetheris amens
concipit, ast illum fluuiis et nocte remersit
Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae.
saeuit acerba fremens tardumque a moenibus agmen
increpitat: 'numquamne dolor uirtusque subibit
nil ausas sine rege manus? at barbara buxus
si uocet et motis ulutantia Dindyma sacris,
tunc ensis placet atque furor, modo tela sacerdos
porrigat et iussa sanguis exuberet ulna.'
talibus insultans iamdudum numine diuae
deficit; infracti languescunt frigore cursus;
corda pauent; audit fremitus irasque leonum
cornuaque et motas uidet inter nubila turres.
tunc grauis et certo tendens stridore per umbram
Aesonii uenit hasta ducis latumque sub imo
pectore rumpit iter. quam nunc incognita uellet
lustra sibi nullosque datos uenatibus annos?
talia magnanimi diuerso turbine fundunt
tela uiri, sonitusque pedum suspectaque motu
explorant; prensant socios uocemque reposcunt.
quod si tanta lues seros durasset in ortus,

extinctum genus et solas per moenia matres
uidisset stratamque dies in litore gentem.
Tum pater omnipotens tempus iam rege perempto
flectere fata ratus miserasque abrumpere pugnas,
supremam celerauit opem nutuque sereno
intonuit, quem Nocte satae, quem turbidus horret
armipotens. tunc porta trucis coit infera leti.
continuo dant terga metu uersique per agros
diffugiunt, quae sola salus: nec terga ruentum
mens Minyis conuersa sequi; stetit anxia uirtus.
ecce leui primos iam spargere lumine portus
orta dies notaeque (nefas) albescere turres.
'di maris' attonito conclamat ab agmine Tiphys
'ut mea fatali damnastis pectora somno!
heu socii quantis conplerunt litora monstris!'
illi autem neque adhuc gemitus neque conscia facti
ora leuant; tenet exangues rigor horridus artus;
ceu pauet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi inpulsae iam se deus agmine matris
abstulit et caesi uanescunt cornua tauri.
nec minus effusi grandaeuum ad litora uulgus,
ut socias uidere manus, dare uersa retrorsus
terga metu. dextram tendens proclamat Iason
'quos fugitis? uellem hac equidem me strage meosque
procubuisse magis. deus haec, deus asper utrisque
implicuit. sumus heu Minyae, sumus hospita turba.
cur etiam flammas miserosque moramur honores?'
Tum super exangues confertae caedis aceruos
praecipiti plangore ruunt; agnoscit in alta
strage uirum sua texta parens, sua munera coniunx.
it gemitus toto sinuosa per aequora caelo.
pars tenuis flatus et adhuc stridentia prensant
uolnera, pars sera conponunt lumina dextra.
at uero in mediis exangui rege reperto
aggeribus, tristi sileant ceu cetera planctu,
sic famulum matrumque dolor, sic omnis ad unum
uersa manus. circa lacrimis ac mentibus aegri

stant Minyae deflentque nefas et cuspidis ictus
Haemoniae sortemque ducis solantur acerbam.
ille ubi concretos pingui iam sanguine crines
pallentesque genas infractaque pectore caro
tela neque hesternos agnouit in hospite uultus,
ingemit atque artus fatur conplexus amicos:
'te tamen ignarum tanti, miserande, furoris
nox habet et nullo testantem foedera questu:
at mihi luctificum uenit iubar. heu quibus adsum
conloquiis? cui me hospitio Fortuna reuexit?
extinguine mea (fatis id defuit unum)
speraui te posse manu? talisne reliqui
has ego, amice, domos? quod si iam bella manebant
et placitum hoc superis, nonne haec mea iustius essent
funera meque tuus nunc plangeret a! malus error?
nec Clarii nunc antra dei quercusque tonantis
arguerim. talesne acies, talesne triumphos
sorte dabant? tantumque nefas mens conscia uatum
conticuit, patriae exitium crudele senectae
et tot acerba canens! heu diuis uisa sinistris
regna mihi! quinam reditus? quae me hospita tellus
accipiet? quae non primis prohibebit harenis?
inuidere dei, ne Phasidis arua remoti
et Scythicas populatus opes haec rursus adirem
litora, neue tuos irem tunc ultor in hostes.
fas tamen est conferre genas, fas iungere tecum
pectora et exangues miscere amplexibus artus.
uos age funereas ad litora uoluite siluas
et socios lustrate rogos; date debita caesis
munera, quae nostro misisset Cyzicus igni.'
  Parte alia Clite laceras super ora mariti
fusa comas misera in planctus uocat agmina matrum
fatur et haec: 'primis coniunx ereptus in annis
cuncta trahis; necdum suboles nec gaudia de te
ulla mihi, quis maesta tuos nunc, optime, casus
perpeterer tenui luctum solamine fallens.
Mygdonis arma patrem funestaque proelia nuper

natales rapuere domos, Triuiaeque potentis
occidit arcana genetrix absumpta sagitta:
tu, mihi qui coniunx pariter fraterque parensque
solus et a prima fueras spes una iuuenta,
deseris heu, totamque deus simul inpulit urbem!
ast ego non media te saltem, Cyzice, uidi
tendentem mihi morte manus aut ulla monentis
uerba tuli; quin et thalamis modo questa morari,
heu talem tantique metus secura recepi.'
illam uix gemino maerens cum Castore Pollux
erigit haerentem conpressaque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urgent
certatim decorantque pyras et corpora maesti
summa locant; uadit sonipes ceruice remissa
uenatrix nec turba canum pecudesque morantur
funereae: fert cuique manus, quae cura suorum,
quae fortuna fuit. medio rex aggere longe
eminet; hunc crebris quatiens singultibus ora
adleuat Aesonides celsoque reponit in ostro.
dat pictas auro adque ardentes murice uestes,
quas rapuit telis festina uocantibus austris
Hypsipyle; galeam dilectaque cingula regi
inicit; ille suam uultus conuersus ad urbem
sceptra manu ueterum retinet gestamen auorum.
nam quia nec proles alius nec denique sanguis,
ipse decus regnique refert insigne parenti.
inde ter armatos Minyis referentibus orbes
concussi tremuere rogi, ter inhorruit aether
luctificum clangente tuba; iecere supremo
tum clamore faces; regum labor omnis in auras
soluitur et celsis conlucent aequora flammis.
scilicet haec illo iuuenem populosque manebant
tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor;
hoc uolucrumque minae praesagaque fulmina longo
acta mari tulerant. sed quis non prima repellat
monstra deum longosque sibi non auguret annos?
iamque solutus honos cineri, iam passibus aegris

dilapsae cum prole nurus, tandemque quiescunt
dissona peruigili planctu uada, qualiter arctos
ad patrias auibus medio iam uere reuectis
Memphis et aprici statio silet annua Nili.
At non inde dies nec quae magis aspera curis
nox Minyas tanta caesorum ab imagine soluit.
bis zephyri iam uela uocant, fiducia maestis
nulla uiris; aegra adsiduo mens carpitur aestu,
necdum omnes lacrimas adque omnia reddita caesis
iusta putant; patria ex oculis acerque laborum
pulsus amor segnique iuuat frigescere luctu.
ipse etiam Aesonides, quamquam tristissima rerum
castiganda duci uultuque premenda sereno,
dulcibus indulget lacrimis aperitque dolorem.
tum secreta trahens Phoebeum ad litora Mopsum
'quaenam' ait 'ista lues, aut quae sententia diuum?
decretusne uenit fato pauor? an sibi nectunt
corda moras? cur immemores famaeque larisque
angimur? aut pariet quemnam haec ignauia finem?'
'Dicam' ait 'ac penitus causas labemque docebo'
Mopsus, et astra tuens 'non si mortalia membra
sortitusque breues et parui tempora fati
perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi,
fas ideo miscere neces ferroque morantes
exigere hinc animas redituraque semina caelo.
quippe nec in uentos nec in ultima soluimur ossa;
ira manet duratque dolor. cum deinde tremendi
ad solium uenere Iouis questuque nefandam
edocuere necem, patet ollis ianua leti
adque iterum remeare licet; comes una sororum
additur et pariter terras atque aequora lustrant.
quisque suis sontes inimicaque pectora poenis
implicat et uaria meritos formidine pulsant.
at quibus inuito maduerunt sanguine dextrae,
si fors saeua tulit miseros, sed proxima culpae,
hos uariis mens ipsa modis agit et sua carpunt
facta uiros: resides et iam nil amplius ausi

in lacrimas humilesque metus aegramque fatiscunt
segnitiem, quos ecce uides. sed nostra requiret
cura uiam. memori iam pridem cognita uati
est procul ad Stygiae deuexa silentia noctis
Cimmerium domus et superis incognita tellus,
caeruleo tenebrosa situ, quo flammea numquam
Sol iuga sidereos nec mittit Iuppiter annos.
stant tacitae frondes immotaque silua comanti
horret uerna iugo; specus umbrarumque meatus
subter et Oceani praeceps fragor aruaque nigro
uasta metu et subitae post longa silentia uoces.
ensifer hic atraque sedens in ueste Celaeneus
insontes errore luit culpamque remittens
carmina turbatos uoluit placantia manes.
ille mihi quae danda forent lustramina caesis
prodidit, ille uolens Erebum terrasque retexit.
ergo ubi puniceas oriens accenderit undas,
tu socios adhibe sacris armentaque magnis
bina deis; me iam coetus accedere uestros
haut fas interea, donec lustralia pernox
uota fero. mouet en gelidos Latonia currus.
flecte gradum, placidis sileant age litora coeptis.'
  Iamque sopor mediis tellurem presserat horis
et circum tacito uolitabant somnia mundo,
cum uigil arcani speculatus tempora sacri
Ampycides petit auersis Aesepia siluis
flumina et aequoreas pariter decurrit ad undas.
hic sale purpureo uiuaque nitentia lympha
membra nouat seque horrificis accommodat actis.
tempora tum uittis et supplice castus oliua
implicat et stricto designat litora ferro:
circum humiles aras ignotaque nomina diuum
instituit siluaque super contristat opaca.
utque metum numenque loco sacramque quietem
addidit, ardenti nitidum iubar euocat alto.
  Adque Argoa manus uariis insignis in armis
ibat agens lectas aurata fronte bidentes.

Delius hic longe candenti ueste sacerdos
occurrit ramoque uocat: iamque ipse recenti
stat tumulo placida transmittens agmina lauro:
ducit et ad fluuios ac uincula soluere monstrat
prima pedum glaucasque comis praetexere frondes
imperat, hinc alte Phoebi surgentis ad orbem
ferre manus totosque simul procumbere campis.
tunc piceae mactantur oues, prosectaque partim
tergora, per medios partim gerit obuius Idmon.
ter tacitos egere gradus, ter tristia tangens
arma simul uestesque uirum lustramina ponto
pone iacit; rapidis adolentur cetera flammis.
quin etiam truncas, numerum effigiesque uirorum,
rite locat quercus simulataque subligat arma.
huc Stygias transire minas iramque seueri
sanguinis, his orat uigiles incumbere curas,
adque ita lustrifico cantu uocat: 'ite perempti
ac memores abolete animas; sint otia uobis,
sit Stygiae iam sedis amor; procul agmine nostro
et procul este mari cunctisque absistite bellis.'
uos ego nec Graias umquam contendere ad urbes
nec triuiis ululare uelim, pecorique satisque
nullae ideo pestes nec luctifer ingruat annus,
nec populi nostriue luant ea facta minores.'
dixerat, et summas frondentibus intulit aris
libauitque dapes, placidi quas protinus angues,
umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.

Continuo puppem petere et considere transtris
imperat Ampycides nec uisum uertere terrae:
exciderint quae gesta manu, quae debita fatis.
illi alacres pars arma locant, pars ardua celsis
insternunt tabulata toris, oriturque trementum
remorum sonus et laetae concordia uocis.
Iuppiter urgentem ceu summa Ceraunia nubem
cum pepulit mouitque iugis, fulsere repente
et maria et scopuli nitidusque reducitur aether:
sic animi rediere uiris, iamque ipse magister

nutat ab arce ratis remisque obsistere tentat.
instaurant primi certamina liber amictu
Eurytus et dictis Talai non territus Idas;
inde alii increpitant adque aequora pectore tollunt.
par gemitu pulsuque fragor, uersumque uicissim
mittitur in puppem retro mare. laetus et ipse
Alcides 'quisnam hos uocat in certamina fluctus?'
dixit, et intortis adsurgens arduus undis
percussit subito deceptum fragmine pectus,
adque in terga ruens Talaum fortemque Eriboten
et longe tantae securum Amphiona molis
obruit inque tuo posuit caput, Iphite, transtro.
Iam summas caeli Phoebus ardentior arces
uicerat et longas medius reuocauerat umbras.
tardior hinc cessante euro quae proxima Tiphys
litora quosque dabat densa trabe Mysia montes
aduehitur. petit excelsas Tirynthius ornos;
haeret Hylas lateri passusque moratur iniquos.
Illum ubi Iuno poli summo de uertice puppem
deseruisse uidet, tempus rata diua nocendi
Pallada consortem curis cursusque regentem,
nequa inde inceptis fieret mora, fallere prima
molitur caroque dolis auertere fratri.
tum sic adloquitur: 'procerum ui pulsus iniqua
germanique manu (repetis, quo crimine) Perses
barbaricas iam mouit opes Hyrcanaque signa;
Aeetes contra thalamis et uirgine pacta
conciliat reges Scythicos, primusque coacta
aduehit Albana Styrus gener agmina porta.
bellum ingens, adque ipse citis Gradiuus habenis
fundit equos. uiden Arctoo de cardine quanta
tollat se nubes adque aethere pendeat atro?
corripe prima uias; finem cum Phasidis alti
transierit Perses aciemque admouerit urbi,
coepta refer paulumque moras et foedera necte
consiliis adque arte tua. sponde adfore reges
dis genitos, quis arma uolens, quis agmina iungat.

at uirgo, quamquam insidias astusque nouercae
sentiat et blandos quaerentem fingere uultus,
obsequitur tamen et iussas petit ocius oras.
  Ingemuit Iuno tandemque silentia rumpit:
'en labor, en odiis caput insuperabile nostris,
quam Nemeen tot fessa minis, quae flumina Lernae
experiar? Phrygiis ultro concurrere monstris
nempe uirum et pulchro reserantem Pergama coepto
uidimus. en ego nunc regum soror? et mihi gentis
ullus honos? iam tum indecores iustaeque dolorum
primitiae, ut tenero superati protinus angues.
debuerim nullos iuueni iam quaerere casus
uicta nec ad tales forsan descendere pugnas:
uerum animis insiste tuis astumque per omnem
tende pudor; mox et Furias Ditemque mouebo.'
haec ait et pariter laeui iuga pinea montis
respicit ac pulchro uenantes agmine Nymphas,
undarum nemorumque decus. leuis omnibus arcus
et manicae uirides stricta et corytus habena,
summo palla genu, tenui uagus innatat unda
crinis ad obscurae decurrens cingula mammae.
ipsa citatarum tellus pede pulsa sororum
personat et teneris summittit gramina plantis.
e quibus Herculeo Dryopè percussa fragore,
cum fugerent iam tela ferae, processerat ultra
turbatum uisura nemus, fontemque petebat
rursus et attonitos referebat ab Hercule uultus.
hanc delapsa polo piceaeque adclinis opacae
Iuno uocat prensaque manu sic blanda profatur:
'quem tibi coniugio tot dedignata dicaui
Nympha procos, en Haemonia puer adpulit alno,
carus Hylas, saltusque tuos montesque pererrat.
uidisti roseis haec per loca Bacchus habenis
cum domitas acies et Eoi fercula regni
duceret ac rursus thiasos et sacra moueret;
hunc tibi uel posito uenantem pectine Phoebum
crede dari. quae spes Nymphis aufertur Achaeis!

praereptum quanto proles Boebeia questu
audiet et flaui quam tristis nata Lycormae!'
sic ait et celerem frondosa per auia ceruum
suscitat ac iuueni sublimem cornibus offert.
ille animos tardusque fugae longumque resistens
sollicitat suadetque pari contendere cursu.
credit Hylas praedaeque ferox ardore propinquae
insequitur; simul Alcides hortatibus urget
prospiciens: iamque ex oculis aufertur uterque,
cum puerum instantem quadripes fessaque minantem
tela manu procul ad nitidi spiracula fontis
ducit et intactas leuis ipse superfugit undas.
hoc pueri spes lusa modo est nec tendere certat
amplius; utque artus et concita pectora sudor
diluerat, gratos auidus procumbit ad amnes.
stagna uaga quasi luce micant, ubi Cynthia caelo
prospicit aut medii transit rota candida Phoebi:
tale iubar diffundit aquis; nil unda comaeque
turbauitque sonus surgentis ad oscula Nymphae.
illa auidas iniecta manus heu sera cientem
auxilia et magni referentem nomen amici
detrahit; adiutae prono nam pondere uires.
Iam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
depulerat magnoque iugi stridore reuulsas
terga super fului porrexerat horrida monstri
litora curua petens; alio nam calle reuersum
credit Hylan captaque dapes auxisse ferina.
sed neque aput socios structasque in litore mensas
unanimum uidet aeger Hylan nec longius acrem
intendens aciem. uarios hinc excitat aestus
nube mali percussus amor, quibus haeserit oris,
quis tales inpune moras casusue laborue
attulerit; densam interea descendere noctem
iam maiore metu; tum uero et pallor et amens
cum piceo sudore rigor. ceu pectora nautis
congelat hiberni uultus Iouis agricolisue,
cum coit umbra minax, comitis sic adficit error

Alciden saeuaeque monet meminisse nouercae.
continuo, uolucri ceu pectora tactus asilo
emicuit Calabris taurus per confraga saeptis
obuia quaeque ruens, tali se concitat ardens
in iuga senta fuga: pauet omnis conscia late
silua, pauent montes, luctu succensus acerbo
quid struat Alcides tantaque quid apparet ira.
ille, uelut refugi quem contigit inproba Mauri
lancea sanguineus uasto leo murmure fertur
frangit et absentem uacuis sub dentibus hostem,
sic furiis accensa gerens Tirynthius ora
fertur et intento discurrit montibus arcu.
heu miserae quibus ille ferae, quibus incidit usquam
immeritis per lustra uiri! uolat ordine nullo
cuncta petens; nunc ad ripas deiectaque saxis
flumina, nunc totas nemorum procurrit ad umbras.
rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat
auia; responsant siluae et uaga certat imago.
At sociis immota fides austrisque secundis
certa; mora est nec paruus Hylas, quamquam omnibus aeque
grata rudimenta: Herculeo sub nomine pendent.
illum omnes lacrimis maestisque reposcere uotis,
incertique metu nunc longas litore uoces
spargere nunc seris ostendere noctibus ignes,
ipse uel excelsi cum densa silentia montis
strata uel oblatis ductor uidet aequora uentis
stat lacrimans magnoque uiri cunctatur amore.
illius incessus habilemque ad terga pharetram,
illum inter proceres maestaeque silentia mensae
quaerit inops quondam ingenti conprensa trahentem
uina manu et durae referentem monstra nouercae.
Nec minus interea crudelis iapyga Iuno
adsidue mouet et primis cum solibus offert.
iamque morae inpatiens cunctantes increpat orsis
Tiphys et oblato monet otia rumpere cursu.
ergo animum flexus dictis instantis Iason
concedit sociosque simul sic fatur ad omnes:

'o utinam, Scythicis struerem cum funera terris,
uox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes,
agmine de tanto socium qui maximus armis
adforet, hunc Iouis imperiis fatoque teneri
ante procellosum scopulis errantibus aequor.
haec tum fama; uiri nec certior extitit auctor.
uerum agite et, dubiis uariant quia pectora curis,
consulite et, motis seu uos uia flatibus urget,
pergite et inceptos mecum reuocate labores;
seu pluris tolerare moras rursusque propinquis
quaesiuisse iugis, pretium haut leue temporis acti.'
dixerat; at studiis iamdudum erecta iuuentus
orat inire uias; unum tanto afore coetu,
nec minus in sese generis dextrasque potentes
esse ferunt. tali mentem pars maxima flatu
erigit et uana gliscunt praecordia lingua:
saltibus ut mediis tum demum laeta reducit
cerua gregem, tum gestit aper reboatque superbis
comminus ursa lupis, cum sese Martia tigris
abstulit aut curuo tacitus leo condidit antro.
at pius ingenti Telamon iam fluctuat ira
cum fremitu, saeuisque serens iam iurgia dictis
insequitur magnoque inplorat numina questu.
idem orans prensatque uiros demissaque supplex
haeret ad ora ducis, nil se super Hercule fari,
sed socio quocumque, ferat quamquam aspera fama
iam loca iamque feras per barbara litora gentes,
non alium contra Alciden, non pectora tanta
posse dari. rursum instimulat ducitque fauentes
magnanimus Calydone satus, pro moribus ille
deteriora fouens semperque inuersa tueri
durus et haud ullis umquam superabilis aequis
rectorumue memor. 'non Herculis' inquit 'adempti,
sed tuus in seros haec nostra silentia questus
traxit honor, dum iura dares, dum tempora fandi.
septimus hic celsis descendit montibus auster
iamque ratem Scythicis forsan statuisset in oris;

nos patriae immemores, maneant ceu nulla reuectos
gaudia, sed duro saeuae sub rege Mycenae,
ad medium cunctamur iter. si finibus ullis
has tolerare moras et inania tempora possem,
regna hodie et dulcem sceptris Calydona tenerem
laetus opum pacisque meae, tutusque manerem
quis genitor materque locis. quid deside terra
haeremus? uacuos cur lassant aequora uisus?
tu comitem Alciden ad Phasidis amplius arua
adfore, tu socias ultra tibi rere pharetras?
non ea pax odiis oblitaue numine fesso
Iuno sui. noua Tartareo fors semine monstra
atque iterum Inachiis iam nuntius urget ab Argis.
non datur haec magni proles Iouis; at tibi Pollux
stirpe pares Castorque manent, at cetera diuum
progenies, nec parua mihi fiducia gentis.
en ego eo quocumque uoles; quaqua agmina ferro
rupta metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
sanguine erit, iamque hinc operum quae maxima posco.
scilicet in solis profugi stetit Herculis armis
nostra salus. nempe ora aeque mortalia cuncti
ecce gerunt; ibunt aequo nempe ordine remi.
ille uel insano iamdudum turbidus aestu
uel parta iam laude tumens consortia famae
despicit ac nostri ferri comes abnuit actis.
uos, quibus et uirtus et spes in limine primo,
tendite, dum rerum patiens calor et rude membris
robur inest; nec enim solum dare funera Colchis
sit satis et tota pelagus lustrasse iuuenta.
spes mihi quae tali potuit longissima casu
esse fuit; quiscumque uirum perquirere siluis
egit amor; loca uociferans non ulla reliqui.
nunc quoque, dum uario nutat sententia motu,
cernere deuexis redeuntem montibus opto.
sat lacrimis comitique datum, quem sortibus aeui
crede uel in mediae raptum tibi sanguine pugnae.'
  Talibus Oenides urget: simul incita dictis

heroum manus. ante omnes Argoa iubebat
uincla rapi Calais. furias miratur ouantum
Aeacides, multusque uiri cunctantia corda
fert dolor, an sese comitem tam tristibus actis
abneget et celsi maerens petat ardua montis.
non tamen et gemitus et inanes desinit iras
fundere. 'quis terris pro Iuppiter' inquit 'Achaeis
iste dies! saeui capient quae gaudia Colchi!
non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
litore cum patrio, iam uela prementibus austris,
cunctus ad Alciden uersus fauor: ipse iuuaret,
ipse ducis curas meritosque subiret honores.
iamne animis, iam gente pares, adque inclita iuxta
dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus?
nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles?
aspera nunc pauidos contra ruit agna leones?
hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
quae neque iam frondes uirides nec proferet umbras,
ut semel est euulsa iugis ac matre perempta
fida ministeria et duras obit horrida pugnas,
testor et hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
saepe metu, saepe in tenui discrimine rerum
Herculeas iam serus opes spretique uocabis
arma uiri, nec nos tumida haec tum dicta iuuabunt.'
  Talibus Aeacides socios terroribus urgens
inlacrimat multaque comas deformat harena.
fata trahunt, raptusque uirum certamine ductor
ibat et optenta mulcebat lumina palla.
hic uero ingenti repetuntur pectora luctu,
ut socii sedere locis nullaeque leonis
exuuiae tantique uacant uestigia transtri.
flet pius Aeacides, maerent Poeantia corda,
ingemit et dulci frater cum Castore Pollux.
omnis adhuc uocat Alciden fugiente carina,
omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.
  Dat procul interea toto pater aequore signum
Phorcys et inmanes intorto murice phocas

contrahit antra petens; simul et Massylus et una
Lyctius et Calabris redit armentarius aruis.
ilicet extremi nox litore Solis Hiberas
condidit alta domos et sidera sustulit axis.
flamina conticuere, iacet cum fluctibus aequor.
Amphitryoniades nec quae noua lustra requirat,
nec quo temptet iter, comitis nec fata parenti
quae referat, uidet, aut socios qua mente reuisat.
urit amor, solumque negat decedere siluis.
non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae
aegra redit; sedet inde uiis inclusaque longo
peruigilant castella metu; dolor adtrahit orbes
interea et misero manat iuba sordida luctu.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER QUARTUS.

Atque ea non oculis diuum pater amplius aequis
sustinuit, natique pios miseratus amores
Iunonem ardenti trepidam grauis increpat ira:
'ut noua nunc tacito se pectore gaudia tollunt!
haeret inops solisque furit Tirynthius oris.
at comite immemores Minyae facilesque relicto
alta tenent. sic Iuno ducem fouet anxia curis
Aesonium, sic arma uiro sociosque ministrat?
iam quibus incertam bellis Scythicaeque pauentem
gentis opes, quanta trepidam formidine cernam!
tum precibus, tum me lacrimis et supplice dextra
adtemptare ueto; rerum mihi firma potestas.
i, Furias Veneremque moue; dabit impia poenas
uirgo nec Aeetae gemitus patiemur inultos.'
dixit et arcano redolentem nectare rorem,
quem penes alta quies liquidique potentia somni,
detulit inque uagi libauit tempora nati.
ille graues oculos et Hylan resonantia semper
ora premens, ut nulla deum superare potestas,
procumbit. tandem fessis pax reddita siluis,
fluminaque et uacuis auditae montibus aurae.
 Ecce puer summa se tollere uisus ab unda
frondibus in croceis, inimicae munere Nymphae,
stansque super carum talis caput edere uoces:
'quid, pater, in uanos absumis tempora questus?

hoc nemus, haec sedes mihi iam domus, inproba quo me
Nympha rapit saeuae monitu Iunonis; in arces
nunc Iouis accessus et iam mihi numina caeli
conciliat iungitque toros et frontis honores.
o dolor! o dulces quas gessimus ante pharetrae!
iam socii laetis rapuerunt uincula uentis,
hortator postquam furiis et uoce nefanda
inpulit Oenides. uerum cum gente domoque
ista luet saeuaeque aderunt tua numina matri.
surge age et in duris haut umquam defice; caelo
mox aderis teque astra ferent; tu semper amoris
sis memor et cari comitis ne abscedat imago.'
talibus orantem dictis uisuque fruentem
ille ultro petit et uacuis amplexibus instat
languentisque mouet frustra conamina dextrae:
corpus hebet somno refugaque eluditur umbra.
tum lacrimis, tum uoce sequi, tum rumpere questus;
cum sopor et uano spes maesta resoluitur actu.
fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
cum rapit halcyones miserae fetumque laremque,
it super aegra parens queriturque tumentibus undis
certa sequi, quocumque ferant, audetque pauetque,
uicta fatiscit aquis donec domus haustaque fluctu est;
illa dolens uocem dedit et se sustulit alis.
haut aliter somni maestus labor. exilit amens
effusisque genas lacrimis rigat. 'ibimus' inquit,
'solus et hos montes desertaque lustra tenebis,
care puer, nec res ultra mirabere nostras?'
haec fatus relegitque uias et uallibus exit
incertus, quid Iuno ferat, quas apparet iras.
nec minus et socios cernit procul aequore ferri
praecipites tacitumque pudet potuisse relinqui.
  Iamque iter ad Teucros adque hospita moenia Troiae
flexerat Iliaci repetens promissa tyranni;
cum maesto Latona simul Dianaque uultu
ante Iouem stetit et supplex sic fatur Apollo:
'in quem alium Alciden, in quae iam tempora differs

Caucaseum, rex magne, senem? nullumne malorum
finem adeo poenaeque dabis? te cuncta precatur
gens hominum adque ipsi iam te, pater optime, fontes
fessaque cum siluis orant iuga. sat tibi furtum
ignis et aetheriae defensa silentia mensae.'
dixit ubi, e scopulis media inter pabula diri
uulturis ipse etiam gemitu maestaque fatigat
uoce Iouem saeuis releuans ambusta pruinis
lumina; congeminant amnes rupesque fragorem
Caucaseae; stupet ipse dei clamoribus ales.
tunc etiam superas Acheronte auditus ad arces
Iapetus grauis; orantem procul arcet Erinys
respiciens celsi legem Iouis. ille dearum
fletibus et magno Phoebi commotus honore
uelocem roseis demittit nubibus Irim.
'i, Phrygas Alcides et Troiae differat arma.
nunc' ait 'eripiat dirae Titana uolucri.'
diua uolat defertque uiro celeranda parentis
imperia adque alacrem laetis hortatibus implet.
  Iam Minyae mediis clarae per sidera noctis
fluctibus intulerant placido caua lintea cursu
multaque deserto memores super Hercule uoluunt.
Thracius at summa sociis e puppe sacerdos
fata deum et miserae solans incommoda uitae
securum numeris agit et medicabile carmen;
quod simul adsumpta pulsum fide, luctus et irae
et labor et dulces cedunt e pectore nati.
  Interea magni iam iam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
antra sonant; Sol auricomis urgentibus Horis
multifidum iubar et bisseno sidere textam
loricam induitur; ligat hanc qui nubila contra
balteus undantem uariat mortalibus arcum.
inde super terras et eoi cornua montis
emicuit traxitque diem candentibus undis.
at Minyas uiso liquerunt flamina Phoebo.
  Proxima Bebrycii panduntur litora regni,

pingue solum et duris regio non inuida tauris.
rex Amycus; regis fatis et numine freti
non muris cinxere domos, non foedera legum
ulla colunt placidas aut iura tenentia mentes.
quales Aetnaeis rabidi Cyclopes in antris
nocte sub hiberna seruant freta, sicubi saeuis
aduectet ratis acta notis tibi pabula dira
et miseras, Polypheme, dapes: sic undique in omnes
prospiciunt cursantque uias, qui corpora regi
capta trahant. ea Neptuno trux ipse parenti
sacrifici pro rupe iugi media aequora supra
torquet agens. sin forma uiris praestantior adsit,
tum legere arma iubet sumptisque occurrere contra
caestibus; haec miseris sors est aequissima leti.
huc ubi deuectam Neptunus gurgite puppem
sensit et extremum nati prospexit in oras
et quondam laetos domini certamine campos,
ingemit ac tales euoluit pectore questus:
'infelix imas quondam mihi rapta sub undas,
nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti!
usque adeone meam quacumque ab origine prolem
tristia fata manent? sic te olim perdere sensi,
Iuppiter, iniustae quando mihi uirginis armis
concidit infelix et nunc chaos implet Orion.
nec tibi nunc uirtus aut det fiducia nostri,
nate, animos opibusque ultra ne crede paternis.
iam iam aliae uires maioraque sanguine nostro
uincunt fata Iouis, potior cui cura suorum est.
atque ideo neque ego hanc tumidis auertere uentis
temptaui tenuiue ratem, nec iam mora morti
hinc erit ulla tuae, reges spreture secundos.'
abstulit inde oculos, natumque et tristia linquens
proelia sanguineo terras pater alluit aestu.
  Principio fluuios gentemque et litora ductor
explorare iubet, paulumque egressus Echion
inuenit obscura gemitus in ualle trahentem
clam iuuenem et caesi maerentem nomen amici.

ille uirum ut contra uenientem umbrataque uidit
tempora Parrhasio patriae de more galero
paciferaeque manu nequiquam insignia uirgae,
'heu fuge' ait 'certo quicumque is, perdite, passu,
dum datur.' obstipuit uisu Nonacria proles,
quid ferat admirans. postquam remeare monentem
ocius et dictis perstantem cernit in isdem,
abripit et sociis, quae sint ea, promere cogit.
ille manus tendens 'non haec' ait 'hospita uobis
terra, uiri, non hic ullos reuerentia ritus
pectora; mors habitat saeuaeque hoc litore pugnae.
iam ueniet diros Amycus qui tollere caestus
imperet et uasto qui uertice nubila pulset.
talis in aduectos Neptuni credita proles
aeternum furit adque aequae uirtutis egentes,
ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros
constituit, tantum ut misero lauet arma cerebro.
consulite atque fugae medium ne temnite tempus.
namque isti frustra quisquam concurrere monstro
audeat; et quaenam talem uidisse uoluptas?'
ductor ad haec 'Bebryxne uenis diuersaque regi
corda gerens (melior uulgi nam saepe uoluntas),
hostis an externis fato delatus ab oris?
et tua cur Amycus caestu nondum obruit ora?'
'nomen' ait 'praedulce mihi nauemque secutus
Otreos unanimi. decus ille et laeta suorum
gloria nec uestros comes aspernandus in actus,
Hesionam et Phrygiae peteret cum gaudia nuptae,
hic Amycum contra iussus stetit adque ego palmas
inplicui; sed prima procul uixdum ora leuantis
fulminea frontem dextra disiectaque fudit
lumina; me numquam leto dignatus et armis,
sed lacrimis potius luctuque absumor inerti.
spes tamen, his quando si nuntius extitit oris
et Mariandynum patrias penetrauit ad urbes,
unde genus fraterque uiro — sed et ille quierit
oro nec uanis cladem Lycus augeat armis.'

Haec ubi non ulla iuuenes formidine moti
accipiunt, dolet et, durent si pergere mente,
terga sequi properosque iubet coniungere gressus.
litore in extremo spelunca apparuit ingens,
arboribus super et dorso contecta minanti,
non quae dona die, non quae trahat aetheris ignem;
infelix domus et sonitu fremibunda profundi.
at uarii pro rupe metus: hic trunca rotatis
brachia rapta uiris strictoque inmortua caestu
ossaque taetra situ et capitum maestissimus ordo
(respicias quibus aduerso sub uulnere nulla
iam facies nec nomen erat); media ipsius arma
sacra metu magnique aris inposta parentis.
hospitis hic primum monitus rediere Dymantis,
et pauor et monstri subiit absentis imago,
atque oculos cuncti inter se tenuere silentes,
donec sidereo Pollux interritus ore
'te tamen hac, quicumque es,' ait 'formidine faxo
iam tua silua ferat, modo sint tibi sanguis et artus.'
omnibus idem animus forti decernere pugna,
exoptantque uirum contraque occurrere poscunt.
qualiter ignotis spumantem funditus amnem
. . . .
pandit iter, mox omne pecus formidine pulsa
pone subit, iamque et mediis praecedit ab undis.
At procul e siluis sese gregibusque ferebat
saeuos in antra gigans. quem nec sua turba tuendo
it taciti secura metus. mortalia nusquam
signa manent; instar scopuli, qui montibus altis
summus abit longeque iugo stat solus ab omni.
deuolat inde furens, nec quo uia curue profecti
nec genus ante rogat, sed tali protonat ira:
'incipite, o iuuenes. etenim fiducia, credo,
huc tulit auditas et sponte lacessitis oras.
sin errore uiae necdum mens gnara locorum:
Neptuni en domus adque egomet Neptunia proles.
hic mihi lex caestus aduersaque tollere contra

brachia. sic ingens Asiae plaga quique per arcton
dexter et in laeuum pontus iacet haec mea uisit
hospitia; hoc functi remeent certamine reges.
iam pridem caestus resides et frigida raris
dentibus aret humus. quis mecum foedera iunget?
prima manu cui dona feram? mox omnibus idem
ibit honos. fuga sub terras, fuga nulla per auras.
nec lacrimae (ne ferte preces) superiue uocati
pectora nostra mouent; aliis rex Iuppiter oris.
faxo Bebrycium nequeat transcendere puppis
ulla fretum et ponto uolitet Symplegas inani.'
  Talia dicta dabat, cum protinus asper Iason
et simul Aeacidae simul et Calydonis alumni
Nelidaeque Idasque prior quae maxima surgunt
nomina; sed nudo steterat iam pectore Pollux.
tum pauor et gelidus defixit Castora sanguis.
nam nec ad Elei pugnam uidet ora parentis,
nec sonat Oebalius caueae fauor ad iuga nota
Taygeti, rapitur patrios ubi uictor ad amnes,
nec pretium sonipes aut sacrae taurus harenae,
praemia sed manes reclusaque ianua leti.
illum Amycus nec fronte trucem nec mole tremendum
uixdum etiam primae spargentem signa iuuentae
ore renidenti lustrans obit et fremit ausum,
sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes.
non aliter iam regna poli, iam capta Typhoeus
astra ferens Bacchum ante acies primamque deorum
Pallada et oppositos doluit sibi uirginis angues.
sic adeo insequitur rabidoque ita murmure terret:
'quisquis es, infelix celera puer; haut tibi pulchrae
manserit hoc ultra frontis decus oraue matri
nota feres. tune, o sociis electus iniquis,
tune Amyci moriere manu?' nec plura moratus
ingentes umeros spatiosaque pectoris ossa
protulit horrendosque toris informibus artus.
deficiunt uisu Minyae, miratur et ipse
Tyndarides; redit Alcidae iam sera cupido

et uacuos maesto lustrarunt lumine montes.
at satus aequoreo fatur tunc talia rege:
'aspice et ec crudis durata uolumina tergis;
nec peto sortis opem, sed quos potes indue caestus.'
Dixit et urgentis per sera piacula fati
nescius extremum hoc armis innectere palmas
dat famulis; dat et inde Lacon. odia aspera surgunt
ignotis prius adque incensa mente feruntur
in medium sanguis Iouis et Neptunia proles.
hinc illinc dubiis intenta silentia uotis.
at pater orantis caesorum Tartarus umbras
nube caua tandem ad meritae spectacula poenae
emittit; summi nigrescunt culmina montis.
continuo Bebryx, Maleae uelut arce fragosa
turbo rapax, uix ora uirum, uix tollere passus
brachia torrenti praeceps agit undique nimbo
cursibus inuoluens, totaque inmanis harena
insequitur. uigil ille metu cum pectore et armis
huc alternus et huc, semper ceruice reducta,
semper et in digitis et summi puluere campi,
protectusque redit. spumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri
cura tenet, rabidum uentis certantibus aequor
intemerata secat: Pollux sic prouidus ictus
seruat et Oebalia dubium caput eripit arte.
ut deinde urgentes effudit nubibus iras
ardoremque uiri, paulatim insurgere fesso
integer et summis manibus diducere caestus.
ille dies aegros Amyci sudoribus artus
primus et arenti cunctantem uidit hiatu:
nec sua defessum noscunt loca nec sua regem
agmina. respirant ambo paulumque reponunt
brachia; ceu Lapithas aut Paeonas aequore in ipso
cum refouet fixaque silet Gradiuus in hasta.
uix steterant, et iam ecce ruunt inflictaque late
terga sonant; noua uis iterum, noua robora surgunt.
hunc pudor, hunc noto iam spes audentior hoste

instimulat. fumant crebro praecordia pulsu.
auia responsant gemitu iuga: peruigil ut cum
artificum tonat Aetna manus et fulmina Cyclops
prosubigit, pulsis strepitant incudibus urbes.
emicat hic laeuamque parat dextramque minatur
Tyndarides; redit huc oculis et pondere Bebryx
sic ratus, ille autem celeri quatit ora sinistra.
conclamant socii et subitas dant gaudia uoces.
illum insperata turbatum fraude furentemque
Oebalides prima refugit dum detonet ira,
territus ipse etiam adque ingentis conscius ausi.
saeuit inops Amycus nullo discrimine sese
praecipitans rabidusque uirum (respectat ouantes
quippe procul Minyas) tum caestu elatus utroque
inruit. hos inter Pollux subit et trucis ultro
aduolat ora uiri: nec spes effecta, sed ambae
in pectus cecidere manus. hoc saeuior ille
ecce iterum uacuas agit inconsulta per auras
brachia. sentit at ut Pollux rationis egentem,
dat genibus iunctis latus effusumque secutus
haud reuocare gradum patitur, turbatque premitque
ancipitem crebros et liber congerit ictus
desuper auerso; sonat omni uerbere uertex
inclinis ceciditque manus. iam tempora manant
sanguine iamque latent aures, uitalia donec
uincula, qua primo ceruix committitur artu,
soluit dextra grauis. labentem propulit heros
ac super insistens 'Pollux ego missus Amyclis
et Ioue natus' ait, 'nomen mirantibus umbris
hoc referes, sic et memori noscere sepulchro.'
Bebrycas extemplo spargit fuga; nullus adempti
regis amor; montem celeres siluamque capessunt.
haec sors, haec Amycum tandem manus arcuit ausis
effera seruantem Ponti loca uimque iuuentae
continuam et magni sperantem tempora patris.
tenditur ille ingens hominum pauor aruaque late
occupat, annosi ueluti si decidat olim

pars Erycis uel totus Athos; qua mole iacentis
ipse etiam expleri uictor nequit oraque longo
comminus optutu mirans tenet. at manus omnis
heroum densis certatim amplexibus urgent,
armaque ferre iuuat fessasque attollere palmas.
'salue uera Iouis, uera o Iouis' undique 'proles'
ingeminant, 'o magnanimis memoranda palaestris
Taygeta et primi felix labor ille magistri!'
dumque ea dicta ferunt, tenues tamen ire cruores
siderea de fronte uident; nec sanguine Pollux
territus auerso siccabat uulnera caestu.
illius excelsum ramis caput oraque Castor
inplicat et uiridi conectit tempora lauro,
respiciensque ratem 'patriis' ait 'has precor oris,
diua, refer frondes cumque hac freta curre corona.'
dixerat. hinc ualida caedunt armenta bipenni
perfusique sacro placati gurgitis amne
graminea sternuntur humo; tunc liba dapesque
frondibus adcumulant; exsortia terga Laconi
praecipiunt pecudum. toto mox tempore mensae
laetus ouat nunc laude uirum nunc uatis honoro
carmine, uictori geminans cratera parenti.
  Iamque dies auraeque uocant, rursusque capessunt
aequora, qua rigidos eructat Bosphoros amnes.
illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
transierat fluctus, unde haec data nomina ponto.
tum pius Oeagri claro de sanguine uates,
admonitus genetrice, refert casusque locorum
Inachidosque uias pelagusque emensa iuuencae
exilia intentisque canit: 'uidere priores
saepe Iouem in terras Argiuaque regna Pelasgum
uirginis Iasiae blandos descendere ad ignes.
sentit Iuno dolos curaque accensa iugali
aethere desiluit; dominam Lyrceia tellus
antraque deprensae tremuerunt conscia culpae.
tum trepida Inachiae paelex subit ora iuuencae
sponte dei; plausu fouet hanc et pectora mulcet

Iuno renidenti cohibens suspiria uultu.
mox ita adorta Iouem: "da quam modo ditibus Argis
campus alit primae referentem cornua Phoebes
indomitamque bouem, da carae munera nuptae.
ipsa ego dilectae pecudi iam pascua digna
praecipuosque legam fontes." qua fraude negaret
aut quos inuentos tenuisset Iuppiter astus?
muneris illa potens custodem protinus Argum
adiungit; custos Argus placet, inscia somni
lumina non aliter toto cui uertice, quam si
Lyda nurus sparso telas maculauerit ostro.
Argus et in scopulos et monstris horrida lustra
ignotas iubet ire uias heu multa morantem
conantemque preces inclusaque pectore uerba.
ultima tum patriae cedens dedit oscula ripae.
fleuit Amymone, flerunt Messeides undae,
fleuit et effusis reuocans Hyperia lacertis.
illa ubi uel fessi tremerent erroribus artus,
uel rueret summo iam frigidus aethere uesper,
heu quotiens saxo posuit latus! aut ubi longa
aegra siti, quos ore lacus, quae pabula carpsit!
uerbere candentes quotiens exhorruit armos!
quin et ab excelso meditantem uertice saltus
ardentemque mori ualles citus egit in imas
Argus et arbitrio durus seruauit erili:
cum subito Arcadio sonuit caua fistula ritu
imperiumque patris celerans Cyllenius ales
aduenit et leni modulatur carmina auena
"quo" que ait "hinc diuersus abis? heus respice cantus!"
haud procul insectans Argum languentia *iam iam*
lumina cuncta notat dulcesque sequentia somnos,
et celerem mediis in cantibus exigit harpen.
iamque refecta Ioui paulatim in imagine prisca
ibat agris Io uictrix Iunonis, at ecce
cum facibus flagrisque et Tartareo ululatu
Tisiphonen uidet: ac primo uestigia uisu
figit et in miserae rursus bouis ora recurrit,

nec qua ualle memor, nec quo se uertice sistat.
Inachias errore etiam defertur ad undas
qualis et a prima quantum mutata iuuenca!
nec pater aut trepidae temptant accedere nymphae.
ergo iterum siluas, iterum petit inuia retro
ceu Styga dilectum fugiens caput; inde per urbes
raptatur Graias adque ardua flumina ripis,
oblato donec paulum cunctata profundo
incidit: absistunt fluctus et gnara futuri
dant placida alta uiam; celsis procul ipsa refulget
cornibus ac summa palearia sustinet unda.
ast Erebi uirgo ditem uolat aethere Memphin
praecipere et Pharia uenientem pellere terra.
contra Nilus adest et toto gurgite torquens
Tisiphonen agit adque imis inlidit harenis
Ditis opem ac caeci clamantem numina regni.
apparent sparsaeque faces disiectaque longe
uerbera et abruptis excussi crinibus hydri.
nec Iouis interea cessat manus. intonat alto
insurgens caelo genitor curamque fatetur,
atque ipsa imperium Iuno pauet. haec procul Io
spectat ab arce Phari iam diuis addita iamque
aspide uincta comas et ouanti persona sinistro.
Bosphoron hinc ueteres errantis nomine diuae
uulgauere. iuuet nostros nunc ipsa labores
inmissisque ratem sua per freta prouehat auris.'
Dixerat. et placidi tendebant carbasa uenti.
postera non cassae Minyis Aurora retexit
noctis iter; noua cuncta uident Thyneaque iuxta
litora fatidici poenis horrentia Phinei.
dira deum summoque lues urgebat in aeuo.
quippe neque extorrem tantum nec lucis egentem
insuper Harpyiae Typhoides, ira tonantis,
depopulant ipsoque dapes praedantur ab ore.
talia prodigia et tales pro crimine poenas
perpetitur. spes una seni, quod pellere saeuam
quondam fata luem dederant Aquilone creatis.

ergo ubi iam Minyas certamque accedere Phineus
sentit opem, primas baculo duce fertur ad undas
uestigatque ratem atque oculos attollit inanes.
tunc tenuem spirans animam 'salue o mihi longum
expectata manus nostrisque' ait 'agnita uotis.
nouimus et diuis geniti quibus et uia iussos
quae ferat ac uestri reputaui tempora cursus
proxima quaeque legens, quantum Vulcania Lemnos
traxerit, infelix tulerit quae Cyzicus arma.
sensi et Bebrycio supremam in litore pugnam
iam propior iamque hoc animam solamine mulcens.
non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
aut memorem, mea quod uates insedit Apollo
pectora; praesentis potius miserescite fati.
nec mihi diuersis erratum casibus orbem
amissas aut flere domos aut dulcia tempus
lumina; confectis serum est ex ordine fatis
ingemere. Harpyiae semper mea pabula seruant,
fallere quas nusquam misero locus: ilicet omnes
deueniunt niger intorto ceu turbine nimbus,
iamque alis procul et sonitu mihi nota Celaeno;
diripiunt uerruntque dapes foedataque turbant
pocula, saeuit odor surgitque miserrima pugna,
parque mihi monstrisque fames. spreuere quod omnes
pollueruntque manu quodque unguibus excidit atris
has mihi fert in luce moras. nec rumpere fata
morte licet; trahitur uictu crudelis egestas.
sed uos o seruate precor, praedicta deorum
si non falsa mihi, uos finem inponite poenis.
nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquilonia proles
non externa mihi; nam rex ego diuitis Hebri
iunctaque uestra meo quondam Cleopatra cubili.'
  Nomen ad Actaeae Calais Zetesque sororis
prosiliunt, Zetesque prior 'quem cernimus?' inquit.
'tune ille Odrysiae Phineus rex inclitus orae?
tu Phoebi comes et nostro dilecte parenti?
o ubi nunc regni generisque ubi gloria? quam te

exedit labor et miseris festina senectus!
quin age, mitte preces; namque est tibi nostra uoluntas,
si non ira deum, uel si placabilis urget.'
sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas
'te' que ait 'iniusti, quae nunc premis, ira tonantis
ante precor, nostrae tandem iam parce senectae;
sit modus; et fore credo equidem; nam uestra uoluntas
non, iuuenes, sine pace deum. nec credite culpam
saeuitiae scelerumue mihi nunc crimina pendi;
fata loquax mentemque Iouis quaeque abdita solus
consilia et terris subito uentura parabat
prodideram miserans hominum genus; hinc mihi tanta
pestis et offusae media inter dicta tenebrae.
iam tandem cessere irae; nec casus ab alto,
ipse uolens nostris sed uos deus appulit oris.'
sic ait et, fatis ita iam cedentibus, omnes
inpulit et durae commouit imagine poenae.
instituere toros mediisque tapetibus ipsum
accipiunt circumque iacent: simul aequora seruant
astra simul, uescique iubent ac mittere curas:
cum subitus misero tremor et pallentia primae
ora senis fugere manus. nec prodita pestis
ante, sed in mediis dapibus uidere uolucres.
fragrat acerbus odor patriique expirat Auerni
halitus; unum omnes incessere planctibus, unum
infestare manus; inhiat Cocytia pubes
luxurians ipsoque ferens fastidia uisu.
tum sola conluuie adque inlisis stramina mensis
foeda rigant; stridunt alae, praedaque retenta
saeuit utrimque fames; nec solum horrenda Celaeno
Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores.
emicat hic subito seseque Aquilonia proles
cum clamore leuat, genitor simul inpulit alas.
hoste nouo turbata lues lapsaeque rapinae
faucibus, et primum pauidae Phineia tecta
peruolitant, mox alta petunt; stant litore fixi
Haemonidae adque oculis palantia monstra secuntur.

[illegible] …uit cum forte Veseui
[illegible] uixdum ignea montem
[illegible] eoas cinis induit urbes:
[illegible] populos adque aequora longe
[illegible] …que datur considere terra.
[illegible] …ii metas adque intima tendunt
[illegible] …gni Strophadas nunc incola ponti.
[illegible] …que metu propioris anhelae
[illegible] …nt humilique graues timidoque uolatu
[illegible] …lamore patrem Typhona nefando,
[illegible] …surgens noctem pater imaque summis
[illegible] et mediis uox exaudita tenebris:
[illegible] …atis huc pepulisse deas. cur tenditis ultra
[illegible] …mulas saeuire Iouis, quas, fulmina quamquam
[illegible] …daque ille gerens, magnas sibi legit in iras?
…nc quoque Agenoreis idem decedere tectis
…mperat; adgnoscunt monitus iussaeque recedunt.
mox tamen et uobis similis fuga, cum premet arcus
letifer. Harpyiae numquam non pabula quaerent,
donec erunt diuum meritae mortalibus irae.'
haesit uterque polo dubiisque elanguit alis;
mox abit et sociae uictor petit agmina pubis.
Interea Minyae pulsa lue prima tonanti
sacra nouant; tum uina toris epulasque reponunt.
ipse inter medios ceu dulcis imagine somni
laetus ad oblitae Cereris suspirat honores;
agnoscit Bacchi latices, agnoscit et undam
et noua non pauidae miratur gaudia mensae.
hunc ubi reclinem stratis et pace fruentem
aspicit et longae ducentem obliuia poenae,
talibus appellat supplexque ita fatur Iason:
'uota, senex, perfecta tibi; nunc me quoque curis
eripe et ad nostros animum conuerte labores.
omnis adhuc sors laeta quidem, nec numine uano
(siqua fides curae superum) tantum aequor adorti
tendimus; ipsa mihi puppem Iouis optima proles
instituit, dedit et socios Saturnia reges.

fidere mens sed nostra nequit, quantumque propinquat
Phasis et ille operum summus labor, hoc magis angunt
proxima, nec uates sat iam mihi Mopsus et Idmon.'
ille ducem nec ferre preces nec dicere passus
amplius, hic demum uittas laurumque capessit
numina nota ciens. stupet Aesonis inclita proles
Phinea ceu numquam poenis nullaque grauatum
peste Iouis: tam largus honos, tam mira senectae
maiestas infusa; uigor nouus auxerat artus.
tum canit: 'o terras fama uenture per omnes,
quem sociis ducibusque deis adque arte benigna
Pallados ipse ultro Pelias ad sidera tollit,
demens, dum profugi non sperat uellera Phrixi,
fata locosque tibi, possum quas reddere grates,
expediam rerumque uias finemque docebo.
ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
saecula, te propter fandi mihi Iuppiter auctor.
hinc iter ad Ponti caput errantesque per altum
Cyaneas. furor his medio concurrere ponto,
necdum ullas uidere rates: sua comminus actae
saxa premunt cautesque suas. quasi, uincula mundi
cum ima labant, tremere ecce solum, tremere ipsa repente
tecta uides: illae redeunt, illae aequora uertunt.
di tibi progresso propius, di forsitan ipsi
auxilium mentemque dabunt. ast ipse iuuare
ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
tenditis, unde procul uenti, procul unde uolucres.
et pater ipse maris pauidas detorquet habenas.
siqua breuis scopulis fiet mora, si semel orsis
ulla quies, fuga tunc medio properanda recursu.
uix repetunt primae celeres confinia terrae.
iamque alio clamore ruont, omnisque tenetur
pontus et infestis anceps cum montibus errat.
uerum animo redit illa meo sors cognita diuum
(fabor enim nec spe dubios solabor inani):
cum mihi Tartareas saeuo clangore uolucres
protulit ira Iouis, uox haec simul excidit auris:

"ne uanas inpende preces finemque malorum
expete, Agenoride; pontum penetrauerit ulla
cum ratis et rabidi steterint in gurgite montes,
tunc sperare modum poenae ueniamque licebit."
sic deus. aut uobis ergo fera saxa patescunt
aut mea iam saeuae redeunt ad pabula Dirae.
uerum inter medias dabitur si currere cautes
(certe digna manus) uacuumque exibis in aequor,
proxima regna Lyci, remeat qui uictor ab oris
Bebryciis: toto non ullus litore Ponti
mitior. hic lecto comitum de robore siquem
perculerit uicina lues, ne defice casus
praedicti memor adque animos accinge futuris.
illic pestiferas subter iuga concaua torquet
alter aquas Acheron uastoque exundat hiatu
fumeus, et caeca tegitur caligine campus:
linque grauem fluuium et miseris sua fata colonis.
sic quoque non uno dabitur transcurrere luctu.
quid tibi nubifera surgentem rupe Carambin,
quid memorem, quas Iris aquas aut torqueat Ancon?
proxima Thermodon huic iam secat arua fluento.
inclita Amazonidum magnoque exorta Gradiuo
gens ibi; femineas nec tu nunc crede cateruas,
sed qualis, sed quanta uiris insultat Enyo
diuaque Gorgonei gestatrix innuba monstri.
ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
uentus agat, ludo uolitans cum turma superbo
puluereis exultat equis ululataque tellus
intremit et pugnas mota pater incitat hasta.
non ita sit metuenda tibi saeuissima quamquam
gens Chalybum, duris patiens cui cultus in aruis
et tonat adflicta semper domus ignea massa.
inde omnem innumeri reges per litoris oram,
hospitii quis nulla fides; sed limite recto
puppis et aequali transcurrat carbasus aura.
sic demum rapidi uenies ad Phasidis amnem.
castra ibi iam Scythiae fraternaque surgit Erinys.

ipse truces illic Colchos hostemque iuuabis
auxiliis. nec plura equidem discrimina cerno.
fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
sed te non animis nec solis uiribus aequom
credere; saepe acri potior prudentia dextra.
quam tulerit deus, arripe opem. iamque ultima nobis
promere fata nefas; sinite o, precor.' adque ita facto
fine dedit tacitis iterum responsa tenebris.
Tum subita resides socios formidine Iason
praecipitat rumpitque moras tempusque timendi.
ipse uiros gradiens ad primi litoris undam
prosequitur Phineus. 'quaenam tibi praemia' dixit
'quas, decus o Boreae, possim persoluere grates?
me Pangaea super rursus iuga meque paterna
stare Tyro dulcesque iterum mihi surgere soles
nunc reor. exactae uerumne abiere uolucres?
nec metuam tutaeque dapes? date tangere uultus,
dem sinite amplexus, propiusque accedite dextrae.'
dixerat. abscedunt terris et litora condunt.
Omnibus extemplo saeua sub imagine rupes
Cyaneae propiorque labor, quando adfore quaque
parte putent; stant ora metu nec fessa recedunt
lumina diuersas circum seruantibus undas,
cum procul auditi sonitus insanaque saxa.
saxa neque illa uiris, sed praecipitata profundo
siderei pars uisa poli. dumque ocius instant,
ferre fugam maria ante ratem, maria ipsa repente
deficere aduersosque uident discedere montes;
omnibus et gelida lapsi formidine remi.
ipse per arma uolans et per iuga summa carinae
hortatur supplexque manus intendit Iason
nomine quemque premens. 'ubi nunc promissa superba
ingentesque minae, mecum quibus ista secuti?
idem Amyci certe uiso timor omnibus antro
caecus erat; stetimus tamen et deus adfuit ausis.
quin iterum idem aderit certo deus.' haec ubi fatus,
corripit abiecti remumque locumque Phaleri

et trahit; insequitur flammata pudore iuuentus.
unda laborantes praeceps rotat ac fuga ponti
obuia; miscentur rupes, iamque aequore toto
Cyaneae iuga praecipites inlisa remittunt.
bis fragor infestas cautes aduersaque saxis
saxa dedit, flamma expresso bis fulsit in imbri.
sicut multifidus ruptis e nubibus horror
effugit et tenebras nimbosque intermicat ignis
terrificique ruunt tonitrus elisaque noctem
lux dirimit, pauor ora uirum, pauor occupat artus:
haud secus impleuit pontum fragor; effluit imber
spumeus et magno puppem procul aequore uestit.
Aduertere dei defixaque lumina ponto,
quid scopulis praeclusa ratis, quid dura iuuentus
expediat; feruet magnis fauor ortus ab ausis.
prima coruscanti signum dedit aegide uirgo
fulmineam iaculata facem. uixdum ardua cautes
cesserat, illa uolans tenui per concita saxa
luce fugit; rediere uiris animique manusque,
ut uidere uiam. 'sequor, o quicumque deorum'
Aesonides 'ciet' altus ait, praecepsque fragores
per medios ruit et fumo se condidit atro.
coeperat hinc cedens abductis montibus unda
ferre ratem pelagoque dies occurrere aperto.
sed neque permissis iam fundere rector habenis
uela, nec eniti remis pote: cum super adsunt
Cyaneae: premit unda ratem scopulique feruntur
comminus. hic Iuno praecepsque ex aethere Pallas
insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
hunc coniunx Iouis; ut ualido qui robore tauros
sub iuga et inuito detorquet in ilia cornu.
inde, uelut mixtas Vulcanius ardor ahenis
uerset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
angitur et clausum scopulos super effluit aequor.
contra omnes ualidis tenui discrimine remis
pergere iter mediosque ratem transferre per ictus;
saxa sed extremis tamen increpuere corymbis,

parsque (nefas) deprensa iugis; nam cetera caelo
debita. conclamant Minyae, latera utraque quippe
dissiluisse putant. fugit ipse nouissimus ictus
Tiphys et e mediis sequitur freta rapta ruinis;
nec prius obsessum scopulis respexit ad aequor
aut sociis temptata quies, nigrantia quam iam
litora longinquique exirent flumina Rhebae.
tunc fessas posuere manus, tunc arida anheli
pectora, discussa quales formidine Auerni
Alcides Theseusque comes pallentia iungunt
ora, ubi uix primas amplexi luminis oras.
Nec uero ipse metus curasque resoluere ductor,
sed maria aspectans 'heu qui datus iste deorum
sorte labor nobis! saeuum ut ueniamus ad amnem
Phasidis et mites' inquit 'dent uellera Colchi,
unde per hos iterum montes fuga?' talia fundit,
imperio fixos Iouis aeternumque reuinctos
nescius. haec fati certa nam lege manebant,
siqua per hos undis umquam ratis isset apertis.
Tum freta, quae longis fuerant inperuia saeclis,
ad subitam stupuere ratem, Pontique iacentis
omne solum regesque patent gentesque repostae.
non alibi effusis cesserunt longius undis
litora; nec tantas iunctus Tyrrhenus et Aegon
uoluat aquas, geminis tot desint Syrtibus undae.
nam super huc uastos tellus quoque congerit amnes.
num septemgemini memorem quas exitus Histri,
quas Tanais flauusque Tyres Hypanisque Nouasque
addat opes, quantosque sinus Maeotia laxent
aequora? flumineo sic agmine fregit amari
uim salis hinc Boreae cedens glaciantibus auris
Pontus et exorta facilis concrescere bruma.
utque uel inmotos ursae rigor inuenit amnes
uel freta uersa uadis, hiemem sic unda per omnem
aut campo iacet aut tumido riget ardua fluctu,
atque hac Europam curuis anfractibus urget,
hac Asiam Scythicum specie sinuatus in arcum.

illic umbrosae semper stant aequore nubes
et non certa dies, primo nec sole profundum
soluitur aut uernis cum lux aequata tenebris,
sed redit extremo tandem in sua litora tauro.
  Iam Mariandynis aduertit puppis harenis,
adque celer terras regemque requirit Echion
dicta ferens, lectos (fama est si nominis umquam)
Haemoniae subiise uiros, det litora fessis.
adproperat Lycus auditis laetatus Achiuis,
ac simul Aesoniden omnemque in regia turbam
tecta trahit modo Bebryciis praefixa trophaeis,
mitis et in mediis effatur talia Grais:
'haud temere est: fato diuum reor ad mea uectos
litora uos, odium quibus adque eadem ira furentis
Bebryciae saeuaque pares de gente triumphi.
certa fides animis, idem quibus incidit hostis.
nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
sensimus et saeuis frater mihi fusus habenis.
ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
tunc aderam, cum uos mediis contenta ferebant
uela fretis. illum in sanie taboque recenti
uidimus aequoreo similem per litora monstro.
nec uero praerepta mihi suprema tyranni
fata queror belloue magis laetarer et armis
procubuisse meis, quam lege quod occidit ultus
ipse sua meritoque madent quod sanguine caestus.'
excipit Aesonides 'tuus ergo in montibus ignis
ille? tuas acies medio de gurgite uidi?'
fatur, et ostentans prolem Iouis 'hic tibi Pollux
en' ait, 'inliso soluit cui pectore poenas.'
ille uirum circa mirantia lumina uoluit.
festa dehinc mediis ineunt conuiuia tectis
communesque uocant superos, quorum eruta nutu
Bebrycia, et uotis pariter praedaque fruuntur.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER QUINTUS.

Altera lux haud laeta uiris emersit Olympo:
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
labitur extremi sibi dudum conscius aeui.
at memor Aesonides nimium iam uera locuti
Phineos hinc alios rapto pauet Idmone luctus.
tum comiti pia iusta tulit caelataque multa
arte Dolionii donat uelamina regis,
hospes humum sedemque Lycus. flens arma reuellit
Idmonis e celsa Mopsus rate; robora caedunt
pars siluis portantque arae: pars auguris alba
fronde caput uittisque ligant, positumque feretro
congemuere; dies simul et suus admonet omnes.
  Ecce inter lacrimas interque extrema uirorum
munera, quem cursus penes imperiumque carinae,
Tiphyn agit uiolenta lues, cunctique pauore
attoniti fundunt maestas ad sidera uoces:
'arquipotens aduerte, precor, nunc denique Apollo;
hoc, pater, hoc nobis refoue caput, ulla laboris
si nostri te cura mouet, qui cardine summo
uertitur adque omnis manibus nunc pendet ab unis.'
dicta dabant uentis nec debita fata mouebant.
qualem praecipiti grauidum iam sorte parentem
natorum flet parua manus trepidique precantur,

duret ut inualidis et adhuc genitoris egenis:
haut aliter socii supremo in tempore Tiphyn
ante alios superesse uolunt. mors frigida contra
urget, et ille recens oculis interuolat Idmon.
exanimum frustra Minyae clamore morantur
auellique negant; uix membra rigentia tandem
inposuere rogo lacrimasque et munera flammis
uana ferunt; crescit donis feralis aceruus.
ut uero amplexus fessi rupere supremos
et rapidae sonuere faces, tunc ipsa cremari
uisa ratis medioque uiros deponere ponto.
non tulit Aesonides geminis flagrantia cernens
corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo
talia uoce gemit: 'quid tantum infensa repente
numina? qui nostri poenas meruere labores?
bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
litore. magna adeo comitum numerosaque pubes?
aut socios rapit atra dies aut ipse relinquo
sontibus inpulsus Furiis. ubi Tiphys? ubi Idmon
fata canens? ubi monstriferae par ille nouercae?
te sine, Thespiade, nos ulla mouebimus ultra
aequora? nec summa speculantem puppe uidebo
Pleiadumque globos et agentes noctibus Arctos?
cui Minyas caramque ratem, cui sidera tradis?
carpere securas quis iam iubet Aesona noctes?
hoc labor, hoc dulci totiens fraudata sopore
lumina et admotis nimium mens anxia Colchis
profuit? heu quantum Phasis, quantum Aea recessit!
nunc quoque, si tenui superant in imagine curae,
adsis umbra, precor, uenturi praescia caeli,
rectoremque tuae moneas ratis.' haec ubi fatus,
sola uirum flammis uidit labentibus ossa.
'quod tamen extremis unum solamen in oris
restat' ait, 'caras humus haec non diuidat umbras
ossaque nec tumulo nec separe contegat urna,
sed simul, ut iunctis uenistis in aequora fatis.'
haud mora; reliquias socii defletaque miscent

nomina. tum uiuo frondens e cespite tellus
aggeritur, cineremque Lyco commendat Iason.
Maesti omnes dubiique, ratem fidissima cuius
dextra regat; simul Ancaeus sollersque petebat
Nauplius. Erginum fato uocat ipsa monenti
quercus, et ad tonsas uicti rediere magistri.
ac uelut ille, gregis cessit cui regia, taurus
fertur ouans; hunc omnis honos, hunc omnis in unum
transit amor; primo laetus sic tempore rector
ingreditur cursus; etenim dat candida certam
nox Helicen. iam prora fretum commouerat et iam
puppe sedens miseras dimiserat anchora terras.
Inde, premente noto, tristes Acherusidos oras
praeterit et festa uulgatum nocte Lyaei
Callichoron; nec uana fides. his Bacchus in undis
abluit eoo rorantes sanguine thyrsos.
illum post acies rubrique nouissima claustra
aequoris hic resides thiasos, hic aera mouentem
udaque pampinea nectentem cornua uitta
nunc etiam meministis, aquae, Boeotia qualem
Thyas et infelix cuperet uidisse Cithaeron.
Fama per extremos quin iam uolat inproba manes
interea et magnis natorum laudibus implet,
addita iamque fretis referens freta iamque patentes
Cyaneas. ardent auidos attollere uultus,
quos pietas uel tangit adhuc quos aemula uirtus.
fata immota manent; unum, qui litore in illo
conditus, ad carae mittunt spectacula turbae.
it Sthenelus: qualem Mauortia uidit Amazon
cumque suis comitem Alcides ut condidit armis,
talis ab aequorei consurgens aggere busti
emicuit; fulsere undae, sol magnus ut orbem
tolleret aut nubem quateret polus. adque ea uixdum
uisa uiris atra nox protinus abstulit umbra.
ille dolens altum repetit chaos. omina Mopsus
dum stupet, in prima tumulum procul aspicit acta,
obnubensque caput cineri dat uina uocato.

carmina quin etiam uisos placantia manes
Odrysius dux rite mouet mixtoque sonantem
percutit ore lyram nomenque relinquit harenis.
Acrius in remos rediit ratis, ac fugit omne
Crobiali latus et fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium, ante alios Triuiae qui creditur amnis
fidus et Inopi materna gratior unda.
mox etiam Cromnae iuga pallentemque Cytoron
teque cita penitus condunt, Erythia, carina.
iamque reducebat noctem polus: alta Carambis
raditur et magnae pelago tremit umbra Sinopes.
Assyrios conplexa sinus stat opima Sinope,
nympha prius blandosque Iouis quae luserat ignes
caelicolis immota procis: deceptus amatae
fraude deae nec solus Halys nec solus Apollo.
Addidit hic casu comites Fortuna benigno
Autolycum Phlogiumque et Deileonta, secutos
Herculis arma uiros; uagus hos ibi fixerat error.
ut Graiam uidere manum puppemque Pelasgam,
prima ruunt celeres ad litora seque precantur
accipiant socios. noua dux accedere gaudet
nomina desertos et iam sibi currere remos.
transit Halys longisque fluens amfractibus Iris
saeuaque Thermodon medio sale murmura uoluens,
Gradiuo sacer et spoliis ditissimus amnis,
donat equos, donat uotas cui uirgo secures,
cum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Medumque trahens. est dura propago,
sanguinis est ollis genitor deus. hinc magis alta
Haemonidae petere et monitus non temnere Phinei.
ipse autem comitum conuersus ad ora nouorum
'uos mihi nunc pugnas' ait 'et uictricia' ductor
'Herculis arma mei uestrasque in litore Martis
interea memorate manus.' sic fatur et aegro
corde silens audit cursus bellique labores
uirginei, exciderit frenis quae prima remissis,
semianimem patrius quam sanguine uexerit amnis,

quae pelta latus adque umeros nudata pharetris
fugerit Herculeae mox uulnere prensa sagittae,
utque securigeras stimulauerit Ira cateruas
fleturusque pater, quantus duce terror in ipsa,
qui furor in signis, quo balteus arserit auro.
Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
peruigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
ruricolae, Gradiue, tui; sonat illa creatrix
prima manus belli terras crudelis in omnes.
nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
eruerent ensesque darent, Odia aegra sine armis
errabant Iraeque inopes et segnis Erinys.
inde Genetaei rupem Iouis, hinc Tibarenum
dant uirides post terga lacus, ubi deside mitra
feta ligat partuque uirum fouet ipsa soluto.
uos quoque non notae mirati uela carinae
Mossyni, uos et stabulis Macrones ab altis
Byzeresque uagi Philyraeque a nomine dicta
litora, quae cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus inde sinus saeuumque cubile Promethei
cernitur, in gelidas consurgens Caucasus arctos.
ille etiam Alciden Titania fata morantem
attulerat tum forte dies; iamque aspera nisu
undique conuellens ueteris cum strage pruinae
uincula prensa manu saxis abduxerat imis
arduus et laeuo grauior pede; consonat ingens
Caucasus, et summo pariter cum monte secutae
incubuere trabes abductaque flumina ponto.
fit fragor, aetherias ceu Iuppiter arduus arces
inpulerit, imas manus aut Neptunia terras.
horruit inmensum Ponti latus, horruit omnis
Armeniae praetentus Hiber, penitusque recusso
aequore Cyaneas Minyae timuere relictas.
tum gemitu propiore chalybs densusque reuulsis
rupibus audiri montis labor et graue Titan
uociferans, fixos scopulis dum uellitur artus.
contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis

montibus Alciden dimissaue uota retemptet?)
pergere iter socii; tantum mirantur ab alto
litora discussa sterni niue ruptaque saxa
et simul ingentem moribundae desuper umbram
alitis adque atris rorantes imbribus auras.
Sol propius flammabat aquas, extremaque fessis
coeperat optatos iam lux ostendere Colchos,
magnus ubi aduersum spumanti Phasis in aequor
ore ruit. cuncti pariter loca debita noscunt
signaque commemorant emensasque ordine gentes,
dantque ratem fluuio. simul aethere plena corusco
Pallas et alipedum Iuno iuga sistit equorum.
Ac dum prima graui ductor subit ostia pulsu,
populeos flexus tumulumque uirentia supra
flumina cognati medio uidet aggere Phrixi,
quem comes infelix pariter de marmore iuxta
stat soror, hinc saeuae formidine maesta nouercae,
inde maris pecudique timens inponere palmas.
sistere tum socios iubet adque hinc prima ligari
uincula, ceu Pagasas patriumque intrauerit amnem.
ipse graui patera sacri libamina Bacchi
rite ferens umbram uocat et sic fatur ad aras:
'per genus adque pares tecum mihi, Phrixe, labores
tu, precor, orsa regas meque his tuteris in oris
tot freta, tot prora properanti sidera passum.
Phrixe, faue et patrias placidus reminiscere terras.
tu quoque nunc, tumulo nequiquam condita inani,
adnue diua maris numeroque accede tuorum.
quando egomet rursus per te uehar? aurea quando
Seston et infaustos adgnoscent uellera fluctus?
uos etiam siluae, uos Colchidos hospitis orae,
pandite, diues ubi pellis micet arbore sacra.
tunc tibi, fecundi proles Iouis, orte niuali
Arcados axe deae, fluuio modo, Phasi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec arae
defuerint tellure mea; reuerendaque natis
effigies te, Phasi, manet, quam magnus Enipeus

et pater aurato quantus iacet Inachus antro.'
dixerat. adque illi dextra sine uersa magistri
protinus in proram rediit ratis omine certo
fluminis os pontumque tuens. 'promittis ut ecce
utque uocas reuehemur' ait. sic deinde precatus
arma iubet celsa socios depromere puppe.
dona dehinc Bacchi casusque ut firmet in omnes
rapta Ceres, uiridesque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc cantus alios, dea, uisaque uobis
Thessalici da bella ducis. non mens mihi, non haec
ora satis; uentum ad furias infandaque natae
foedera et horrenda trepidam sub uirgine puppem:
impia monstriferis surgunt iam proelia campis.
ante dolos, ante infidi tamen exsequar astus
Soligenae falli meriti meritique relinqui.
[inde canens: Scythica senior iam Solis in urbe]
fata laborati Phrixus compleuerat aeui.
illius extremo sub funere mira repente
flamma poli magnoque aries apparuit astro
aequora cuncta mouens. at uellera Martis in umbra
ipse sui Phrixus monumentum insigne pericli
liquerat ardenti quercum conplexa metallo.
quondam etiam tacitae uisus per tempora noctis
effigie uasta, socerumque exterruit ingens
prodita uox: 'o qui patria tellure fugatum
quaerentemque domos his me considere passus
sedibus, oblata generum mox prole petisti,
tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
rapta soporato fuerint cum uellera luco.
praeterea infernae quae nunc sacrata Dianae
fert castos Medea choros quemcumque procorum
nacta peto maneat regnis ne uirgo paternis.'
dixit et admota pariter fatalia uisus
tradere terga manu, tum falso fusus ab auro
currere per summi fulgor laquearia tecti.
membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
numen et eoo surgentes litore currus:

'praescie fatorum genitor, tutela meorum
omnituens, tua nunc terris, tua lumina toto
sparge mari; seu nostra dolos molitur opertos
siue externa manus, primus mihi nuntius esto.
tu quoque, sacrata rutilant cui uellera quercu,
excubias, Gradiue, tene; praesentia luco
arma tubaeque sonent, uox et tua uocibus extet.'
uix ea, Caucaseis cum lapsus montibus anguis,
haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
inplicuit Graiumque procul perrexit ad orbem.
ergo omnes prohibere minas praedictaque Phrixi
inuigilat, plena necdum Medea iuuenta
adnuitur thalamis Albani uirgo tyranni.
Interea auguriis monstrisque minacibus urbem
territat ante monens semper deus et data seri
signa mali; reddi iubet exitiale sacerdos
uellus et Haemoniis infaustum mittere terris.
contra Sole satus Phrixi praecepta uolutans
aegro corde negat, nec uulgi cura tyranno,
dum sua sit modo tuta salus. tunc ordine regi
proximus et frater materno sanguine Perses
increpitare uirum; sequitur duce turba reperto.
ille furens ira solio se proripit alto,
praecipitatque patres: ipsum qui talibus auctor,
spem sibi iam rerum uulgi leuitate ferentem,
ense ferit. rapit inde fugam crudelia Perses
signa gerens omnemque quatit rumoribus arcton.
iamque aderat magnis regum cum molibus urbi,
primaque in aduersos frustratus proelia muros
constiterat. datus et sociis utrimque cremandis
ille dies alterque dies, cum Marte remisso
debitus Aeaeis dux Thessalus adpulit oris.
Nox hominum genus et duros miserata labores
rettulerat fessis optata silentia terris.
at Iuno et summi uirgo Iouis intima secum
consilia et uarias sociabant pectore curas.
uirgo prior: 'magna pariter quos mole petamus?'

'cernis' ait 'Colchos habeant quae proelia, quique
nunc status. hinc Perses, illinc non uiribus aequis
apparat Aeetes aciem. quibus addimur armis?'
cui Iuno 'dimitte metus, ne proelia forte
hic tibi grata negem; magnus manet aegida sudor
et nostros iam sudor equos. stat pectore fixum
Aeetae sociare manus. scio perfida regis
corda quidem (nullos Minyis exsoluet honores),
uerum alios tunc ipsa dolos, alia orsa mouebo.'
'sint, precor, haec; tua namque mihi comitanda potestas'
Pallas ait, 'liceat Grais ut reddere terris
Aesonium caput et puppem, quam struximus ipsae,
iactatam tandem nostro componere caelo.'
  Talia tunc hominum superi pro laude mouebant.
tristior at numquam tantoue pauentibus ulla
nox Minyis egesta metu; nil quippe reperto
Phaside, nil domitis actum Symplegados undis,
cunctaque adhuc, magni ueniant dum regis ad urbem,
ambigua et dubia rerum pendentia summa.
praecipue Aesoniden uarios incerta per aestus
mens rapit undantem curis ac multa nouantem.
qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat,
Pliadas ille mouens mixtumque sonoribus imbrem
horriferamue niuem, canis ubi tollitur omnis
campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli
aut alios dubiis fatorum gentibus ortus:
sic tum diuersis hinc adque hinc motibus anceps
pectora dux crebro gemitu quatit, optat et almum
iam iubar et certi tandem discriminis horas.
tunc defixa solo coetuque intenta silenti
uersus ad ora uirum 'quod pridem ingentibus ausis
optauistis' ait 'ueterumque quod horruit aetas,
adsumus en tantumque fretis enauimus orbem.
nec pelagi nos mille uiae, nec fama fefellit
Soligenam Aeeten media regnare sub arcto.
ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
urbis et ignoti mens experienda tyranni.

adnuet ipse, reor; neque inexorabile certe
quod petimus: sin uero preces et dicta superbus
respuerit, iam nunc animos firmate repulsae,
quaque uia patriis referamus uellera terris,
stet potius: rebus semper pauor absit in artis.'
dixerat, et Scythicam qui se comitentur ad urbem
sorte legit, numeroque nouem ducuntur ab omni.
inde uiam qua Circaei plaga proxima campi
corripiunt regemque petunt iam luce reducta.
Sorte deum uariis per noctem territa monstris,
senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
rapta toris primi iubar ad placabile Phoebi
ibat et horrendas lustrantia flumina noctes.
namque soporatos tacitis in sedibus artus
dum premit alta quies nullaeque in uirgine curae,
uisa pauens castis Hecates excedere lucis;
dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter
pontus et ingenti circum stupefacta profundo,
fratre tamen conante sequi: mox stare pauentes
uiderat intenta pueros nece seque (tremendum!)
spargere caede manus et lumina rumpere fletu.
his turbata minis fluuios ripamque petebat
Phasidis aequali Scythidum comitante caterua.
florea per uerni qualis iuga duxit Hymetti
aut Sicula sub rupe choros hinc gressibus haerens
Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae,
altior ac nulla comitum certante, prius quam
palluit et uiso pulsus decor omnis Auerno:
talis et in uittis geminae cum lumine taedae
Colchis erat nondum miseros exosa parentes.
ut procul extremi gelidis a fluminis undis
prima uiros tacito uidit procedere passu,
substitit ac maesto nutricem adfata timore est:
'quae manus haec, certo ceu me petat agmine, mater,
aduenit haut armis, haud umquam cognita cultu?
quaere fugam, precor, et tutos circumspice saltus.'
audit uirginei custos grandaeua pudoris

Henioche, cultus primi cui creditus aeui;
tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
'non tibi ab hoste minae nec uis' ait 'ulla propinquat
nec metus; externo iam flammea murice cerno
tegmina, iam uittas frondemque inbellis oliuae.
Graius adest, Graio sunt cuncta simillima Phrixo.'
Sic ait. at Iuno, pulchrum longissima quando
robur cura ducis magnique edere labores,
mole noua et roseae perfudit luce iuuentae.
iam Talaum iamque Ampyciden astroque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.
non secus, autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius et saeuo cum nox accenditur auro
luctiferas crinita faces, hebet Arcas et ingens
Iuppiter; ast illum tardo non gliscere caelo
uellet ager, uellent calidis iam roribus amnes.
regina, attonito quamquam pauor ore silentem
exanimet, mirata tamen paulumque reductis
passibus in solo stupuit duce. nec minus inter
ille tot ignoti socias gregis haeret in una
defixus sentitque ducem dominamque cateruae.
'si dea, si magni decus huc ades' inquit 'Olympi,
has ego credo faces, haec uirginis ora Dianae,
teque renodatam pharetris ac pace fruentem
ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae.
sin domus in terris adque hinc tibi gentis origo,
felix prole parens, olimque beatior ille,
qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis.
sed fer opem, regina, uiris. nos hospita pubes
aduehimur, Graium proceres tua tecta petentes.
duc, precor, ad uestri quicumque est ora tyranni,
ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
nam mihi sollicito deus ignaroque locorum
te dedit; in te animos adque omnia nostra repono.'
Dixit et opperiens trepidam stetit. illa parumper
uirgineo cunctata metu sic orsa uicissim:
'quem petis Aeeten, genitor meus, ipsaque iuxta

moenia, si binos possis discernere calles.
hac ideo duce ferte gradus; ingentia namque
castra alios aditus adque impius obsidet hostis.'
dixerat haec patriumque uiam detorquet ad amnem,
sacraque terrificae supplex mouet inrita Nocti.
Ille autem inceptum famula duce protinus urget
aere saeptus iter, patitur nec regia cerni
Iuno uirum, prior Aeetae ne nuntius adsit.
iamque inerat populo mediaeque incognitus urbi,
cum comes orsa loqui. 'Phoebi genitoris ad aras
uentum' ait. 'huc adytis iam se de more paternis
rex feret; hic proceres audit populosque precantes
adloquiis facilis: praesens pater admonet aequi.'
Dixerat. ast illi propere monstrata capessunt
limina. non aliter, quam si radiantis adirent
ora dei uerasque aeterni luminis arces:
tale iubar per tecta micat. stat ferreus Atlans
Oceano genibusque tumens infringitur unda;
at medii per terga senis rapit ipse nitentes
altus equos curuoque diem subduxit Olympo;
pone rota breuiore soror densaeque sequuntur
Pliades ec madidis rorantes crinibus imbres.
nec minus hinc uaria dux laetus imagine templi
ad geminas fert ora fores cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens; ut prima Sesostris
intulerit rex bella Getis, ut clade suorum
territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem,
Phasidis hos inponat agris Colchosque uocari
imperet: Arsinoen illi tepidaeque requirunt
otia laeta Phari pinguemque sine imbribus annum,
hi iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
barbarus in patriis sectatur montibus Aean
Phasis amore furens: pauidas iacit illa pharetras
uirgineo turbata metu discursibus et iam
deficit, ac uolucri uictam deus alligat unda.
flebant populeae iuuenem Phaethonta sorores,
ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem;

at iuga uix Tethys sparsumque recolligit axem
et formidantem patrios Pyroenta dolores.
aurea quin etiam praesaga Mulciber arte
uellera uenturosque olim caelarat Achiuos.
texitur Argoa pinus Pagasaea securi,
iamque eadem remos, eadem dea nectit habenas;
ipsa subit nudaque uocat dux agmina dextra.
exoritur notus et torto ratis acta profundo
cernitur; Odrysio gaudebant carmine phocae.
apparent trepidi per Phasidis ostia Colchi
clamantemque procul linquens regina parentem.
urbs erat hinc contra gemino circumflua ponto,
ludus ubi et cantus taeda pernocte iugales
regalique toro laetus gener: ille priorem
deserit; ultrices spectant a culmine dirae.
deficit in thalamis turbataque paelice coniunx
pallam et gemmiferae donum exitiale coronae
apparat ante omnes secum dequesta labores.
munere quo patrias paelex ornatur ad aras
infelix; et iam rutilis correpta uenenis
inplicat igne domus. haec tum miracula Colchis
struxerat ignipotens nondum noscentibus, ille
quis labor, aligeris aut quae secet anguibus auras
caede madens: odere tamen uisusque reflectunt.
Quin idem Minyas operum defixerat horror,
cum se Sole satus patriis penetralibus infert.
filius hunc iuxta primis Absyrtus in annis,
dignus auo quemque insontem meliora manerent.
tum gener Albanis Styrus qui aduenerat oris,
distulerant sed bella toros; tum Phrontis et Argus
Aeolidae fraterque Melas, quos aduena Phrixus
progenuit; pariterque leui Cytisorus in hasta.
post alii, quos praecipuo Titania tellus
legit honore patres, motique ad proelia reges.
admonet hic socios nebulamque erumpit Iason,
siderea ora ferens; noua lux offusa Cytaeis.
conueniunt stipantque uiros rogitantque, quid ausi

quidue ferant. postquam primis inhiantia dictis
agmina supressumque uidet iam murmur Iason,
talia miranti promptus tulit orsa tyranno:
'rex Hyperionide, quem per freta tanta petendum
caelicolae en prima dignum statuere carina,
siquando hic aliquam nostro satus orbe solebat
Thessaliam, siquos Phrixus memorare Pelasgos:
hi tibi, tot casus, horrenda tot auia mensi,
cernimur. ipse egomet proprio de sanguine Phrixi:
namque idem Cretheus ambobus et Aeolus auctor
cum Ioue Neptunoque et cum Salmonide nympha.
meque nec huc enses araeque egere paternae,
nec tua, Thessalicis quamquam inclita nomina terris,
sponte sequor. cui non iusso tot adire uoluptas
monstra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
sceptra tui toto Pelias sub momine Phoebi
maxima sorte tenens, totque ille prementia cliuos
oppida, tot iugi pulcherrima flumina cornu;
ille meum imperiis urget caput, ille labores
dat uarios, suus ut magnum rex spargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipse satus. tamen aspera regum
perpetimur iuga, nec melior parere recuso.
hic sibi me auratae pecudis quiscumque periclis
exuuias perferre iubet. tibi gratia nostri
sit, precor, in meritisque loces, quod iussa recepi
teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
promisi et meliora tuae mihi foedera dextrae.
si petere hoc saeui statuissem sanguine belli,
Ossa dabat Pindusque rates quotque ante secuti
inde nec audacem Bacchum nec Persea reges.
sed me nuda fides sanctique potentia iusti
huc tulit ac medii sociatrix gratia Phrixi;
namque tibi nostra geniti de stirpe nepotes.
nec tamen aut Phrygios reges aut arua furentis
Bebryciae spernendus adi: seu fraude petiuit
seu quis honore meos, sua reddita dona deumque
nos genus atque ratem magnae sensere Mineruae.

uix tandem longis quaesitam Colchida uotis
contigimus, qualemque dabat te fama uidemus.
tu modo ne claros Minyis inuideris actus.
non aliena peto terrisue indebita nostris;
siquis et in precibus uero locus, ecce ea Phrixo
crede dari, Phrixum ad patrios ea ferre penates.
munera tu contra uictum mihi uecta per aequor
accipe Taenarii chlamydem de sanguine aeni
frenaque et accensum gemmis fulgentibus ensem:
hoc patrium decus, haec materni texta laboris,
his Lapithes adsuerat eques. da iungere dona,
da Scythicas sociare domos: sciat effera regis
ira mei, quem te horrifero sortitus in axe
Caucasus adque tuis quantum mitescat habenis.'
  Talibus orantem uultu grauis ille minaci
iamdudum premit et furiis ignescit opertis.
ceu tumet adque imo sub gurgite concipit austros
unda silens, trahit ex alto sic barbarus iras,
et nunc ausa uiri, nunc heu! sua prodita Grais
regna fremit, quin et facili sibi mente receptum
iam Phrixum dolet et Scythiae periisse timores.
nunc quassat caput ac iuuenis spes ridet inanes,
quid uesanus agat, quod uellera poscat ab angue.
urit et antiquae memorem uox praescia sortis,
cur simul aut Persen illinc sibi mouerit aut hinc
Thessalicam Fortuna ratem; num debitus ista
finis agat saeuaeque petant iam uellera Parcae.
interea quoniam belli pugnaeque propinquae
cura prior, fingit placidis fera pectora dictis
reddit et haec: 'cuperem haut tali uos tempore tectis
aduenisse meis, quo me grauis adsidet hostis.
frater enim (sceptri sic omnibus una cupido)
excidium parat et castris me ingentibus urget.
quare age cognatas primum defendite sedes,
nec decus oblati dimiseris aduena belli;
namque uirum trahit ipse chalybs. tum uellera uictor
tam meritis, nec sola dabo.' contra inscius astus

'ergo nec hic nostris derat labor arduus actis'
excipit Aesonides 'et ceu nihil aequore passis
additus iste quies? ueniant super haec quoque fato
bella meo. non hunc parua mihi caede dolorem
quasque dedit luet ille moras.' tum Castora mittit,
qui ferat Aeaei sociis responsa tyranni.
acribus ast illos curis mora saeua trahebat,
ac simul ut medio uiderunt Castora campo,
crebrior incessit mentem pauor. 'o Iouis alma
progenies, fare, an patriam spes ulla uidendi,
fare' omnes. ille in mediis sic orsus Achiuis:
'nec ferus Aeetes, ut fama, nec aurea nobis
terga negat; bello interea sed pressus iniquo
auxilium petit; armatos dux protinus omnes
adcelerare iubet; longo nam tuta recessu
puppis et adposita fluuius defenditur urbe.'
Haud mora; prosiliunt, quos nec Riphaea iuuentus,
quos nec Hiber aut tota suis Aurora pharetris
sustineat. stetit explicito prius agmine pubes,
expertique simul, si tela artusque sequantur.
nec quisquam freta nec patrias iam respicit urbes,
sed magis ad praesens itur decus. incita cristas
aura quatit, uariis floret uia discolor armis,
qualis ab Oceano uolucrum chorus aethera uestit,
qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.
illos Sole satus tacita maestissimus ira
miratur temere adsumtos, nec talia mallet
robora, quam medios hostem subiisse penates.
interea laeto patitur conuiuia uultu
et iuxta Aesoniden magno cratere lacessit
nunc sibi monstrantem natos Iouis oraque iuxta
Aeacidum, nunc ingentis Calydonos alumnos;
audit et Alciden infando errore relictum
defletosque duces terraeque marisque labores.
ipse autem tantis concita furoribus arma
expetit Aesonides et amicos ordine reges:
'quis procul ille uirum nobis, quem balteus asper

subligat et stricto stat proximus armiger arcu,
ceu pugnam paret et positas confundere mensas?'
contra flammigeri proles Perseia Solis
'quem rogitas, Carmeius' ait; 'mos comminus arma
semper habere uiro, semper meminisse pharetrae.'
'illum' ait Aesonides 'pariter refer, horrida signis
cui chlamys et multa spirat coma flexilis aura.'
respicit Aeetes adque hunc quoque nomine reddit:
'diues Aron; croceos sic illius omnis odores
iactat eques, cunctis sic est coma culta maniplis:
sed ne sperne uirum et comptis diffide capillis.
Campesus hic spoliis in tigridis; ille profundo
incumbens Odrussa mero; uide lata comantem
pectora et ingenti turbantem pocula barba.'
hunc et Iaxarten dictis stupet hospes acerbis
inmodicum linguaque grauem, cui multa minanti
non superum, non praesentis reuerentia Phoebi.
contra autem Aeetes 'non frustra magna superbo
dicta uolant' ait 'et uocem paria arma secuntur;
nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget;
atque ubi Riphaea stupuerunt flumina bruma,
iam pauidi cum prole Getae, iam peruigil illum
Medus et oppositis expectat Hiberia claustris.
quid Latagum, quid si amnigenam mirere Choaspen?
bellatoris equi potantem cerne cruores;
nec tamen inmissis hic segnior ibit habenis.
hos autem quae quemque manus, quae signa sequantur,
si memorem, prius umentem lux soluerit umbram.
cras acies atque illa ducum cras regna uidebis
dissona, saxiferae surgat quibus imber habenae,
quae iaculo gens apta leui, quae picta pharetris
uenerit. ingentes animo iam prospice campos,
atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen, quibus exultet Mauortia turmis
et quantum elata ualeat peltata securi,
cara mihi et ueras inter non ultima natas.'
fatur et occiduo libat cratera parenti.

quisque suis tum uota deis et pocula fundit,
dent aciem, dent belligeros superare labores.
Ecce autem Geticis ueniens Gradiuus ab antris
ingentemque trahens arctoa per aequora nubem
aspicit Aeaea Minyas stupefactus in urbe
ambitumque senem promissaque uellera pubi
Thessalicae. citus ad summi stellantia patris
tecta ruit questuque Iouem testatur acerbo:
'quae studiis, rex magne, quies? iam mutua diui
exitia in solos hominum molimur honores,
teque ea cuncta iuuant, rabidam qui Pallada caelo
non abigis neque femineis obicem struis ausis.
non queror, extructa quod uexerit ipsa carina
uellera sacra meis sperantem auertere lucis,
quodque palam tutata uiros: sic cetera pergit,
si ualet. insidiis quid non fallacibus ambit,
nostra ut Phrixeo spolientur templa metallo?
non opus auxilio Colchis nec foedere uestro:
et Persen simul et Minyas deposcimus hostes.
quin age, quid tantae coeunt in proelia gentes?
quid tuus Aesonides? imus nos, protinus imus
in nemus auriferum et sumptis decernimus armis.
uel tu sola polo tacitis inopina tenebris
labere: quantus ibi deus experiere nec illas
adstiteris inpune trabes. an Martia templa
intemeranda minus, curtus mihi lucus et agger
quod rudis et sola colimur si gentibus umbra?
est amor et rerum cunctis tutela suarum.
et tibi, magne pater, terris donaria certant,
est honor his etiam suus. en ego clara Mycenes
culmina, uirgineas praeder si Cecropis arces,
iam coniunx, iam te gemitu lacrimisque tenebit
nata querens. metuant ergo nec talia poscant.'
Non tulit haec animis, quin longa silentia Pallas
rumpere et inridens strepitumque minasque Gradiui
'non tibi Aloidae, quibus haec fera murmura iactes,
non Lapithae, sed Pallas' ait; 'neque ego aegide digna,

nec uocer ulterius proles Iouis, excidat iste
ni tibi corde tumor: lituos miser armaque faxo
oderis et primis adimam tua numina bellis.
quin simili matrem, demens, rabie ante petisti?
digna quidem, monstrum superis quae tale creauit.
quod tamen adgressae scelus aut quo crimine sontes,
si iuuenem, qui iussa sui tam dira tyranni
inpauidus maria et nondum qui nota subibat,
iuuimus et magnis aliquam spem mouimus ausis?
an nullas perferre preces nec foedera regis
ulla sequi, caeca sed cuncta inpellere pugna
debuimus? sic Thraces agunt, sic turbidus iste,
siqua petit. cuperem haec etiam nunc bella remitti
nec socias armare manus. da uellera, rector,
et medio nos cerne mari. quod sin ea Mauors
abnegat et solus nostris sudoribus obstat,
ibimus indecores frustraque tot aequora uectae?
mas aliquae nequeat, si femina.' coeperat ardens
hic iterum alternis Mauors insurgere dictis.
excipit hinc contra pater et sic uoce cohercet:
'quid uesane fremis? cum uos iam poenitet acti
peccatumque satis, tunc ad mea iura uenitis.
quolibet ista modo, quacumque inpellite pugna,
quae coepistis, habent quoniam sua fata furores.
te tamen hoc, coniunx, et te, mea nata, monebo:
sit Persen pepulisse satis, nec uana retentet
spes Minyas finemue uelint inponere bello.
illum etenim talis rerum manet, accipite, ordo.
uicta retro nunc castra dabit bellumque remittet
territus aduentu ducis et uirtute Pelasgi:
mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
tunc aderit uictorque domos et sceptra tenebit,
donec et Aeeten inopis post longa senectae
exilia heu magnis quantumlibet inpia fatis
nata iuuet Graiusque nepos in regna reponat.
hic labor amborumque haec sunt discrimina fratrum.
uadite et aduersis, ut quis uolet, inruat armis.'

Dixerat. instaurat mensas pacemque reducit,
et iam sideream noctem demittit Olympo.
tunc adsuetus adest Phlegraeas reddere pugnas
Musarum chorus et citharae pulsator Apollo,
fertque grauem Phrygius circum cratera minister.
surgitur in somnos seque ad sua limina flectunt.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER SEXTUS.

At uigil isdem ardet furiis Gradiuus et acri
corde tumet nec quas acies, quae castra sequatur,
inuenit; ire placet tandem praesensque uidere,
sternere si Minyas magnoque rependere luctu
regis pacta queat Graiamque absumere pubem.
inpulit hinc currus, monstrum inreuocabile belli
concutiens, Scythiaeque super tentoria sistit.
protinus e castris fugit sopor; excita tela,
turbati coiere duces: hos insuper ingens
fama mouet, rate quae sacra uulgabat Achiuos
aduenisse sui repetentes uellera Phrixi,
quos malus hospitio iunctaque ad foedera dextra
luserit Aeetes adquè in sua traxerit arma.
Ergo, consiliis dum nox uacat alta mouendis,
legatos placet ire duces, mandataque Perses
edocet, adfari Minyas fraudemque tyranni
ut moneant. quinam hinc animos auerterit error?
se primum Haemoniis hortatum ea uellera terris
reddere et exuuias pecudis dimittere sacrae:
hinc odium et tanti uenisse exordia belli.
quin potius dextramque suam suaque arma sequantur,
aut remeent; neque enim Aeetae promissa fidemque
esse loco; abstineant alienae sanguine pugnae.
non illos ideo tanti uenisse labores

per maris. ignotis quid opus concurrere nec quos
oderis? haec medio Perses dum tempore mandat,
aureus ecfulsit campis rubor, armaque et acres
sponte sua strepuere tubae. Mars saeuus ab altis
'hostis io,' conclamat equis 'agite ite, propinquat,'
ac simul hinc Colchos, hinc fundit in aequora Persen.
tunc gens quaeque suis commisit proelia telis,
uoxque dei pariter turmas audita per omnes.
 Hinc age Riphaeo quos uideris orbe furores,
Musa, mone; quanto Scythiam molimine Perses
concierit, quis fretus equis per bella uirisque.
uerum ego nec numero memorem nec nomine cunctos
mille uel ora mouens; neque enim plaga gentibus ulla
ditior: aeterno quamquam Maeotia pubes
Marte cadat, pingui numquam tamen ubere defit,
quod geminas arctos magnumque quod inpleat anguem.
ergo duces sociasque, deae, mihi promite gentes.
 Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos
Heniochosque truces iam pridem infensus Anausis,
pacta quod Albano coniunx Medea tyranno;
nescius heu, quanti thalamos ascendere monstri
arserit atque urbes maneat qui terror Achaeas,
gratior ipse deis orbaque beatior aula.
proxima Bisaltae legio ductorque Colaxes,
sanguis et ipse deum, Scythicis quem Iuppiter oris
progenuit uiridem Myracen Tibisenaque iuxta
ostia, semifero (dignum si credere) captus
corpore, nec nymphae geminos exhorruit angues.
cuncta phalanx insigne Iouis caelataque gestat
tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes;
nec primus radios, miles Romane, corusci
fulminis et rutilas scutis diffuderis alas.
insuper auratos collegerat ipse dracones,
matris Horae specimen, linguisque aduersus utrimque
congruit et tereti serpens dat uulnera gemmae.
tertius unanimis ueniens cum milibus Auchus
Cimmerias ostentat opes, cui candidus olim

crinis inest, natale decus (dat longior aetas
iam spatium); triplici percurrens tempora nodo
demittit sacro geminas a uertice uittas.
Datin Achaemeniae grauior de uulnere pugnae
misit in arma Daraps, acies quem Martia circum
Gangaridum, potaque Gerus quos efferat unda,
quique lacum cinxere Bycen. non defuit Anxur,
non Rhadalo cum fratre Sidon, Acesinaque laeuo
omine fatidicae Phrixus mouet agmina ceruae.
ipsa comes, saetis fulgens et cornibus aureis,
ante aciem celsi uehitur gestamine conti
maesta nec in saeuae lucos reditura Dianae.
mouit et Hylaea supplex cum gente Syenen
inpia germani praetendens uolnera Perses.
densior haut usquam nec celsior extulit ullas
silua trabes, fessaeque prius rediere sagittae
. . . .
quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma uiros, plaustrisque ad proelia cunctas
Coelaletae traxere manus; ibi suttilis illis
et domus et crudo residens sub uellere coniunx
et puer e primo torquens temone cateias.
linquitur abruptus pelago Tyra, linquitur et mons
Ambenus et gelidis pollens Ophiusa uenenis.
degeneresque ruunt Sindi glomerantque paterno
crimine nunc etiam metuentes uerbera turmas.
hos super aeratam Phalces agit aequore pubem
cum fremitu, densique leuant uexilla Coralli,
barbaricae quis signa rotae ferrataque dorso
forma suum truncaeque Iouis simulacra columnae;
proelia nec rauco curant incendere cornu,
indigenas sed rite duces et prisca suorum
facta canunt ueterumque uiris hortamina laudes.
ast ubi Sidonias inter pedes aequat habenas,
illinc iuratos in se trahit Aea Batarnas,
quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat
aequaque nec ferro breuior nec rumpia ligno.

nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
hiberni qui terga Noae gelidumque securi
eruit et tota non audit Alazona ripa;
quosque Taras niueumque ferax Euarchus olorum.
te quoque uenturis, ingens Ariasmene, saeclis
tradiderim, molem belli lateque ferentem
undique falcatos deserta per aequora currus.
insequitur Drancaea phalanx claustrisque profusi
Caspiadae, quis turba canum non segnius acres
exilit ad lituos pugnasque capessit eriles.
inde etiam par mortis honos, tumulisque recepti
inter auos loculisque uirum; nam pectora ferro
terribilesque innexa iubas ruit agmine nigro
latratuque cohors, quanto sonat horrida Ditis
ianua uel superas Hecates comitatus in auras.
ducit ab Hyrcanis uates sacer agmina lucis
Vanus; eum Scythiae iam tertia uiderat aetas
magnanimos Minyas Argoaque uela canentem.
illius et dites monitis spondentibus Indi
et centumgeminae Lagea noualia Thebes
totaque Riphaeo Panchaia rapta triumpho.
discolor hastatas effudit Hiberia turmas,
quas Otaces, quas Latris agunt et raptor agrorum
Neurus, et expertes canentis Iazyges aeui.
namque ubi iam uiresque aegrae motusque refutat
arcus et inceptus iam lancea temnit erilis,
magnanimis mos ductus auis, haut segnia mortis
iura pati, dextra sed carae occumbere prolis
ense dato; rumpuntque moras natusque parensque,
ambo animosi, ambo miseri tam fortibus actis.
hic et odorato spirantes crine Siraci
Cessaeaeque manus, et qui tua iugera nondum
eruis, ignotis insons Arimaspe metallis.
doctus et Auchates patulo uaga uincula gyro
spargere et extremas laqueis adducere turmas.
non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten cinctumque uagis post terga silebo

pellibus et nexis uiridantem floribus hastas.
fama, ducem Iouis et Cadmi de sanguine Bacchum
hac quoque turiferos, felicia regna, Sabaeos,
hac Arabas fudisse manu; mox rumperet Hebri
cum uada, Thyrsagetas gelida liquisse sub arcto.
illis omnis adhuc ueterum tenor et sacer aeris
pulsus et eoae memoratrix tibia pugnae.
iungit opes Emoda suas; sua signa secuti
Exomatae Torynique et flaui crine Satarchae;
mellis honor Torynis, ditant sua mulctra Satarchen,
Exomatas uenatus alit, nec clarior ullis
arctos equis; abeunt Hypanin fragilemque per undam
tigridis aut saeuae profugi cum prole leaenae,
maestaque suspectae mater stupet aggere ripae.
inpulit et dubios Phrixei uelleris ardor
Centoras et diros magico terrore Choatras.
omnibus in superos saeuus honor, omnibus artes
monstrificae: nunc uere nouo conpescere frondes,
nunc subitam trepidis Maeotin soluere plaustris.
maximus hos inter Stygia uenit arte Coastes;
sollicitat nec Martis amor, sed fama Cytaeae
uirginis et paribus spirans Medea uenenis.
gaudet Auerna palus, gaudet iam nocte quieta
portitor et tuto ueniens Latonia caelo.
ibant et geminis aequantes cornibus alas
Balloniti comitumque celer mutator equorum
Moesus et ingentis frenator Sarmata conti.
nec tot ab extremo fluctus agit aequore nec sic
fratribus aduersa Boreas respondet ab unda
aut is apud fluuios uolucrum canor, aethera quantus
tunc lituum concentus agit lymphataque miscet
milia, quot foliis, quot floribus incipit annus.
ipse rotis gemit ictus ager tremibundaque pulsu
nutat humus, quatit ut saeuo cum fulmine Phlegram
Iuppiter adque imis Typhona reuerberat aruis.
  Prima tenent illinc patriis Absyrtus in armis
et gener ingentesque inter sua milia reges.

at circa Aesoniden Danaum manus ipsaque Pallas
aegide terrifica, quam nec dea laeuat habendo
nec pater horrentem colubris uultuque tremendam
Gorgoneo. nec semineces ostendere crines
tempus adhuc primasque sinit concurrere pugnas.
inpulit hos contra Mauors pater et mala leti
Gaudia Tisiphoneque caput per nubila tollens
ad sonitum litui mediaque altissima pugna
necdum certa quibus sese Fuga mentibus addat.
  Illi ubi consertis iunxere frementia telis
agmina uirque uirum galeis adflauit adactis,
continuo hinc obitus perfractaque caedibus arma
corporaque, alternus cruor alternaeque ruinae;
uoluit ager galeas et thorax egerit imbres
sanguineos; hinc barbarici glomerantur ouatus,
hinc gemitus, mixtaeque uirum cum puluere uitae.
Caspius Aeaeum correpto crine Monesen
abstulit; hunc pariter Colchi Graique sequuntur
missilibus; rapit ille pedem praedamque relinquit,
nec sociis iam cura uiri. Dipsanta Caresus
Strymonaque obscura spargentem uulnera funda
deicit; Albani cadit ipse Cremedonis hasta,
iamque latet currusque super turmaeque feruntur.
  Processere Melas et Idasmenus; incipit hasta
ante Melas, leuis ast abies elusit utrumque.
ensibus inde ruunt; prior occupat aere citato
cassidis ima Melas; infracta est uulnere ceruix.
mixta perit uirtus: nescit cui debeat Ocheus,
aut cui fata Tyres. dum sibila respicit Iron
cuspidis Argiuae, Pyliam latere accipit hastam.
  Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres
Castor equis, pater armento quos diues ab omni
nutrierat fatisque uiam monstrarat iniquis.
tum magis adque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor, simul obuius hastam
pectus in aduersum Gelae iacit alipedemque
adstitit excusso uictor duce; risit ab alta

nube pater prensisque equitem cognouit habenis.
at pariter luctuque furens uisuque Medores
Tyndariden petit et superos sic uoce precatur:
'nunc age uel caeso comitem me reddite fratri
primus uel nostra sonipes cadat impius hasta,
credita qui misero non rettulit arma parenti
meque uenit contra captiuaque terga ministrat.'
dixerat; Actaei sed eum prior hasta Phaleri
deicit; ad socias sonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales umquam metuisset Amyclas
Oebaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter
diuiso totidemque fretis? cadit inpiger una
inguine transfosso clari Taulantis alumnus
semidea genetrice Tages, cui plurima siluis
peruigilat materna soror cultusque laborat.
tenuia non illum candentis carbasa lini,
non auro depicta chlamys, non flaua galeri
caesaries pictoque iuuant sub tegmine bracae.
iamque nouus mediae stupefacta per agmina pugnae
uadit eques densa spargens hastilia dextra,
fulmineumque uiris profusis ingerit ensem
huc alternus et huc; cum saeuior ecce iuuentus
Sarmaticae coiere manus fremitusque uirorum
semiferi; riget his molli lorica catena;
id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
et caput ingentem campis hostilibus umbram
fert abies obnixa genu uaditque uirum ui,
uadit equum, docilis relegi docilisque reponi
atque iterum medios non tardior ire per hostes.
orbibus hos rapidis mollique per aequora Castor
anfractu leuioris equi deludit anhelos
inmemoresque mori; sed non isdem artibus aeque
concurrunt ultroque ruunt in funera Colchi.
Campesus inpacta latus inter et ilia quercu
tollitur ac mediam moriens descendit in hastam.
Oebasus infestum summisso poplite Phalcen
euasisse ratus laeuum per luminis orbem

transigitur; tenerae tinguuntur uulnere malae.
contra autem geminis fidens thoracibus ictum
sustinet et gladio Sibotes ferit ultima teli,
nequiquam; iam cuspis inest, nec fragmina curat
Ambenus et trunco medium subit Ocrea ligno.
seminecem Taxes Hypanin uehit atque remissum
pone trahit fugiens et cursibus exuit hastam;
dumque recollectam rursus locat, inruit ultro
turbatumque Lacon et adhuc inuadit inermem.
inpulit aduerso praeceps equus Onchea conto
nequiquam totis reuocantem uiribus armos:
in latus accepit sonipes, accepit et ipse
frigidus; arma cadunt, rorat procul ultima cuspis;
qualem populeae fidentem nexibus umbrae
siquis auem summi deducat ab aere rami,
ante manu tacita cui plurima creuit harundo;
illa dolis uiscoque super correpta tenaci
inplorat calamos adque inrita concitat alas.
  Parte alia infestis (nam fors ita iunxit) in armis
Styrus adest, laetusque uirum cognoscit Anausis,
et prior 'en cuius thalamis Aeetia uirgo
dicta manet nostrosque feret qui uictor amores.
non' ait, 'inuitoque gener mutabere patri.'
tum simul aduersas conlatis cursibus hastas
coniciunt; fugit adductis Albanus habenis
saucius adque datum leto non sperat Anausin,
nec uidet. ille autem telo moribundus adacto
'ad soceros pactaeque sinus en coniugis' inquit,
'Styre, fugis, uulnus referens, quod carmine nullo
sustineat nullisque leuet Medea uenenis.'
dixerat, extremus cum lumina corripit error,
uoxque repressa gelu percussaque uertice tellus.
  Hinc animos acies auget magnoque doloris
turbine Gesandrum Mauors rapit: ille morantes
increpat et stricto sic urget Iazygas ense:
'nempe omnes cecidere senes, nempe omnis ademptus
ante pater. quae uos subito tam foeda senectus

corripuit fregitque animos adque abstulit iras?
aut mecum mediam, iuuenes, agite ite per urbis
Argolicamque manum aut caris occumbite natis.'
sic furit et patrias coeptis ferus aduocat umbras:
'sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
suggere nunc animamque parem, si fata peroso
tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi
paruimus paruique eadem didicere nepotes'.
haec ait, auditusque Erebo. tunc corripit ensem
turbidus et furiis ardens quatit arma paternis.
indigenis sacratus aquis magnique sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis
(populeus cui frontis honor contectaque glauco
tempora nectuntur ramo), te, Cyrne, parentis
immemorem durae cupiens abducere pugnae;
iamque omnes inpune globos diuersaque lustrans
agmina non usquam uidet. utque iterum acrior instat
uociferans, iterum belli diuersa peragrat,
lancea caeruleas circum strepit incita uittas.
opprimit admissis ferus hinc Gesander habenis.
ille manum trepidans adque inrita sacra tetendit
'te' que 'per hanc genitor' inquit 'tibi si manet, oro
canitiem, conpesce minas et sicubi nato
parce meo.' dixit. contra sic uictor adacto
ense refert: 'genitor, turpi durare senecta
quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dextra
maluit adque ultro segnes abrumpere metas.
et tibi si pietas nati, si dextra fuisset,
haut medii precibus tereres nunc tempora belli,
praeda future canum. iuueni sors pulchrior omnis:
et certasse manu decet et caruisse sepulchro.'
dixerat; ille deos moriens caelumque precatur,
dextera ne misero talis foret obuia nato.

Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo
fleuit ab inuita rapientem tela carina.
iam Scythicos miserande sinus, iam Phasidis amnem
contigeras, nec longa dies, ut capta uideres

uellera et Euboicis patrios de montibus ignes.
illum, ubi congressu subiit Gesander iniquo,
territat his: 'tu, qui faciles hominumque putasti
has, Argiue, domos, alium hic miser aspicis annum
altricemque niuem festinaque taedia uitae.
non nos aut leuibus conponere brachia remis
nouimus aut uentos opus expectare ferentes;
imus equis, qua uel medio riget aequore pontus
uel tumida fremit Hister aqua; nec moenia nobis
uestra placent: feror arctois nunc liber in aruis
cuncta tenens; mecum omnia ago iacturaque plaustri
sola; epulae quodcumque pecus, quaecumque ferarum.
mitte Asiae, mitte Argolicis mandata colonis,
ne trepident; numquam has hiemes, haec saxa relinquam,
Martis agros, ubi tam saeuo durauimus amne
progeniem natosque rudes, ubi copia leti
tanta uiris. sic in patriis bellare pruinis
praedarique iuuat, talemque hanc accipe dextram.'
dixit, et Edonis nutritum missile uentis
concitat; it medium per pectus et horrida nexu
letifer aera chalybs. trepidus super aduolat Idas
ac simul Oenides pariterque Menoetius et qui
Bebrycio nuper remeauit ab hospite uictor.
at uero ingentem Telamon procul extulit orbem
exanimem te, Canthe, tegens; ceu saeptus in arto
dat catulos post terga leo, sic comminus adstat
Aeacides gressumque tenet contraque ruentes
septeno ualidam circumfert tegmine molem.
nec minus hinc urget Scythiae manus armaque Canthi
quisque sibi et Graio poenam de corpore poscens.
arduus inde labos medioque in funere pugna
conseritur. magno ueluti cum turbine sese
ipsius Aeoliae frangunt in limine uenti,
quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur
illuuies: obnixa uirum sic comminus haeret
pugna nec arrepto pelli de corpore possunt.
ut bouis exuuias multo qui frangere oliuo

dat famulis, tendunt illi tractuque uicissim
taurea terga domant, pingui fluit unguine tellus:
talis utrimque labos, ruptataque limite in arto
membra uiri miseranda madent. hi tendere contra,
hi contra, alternaeque uirum non cedere dextrae.
hinc medium Telamon Canthum rapit, hinc tenet ardens
colla uiri et molles galeae Gesander habenas,
insonuit quae lapsa solo dextramque fefellit.
ille iterum in clipei septemplicis improbus orbem
arietat et Canthum sequitur Canthumque reposcit,
quem manus a tergo socium rapit adque receptum
uirginis Euryales curru locat. aduolat ipsa
ac simul Haemonidae, Gesandrumque omnis in unum
it manus. ille nouas acies et uirginis arma
ut uidet, 'has etiam contra bellabimus?' inquit;
'heu pudor!' inde Lycen ferit ad confine papillae,
inde Thoen, qua pelta uacat; iamque ibat in Harpen
uixdum prima leui ducentem cornua neruo,
et labentis equi tendentem frena Menippen:
cum regina grauem nodis auroque securem
congeminans partem capitis galeaeque ferinae
dissipat. hinc pariter telorum immanis in unum
it globus; ille diu coniectis sufficit hastis,
quis iam iam grauior nutansque exterruit Idam.
tunc ruit ut montis latus aut ut machina muri,
quae scopulis trabibusque diu confectaque flammis
procubuit tandem adque ingentem perculit orbem.
  Ecce locum tempusque ratus iamque et sua posci
proelia, falcatos infert Ariasmenus axes
saeuaque diffundit socium iuga protinus omnes
Graiugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
qualiter exosus Pyrrhae genus aequora rursus
Iuppiter adque omnes fluuium si fundat harenas,
ardua Parnasi lateant iuga, cesserit Othrys
piniger et mersis decrescant rupibus Alpes:
diluuio tali paribusque Ariasmenus urget
excidiis nullo rapiens discrimine currus.

aegida tum primum uirgo spiramque Medusae
ter centum saeuis squalentem sustulit hydris,
quam soli uidistis equi. pauor occupat ingens
excussis in terga uiris, diramque retorquent
in socios non sponte luem. tunc ensibus uncis
inplicat et trepidos lacerat discordia currus.
Romanas ueluti saeuissima cum legiones
Tisiphone regesque mouet, quorum agmina pilis
isdem aquilisque utrimque micant, eademque parentes
rura colunt, idem lectos ex omnibus agris
miserat infelix non haec ad proelia Thybris:
sic modo concordes externaque fata petentes
Palladii rapuere metus, sic in sua uersi
funera concurrunt dominis reuocantibus axes.
non tam foeda uirum Laurentibus agmina terris
eiecere noti, Libyco nec talis imago
litore, cum fractas inuoluunt aequora puppes.
hinc biiuges, illinc artus cernuntur eriles,
quos radii, quos ferra secant; trahiturque trahitque
currus caede madens atroque in puluere regum
uiscera nunc aliis, aliis nunc axibus haerent.
haut moti Colchorum animi: neque *mittere parcunt*
tela, set inplicitos miseraque in peste reuinctos
confodiunt ac forma necis non altera surgit,
quam ceruos ubi non Umbro uenator edaci,
non pinna petit, haerentes sed cornibus altis
inuenit et caeca constrictos excipit ira.
ipse recollectis audax Ariasmenus armis
desilit; illum acies curuae secat undique falcis
partiturque rotis, adque inde furentia raptus
in iuga Circaeos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyae sparsique Cytaei
funera miscebant campis Scythiamque premebant,
cum Iuno Aesonidae non hanc ad uellera cernens
esse uiam nec sic reditus regina parandos,
extremam molitur opem, funesta prius quam
consilia ac saeuas aperit rex perfidus iras.

increpat et seris Vulcanum maesta querellis,
cuius flammiferos uidet inter regia tauros
pascua Tartaream proflantes pectore noctem.
haec etenim Minyas ne iungere Marte peracto
monstra datis iubeat Cadmei dentibus hydri,
ante diem timet et uarias circumspicit artes.
sola animo Medea subit, mens omnis in una
uirgine, nocturnis qua nulla potentior aris.
illius ad fremitus sparsosque per auia sucos
sidera fixa pauent et aui stupet orbita Solis.
mutat agros fluuiumque uias, suus alligat ingens
cuncta sopor, recoquit fessos aetate parentes
datque alias sine lege colus. hanc maxima Circe
terrificis mirata modis, hanc aduena Phrixus,
quamuis Atracio lunam spumare ueneno
sciret et Haemoniis agitari cantibus umbras.
ergo opibus magicis et uirginitate tremendam
Iuno duci sociam coniungere quaerit Achiuo.
non aliam tauris uidet et nascentibus armis
quippe parem nec cui medio stet in agmine flammae,
nullum mente nefas, nullos horrescere uisus.
quid si caecus amor saeuusque accesserit ignis?
hinc Ueneris thalamos semperque recentia sertis
tecta petit. uisa iamdudum prosilit altis
diua toris uolucrumque exercitus omnis Amorum.
ac prior hanc placidis supplex Saturnia dictis
adgreditur ueros metuens aperire timores.
'in manibus spes nostra tuis omnisque potestas
nunc' ait; 'hoc en iam magis adnue uera fatenti.
durus ut Argolicis Tirynthius exulat oris,
mens mihi non eadem Iouis atque auersa uoluntas,
nullus honor thalamis flammaeue in nocte priores.
da, precor, artificis blanda adspiramina formae
ornatusque tuos terra caeloque potentes.'
sensit diua dolos iam pridem sponte requirens
Colchida et inuisi genus omne excindere Phoebi.
tum uero optatis potitur; nec passa precari

ulterius dedit acre decus fecundaque monstris
cingula, non pietas quibus aut custodia famae,
non pudor, at contra leuis et festina cupido
adfectusque mali dulcisque labantibus error
et metus et demens alieni cura pericli.
'omne' ait 'imperium natorumque arma meorum
cuncta dedi; quascumque libet nunc concute mentes.'
Cingitur arcanis Saturnia laeta uenenis,
adque hinc uirgineae uenit ad penetralia sedis
Chalciopen imitata sono formaque sororem.
fulsit ab inuita lumen procul, et pauor artus
protinus adque ingens Aeetida perculit horror.
'ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus' inquit
'aduenisse, soror, nec nostro sola parenti
scis socias iunxisse manus? at cetera muros
turba tenet fruiturque uirum caelestibus armis,
tu thalamis ignaua sedes, tu sola paterna
fixa domo? tales quando tibi cernere reges?'
illa nihil contra; nec enim dea passa manumque
inplicat et rapidis mirantem passibus aufert.
ducitur infelix ad moenia summa futuri
nescia uirgo mali et falsae commissa sorori;
lilia per uarios lucent uelut alba colores
praecipue, quis uita breuis totusque parumper
floret honor fuscis et iam notus imminet alis.
hanc residens altis Hecate Perseia lucis
flebat et has imo referebat pectore uoces:
'deseris heu nostrum nemus aequalesque cateruas,
a misera, ut Graias haut sponte uageris ad urbes!
non inuisa tamen; neque te, mea cura, relinquam.
magna fugae monumenta dabis, spernere nec usquam
mendaci captiua uiro, meque ille magistram
sentiet et raptu famulae doluisse pudendo.'
dixerat. ast illae murorum extrema capessunt
defixaeque uirum lituumque fragoribus horrent,
quales instanti nimborum fulgure maestae
succedunt ramis haerentque pauore uolucres.

Iamque Getae, iamque omnis Hiber Drangaeaque densa
strage cadit legio et latis prosternitur aruis.
semineces duplicesque inter sua tela suosque
inter equos saeuam misero luctamine uersant
congeriem et longis campos singultibus inplent.
uictores patrium contra paeana Geloni
congeminant; eadem redeunt mox gaudia uictis,
qua deus et melior belli respexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.
Absyrtus clipei radiis curruque coruscus
Solis aui (cuius uibrantem comminus hastam
cernere nec galeam gentes potuere minantem,
sed trepidae cedunt et uerso uulnera tergo
accipiunt magnisque fugam clamoribus augent)
proterit inpulsu grauis agmina corporaque altis
sternit equis gemitusque premit spirantis acerui.
nec leuior comitatur Aron, horrentia cuius
discolor arma super squalentesque aere lacertos
barbarica chlamys ardet acu tumefactaque uento
implet equum, quale in roseis it Lucifer alis,
quem Venus inlustri gaudet procedere caelo.
at non inde procul Rambelus et acer Otaxes
dispulerant Colchos pariterque inglorius Armes,
fraude noua stabula et furtis adsuetus inultis
depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
hispidus inque dei latuit terrore Lycaei.
hac tunc attonitos facie defixerat hostes.
quem simulac nota formidine bella mouentem
uidit Aron, 'pauidos te' inquit 'nunc rere magistros
et stolidum petiisse pecus. non pascua nec bos
hic tibi; nocturnis mitte haec simulacra rapinis,
neue deum mihi finge; deus quoque consere dextram.'
sic ait, intentaque adiutum missile planta
derigit et lapsis patuerunt uulnera uillis.
nec minus Aeolii proles Aeetia Phrixi
fertur et ipsa furens ac se modo laeta Cytaeis

agminibus, modo cognatis ostentat Achiuis.
adque hos in medio duri discrimine belli
caedibus inque ipsis gaudens ubi uidit Iason,
'macte' ait 'o nostrum genus et iam certa propago
Aeoliae nec opina domus; sat magna laborum
dona fero, satis hoc uisu quaecumque rependo.'
dixit et in Sueten magnique in fata Ceramni
emicuit clipeumque rotans hunc poplite caeso
deicit, illum aperit lato per pectus hiatu.
Argus utrumque ab equis ingenti porrigit aruo
et Zacorum et Phalcen, peditem pedes haurit Amastrin.
sanguinis ille globos effusaque uiscera gestat
barbarus et cassa frendens sublabitur ira.
dat Calais Barisanta neci semperque propinquas
Riphea uenali comitantem sanguine pugnas
(centum lecta boum bellator corpora, centum
pactus equos; his ille animam lucemque rependit
crudelis; tandem dulces iam cassus in auras
respicit ac nulla caelum reparabile gaza);
labitur intortos per tempora caerula crines
tunc quoque materna uelatus harundine Peucon.
at genetrix imis pariter Maeotis ab antris
impleuit plangore lacus natumque uocauit,
iam non per ripas, iam non per curua uolantem
stagna nec in medio truncantem marmore ceruos.
Eurytus Exomatas agit aequore. Nestoris hastae
immoritur primaeuus Helix, nec reddit amato
nutrimenta patri breuibus ereptus in annis.
at Latacum Zetemque Daraps; illum excipit hasta,
hic fugit, ingentem subiti cum sanguinis undam
uidit et extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris residens Medea paternis
singula dum magni lustrat certamina belli
adque hos ipsa procul densa in caligine reges
agnoscit quaeritque alios Iunone magistra,
conspicit Aesonium longe caput, ac simul acres
huc oculos sensusque refert animumque fauentem,

nunc quo se raperet, nunc quo diuersus abiret,
ante uidens, quotque unus eques confunderet arua,
errantesque uiros quam densis sisteret hastis.
quaque iterum tacito sparsit uaga lumina uultu
aut fratris quaerens aut pacti coniugis arma,
unus ibi miserae solusque occurrit Iason.
tunc his germanam adgreditur, ceu nescia, dictis:
'quis, precor, hic, toto iamdudum feruere campo
quem tueor quemque ipsa uides? nam te quoque tali
attonitam uirtute reor.' contra aspera Iuno
reddit agens. stimulis ac diris fraudibus urget.
'ipsum' ait 'Aesoniden cernis, soror, aequore tanto
debita cognati repetit qui uellera Phrixi,
nec nunc laude prior generis nec sanguine quisquam.
aspicis, ut Minyas inter proceresque Cytaeos
emicet effulgens quantisque insultet aceruis;
et iam uela dabit, iam litora nostra relinquet,
Thessaliae felices opes dilectaque Phrixo
rura petens. eat atque utinam superetque labores!'
tantum effata magis campis intendere suadet,
dum datur, ardentisque uiri percurrere pugnas;

At simul hanc dictis, illum dea Marte secundo
inpulit adque nouas egit sub pectora uires.
ora sub excelso iamdudum uertice coni
saeua micant cursuque ardescit nec tibi, Perse,
nec tibi, uirgo, iubae laetabile sidus Achiuae,
acer ut autumno canis iratoque locati
ab Ioue fatales ad regna iniusta cometae.
nec sua Crethiden latuit dea uimque recentem
sentit agi membris ac se super agmina tollit,
quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre
Caucasus et summas abiit hibernus in arctos.
tunc uero, stabulis qualis leo saeuit opimis
luxurians spargitque famem mutatque cruores,
sic neque parte ferox nec caede moratur in una
turbidus inque omnes pariter furit ac modo saeuo
ense, modo infesta rarescunt cuspide turmae.

tunc et terrificis undantem crinibus Hebrum
et Geticum Priona ferit; caput eripit Auchi
brachiaque et uastis uoluendum mittit harenis.
Et genitus Ioue conplerat sua fata Colaxes;
iamque pater maesto contristat sidera uultu
talibus aegra mouens nequiquam pectora curis:
'ei mihi, si durae natum subducere sorti
moliar atque meis ausim confidere regnis,
frater adhuc Amyci maerens nece cunctaque diuum
turba frement, quorum nati cecidere cadentque.
quin habeat sua quemque dies cunctisque negabo,
quae mihi.' supremos misero sic fatus honores
congerit adque animis moriturum ingentibus implet.
ille uolat campis inmensaque funera miscet
per cuneos, uelut hiberna proruptus ab arcto
imber agens scopulos nemorumque operumque ruinas,
donec ab ingenti bacchatus uertice montis
frangitur inque nouum paulatim deficit amnem.
talis in extremo proles Iouis emicat aeuo,
et nunc magnanimos Hypetaona Gessithoumque,
nunc Arinen Olbumque necat; iam saucius Aprem
et desertus equo Thydrum pedes excipit hasta
Phasiaden, pecoris custos de more paterni
Caucasus ad primas genuit quem Phasidis undas;
hinc puero cognomen erat famulumque ferebant
Phasidis intonso nequiquam crine parentes.
iamque aliis instabat atrox, cum diua supremas
rumpit iniqua colus uictorque aduenit Iason.
excipit hunc saeua sic fatus uoce Colaxes:
'uos Scythiae saturare canes Scythiaeque uolucres
huc miseri uenistis?' ait saxumque prehensum,
illius et dextrae gestamen et illius aeui,
concussa molitur humo, quod regia Iuno
flexit ad ignotum caput infletumque Monesi.
praeceps ille ruit; nato non depulit ictus
Iuppiter, Haemoniae uulnus fatale sed hastae
per clipeum, per pectus abit, lapsoque cruentus

aduolat Aesonides mortemque cadentis acerbat.
spargitur hinc miserisque uenit iam notus Alanis.
At regina uirum (neque enim dea summouet ignem)
persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret;
et iam laeta minus praesentis imagine pugnae
castigatque metus et quas alit inscia curas,
respiciens, an uera soror (nam credere falsos
audet atrox uultus), eademque in gaudia rursus
labitur et saeuae trahitur dulcedine flammae.
ac uelut ante comas ac summa cacumina siluae
lenibus adludit flabris leuis auster, at illum
protinus inmanem miserae sensere carinae:
talis ad extremos agitur Medea furores.
interdum blandae derepta monilia diuae
contrectat miseroque aptat flagrantia collo,
quaque dedit teneros aurum furiale per artus,
deficit; ac sua uirgo deae gestamina reddit,
non gemmis, non illa leui turbata metallo,
sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto
iam tenet; extremus roseo pudor errat in ore.
ac prior his: 'credisne patrem promissa daturum,
o soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
contigit? aut belli quantum iam restat acerbi?
heu quibus ignota sese pro gente periclis
obicit!' haec fantem medio in sermone reliquit
incepti iam Iuno potens securaque fraudis.
Inminet e celsis audentius inproba muris
uirgo nec ablatam sequitur quaeritue sororem.
at quotiens uis dura ducum densique repente
Aesoniden pressere uiri cumque omnis in unum
imber iit, totiens saxis pulsatur et hastis.
primaqne ad infesti Lexanoris horruit arcus,
alta sed Aesonium supra caput exit harundo,
teque, Caice, petit; coniunx miseranda Caico
linquitur et primo domus inperfecta cubili.
Regius eois Myraces interpres ab oris
uenerat, ut Colchos procul adque Aeetia Parthis

foedera donato non inrita iungeret auro.
tum iuuenem terris Parcae tenuere Cytaeis
ac subiti Mauortis amor simul. armiger ibat
semiuir inpubemque gerens sterilemque iuuentam.
ipse pharetratis residens ad frena tapetis
nunc leuis infesto procurrit in agmina curru,
nunc fuga conuersas spargit mentita sagittas.
at uiridem gemmis et eoae stamine siluae
subligat extrema patrium ceruice tiaran
insignis manicis, insignis acinace dextro;
inproba barbaricae procurrunt tegmina plantae.
nec latuere diu saeuum spolia illa Syenen,
perque leuem et multo maculatam murice tigrin
concita cuspis abit; subitos ex ore cruores
saucia tigris agit uitamque effundit erilem;
ipse puer fracto pronum caput inplicat arcu.
sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine uultus
et grauidae maduere comae, quas flore Sabaeo
nutrierat liquidoque parens signauerat auro.
qualem siquis aquis et fertilis ubere terrae
educat ac uentis oleam felicibus implet,
nec labor adsiduus nec spes sua fallit alentem,
iamque uidet primam tenero de uertice frondem;
cum subito inmissis praeceps aquilonia nimbis
uenit hiemps nigraque euulsam tendit harena:
haud secus ante urbem Myraces adque ipsius ante
uirginis ora cadit; sed non magis illa mouetur
unius aegra metu, quam te, Meleagre, furentem,
quam Talaum uidet aut pugnas miratur Acasti;
at satis hos ipsae gentes campique uidebant
tempestate pari uersis incumbere turmis.
ante oculos fuga foeda ducum largusque cadentum
it cruor et currus dominis ingentibus orbi.
  Non tulit hos Perses gemitus cladenque suorum
tergaque uersa tuens his caelum questibus implet:
'quid me iam patriis eiectum sedibus, istas
ut struerem pugnas Scythiamque in bella mouerem,

uos superi, uos augurio iussistis inani?
quis fratris meritas tua, Iuppiter, omina poenas
promisere mihi? nobis Argoa parabas
scilicet auxilia et tantas coniungere uires.
saeua quidem lucis miseris mora; dent tamen, oro,
unum illum mihi fata diem, quo falli et Achiuos
sic meritos quoque hunc uideam uirtute superbum
Aesoniden tantos flentem sine honore labores.'
dixerat haec pectusque suis euerberat armis
et galeam fletu, galeam singultibus implet;
ibat et in medii praeceps incendia belli,
ni prior aduersis Pallas uidisset ab armis
et secum: 'ruit ecce ferox in funera Perses,
quem genitor Colchis solioque inponere fratris
iam statuit. nostra uereor ne fraude peremptum
increpet et culpam hanc magno terrore rependat.'
haec dicens atro nebulam diffundit amictu
stridentesque uiri circum caput amouet hastas.
ille super socias clementi turbine gentes
erigitur paulumque leui raptatus in aethra
iam tandem extremas pugnae defertur in oras,
forte ubi serus Hiber Issedoniaeque phalanges
Marte carent solisque iuuant clamoribus agmen.
  Nox simul astriferas profert optabilis umbras;
et cadit extemplo belli fragor aegraque muris
degreditur longum uirgo perpessa timorem.
ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt,
mox rapuere deum iam iam ad quodcumque paratae
Thyiades, haut alio remeat Medea tumultu,
adque inter Graiumque acies patriasque phalangas
semper inexpletis adgnoscit Iasona curis
armaque quique caua superest de casside uultum.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER SEPTIMUS.

Te quoque Thessalico iam serus ab hospite uesper
diuidit et iam te tua gaudia, uirgo, relinquunt,
noxque ruit soli ueniens non mitis amanti.
ergo ubi cunctatis extremo in limine plantis
contigit aegra toros et mens incensa tenebris,
uertere tunc uarios per longa insomnia questus
nec pereat quo scire malo; tandemque fateri
ausa sibi causam medio sic fata dolore est:
'nunc ego quo casu uel quo sic peruigil usque
ipsa uolens errore trahor? non haec mihi certe
nox erat ante tuos, iuuenis fortissime, uultus.
quos ego cur iterum demens iterumque recordor
tam magno discreta mari? quid in hospite solo
mens mihi? cognati potius iam uellera Phrixi
accipiat, quae sola petit quaeque una laborum
causa uiro. nam quando domos has ille reuiset?
aut meus Haemonias quando pater ibit ad urbes?
felices, mediis qui se dare fluctibus ausi
nec tantas timuere uias talemque secuti
huc qui deinde uirum: sed sic quoque carus abito.
tum iactata toro durumque experta cubile,

ecce uidet tenui candescere lumine eoum;
nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
quam cum languentes leuis erigit imber aristas
grataque iam fessis descendunt flamina remis.

At sua longarum Minyas iam cura uiarum
admonet; inque ipso nequiquam tempore regem
laetitiae meritique petunt; quem passus Iason
uota prius captasque deis appendere praedas,
prominet adque oculos longe tenet, aurea si iam
pellis et oblatis clarescant atria uillis.

Ille autem iam iam uultus uocesque parantem
anteuenit rumpitque moras inque ipsa mouentis
prosilit ora uiri talique effunditur ira:
'orbe satos alio, sua litora regnaque habentes,
quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
quisue mei uos tantus amor? tu prima malorum
causa mihi, tu, Phrixe gener. non te aequore mersum
quo soror! ut felix nullos nunc nomine Graios
nossem ego! quis regum Pelias, quis Thessalus aut quae
Graecia? quodnam hominum Minyae genus? aut ubi cautes
Cyaneae? uenit Scythicas en hospes in oras.
quinquaginta Asiam (pudet heu!) penetrarit Iason
exulibus? meque ante alios sic spreuerit una,
una ratis, spolium ut uiuo de rege reportet?
ipsum offerre, meos ipsum me pandere lucos
imperet et nullo dignetur uincere bello?
cur age non templis sacrata auellere dona
omnibus adque ipsas gremiis abducere natas,
praedo, libet? uobisne domos, uobisne penates
esse putem, ratis infandis quos sola rapinis
saeuaque pascit hiemps et quos, credamus ut ipsis,
rex suus inmisit pelago uetuitque reuerti?
scilicet Aeoliae pecudis poteretur ut auro?
ante meus caesa descendet Caucasus umbra
ac prior Haemonias repetet super aequora praedas
aut ego cum uittis statuam feralibus Hellen.

si tamen his aliter perstas non cedere terris,
teque pudor cassi reditus mouet, ac latet una
nescio quid plus puppe uiris, haud ipsa morabor
quae petitis; modo nostra prior tu perfice iussa.
Martius ante urbem longis iacet horridus annis
campus, et ardentes ac me quoque uomere presso,
me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.
his magis adque magis rabiem nunc nostra senectus
luxuriemque dedit, solitoque superbior ignis
ore fremit. succede meae, fortissime, laudi,
et nostros recole, hospes, agros. nec semina derunt,
quae prius ipse dabam, et messes, quas solus obibam.
consiliis nox una satis, tecumque retracta
cumque tuis haec iussa deis; ac siquid in isto est
robore, praedicti uenies in rura laboris.
ipse incertus adhuc, tenebris te protinus illis
inuolui flammisque uelim, durare parumper
an magis, euerso iacias dum semina campo,
ac tibi Cadmei dum dentibus exeat hydri
miles et armata florescant pube nouales.'
Filia prima trucis uocem mirata tyranni
haesit et ad iuuenem pallentia rettulit ora
contremuitque metu, ne nescius audeat hospes
seque miser ne posse putet. perstrinxerat horror
ipsum etiam et maesta stabat defixus in ira.
non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
qui iam te, Tiberine, tuens clarumque sereno
axe pharon prensus subito nusquam ostia, nusquam
Ausoniam uidet, at saeuas accedere Syrtes.
tum tamen, infando quae det responsa tyranno,
colligit et tandem obtutu consurgit ab alto.
'non' ait 'hos reditus, non hanc, Aeeta, dedisti
spem Minyis, cum prima tuis pro moenibus arma
induimus. quo uersa fides? quos uestra uolutant
iussa dolos? alium hic Pelian, alia aequora cerno.
quin agite hoc omnes odiisque urgete tyranni
imperiisque caput; numquam mihi dextera nec spes

defuerit; mos iussa pati nec cedere duris.
unum oro, seu me illa suis seges obruet hastis,
hauriet aduerso seu crastinus ignis hiatu,
nuntius hinc saeuas Peliae mittatur ad aures,
hic periisse uiros, et me, si uestra fuisset
ulla fides, reducem patriae potuisse referri'.
Talibus attonitos dictis natamque patremque
linquit et infida praeceps prorumpit ab aula.
at trepida et medios inter deserta parentes
uirgo silet, nec fixa solo seruare parumper
lumina nec potuit maestos non flectere uultus;
respexitque fores et adhuc inuenit euntem;
uisus et heu miserae tunc pulchrior hospes amanti
discedens; tales umeros, ea terga relinquit.
illa domum adque ipsos paulum procedere postes
optat, at ardentes tenet intra limina gressus.
qualis ubi extremas Io uaga sentit harenas
fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinys
ire mari Phariaeque uocant trans aequora matres:
circuit haut aliter foribusque inpendet apertis,
an melior Minyas reuocet pater; oraque cernens
hospitis aut solo maeret defecta cubili
aut uenit in carae gremium refugitque sororis
adque loqui conata silet; rursusque recedens
quaerit, ut Aeaeis hospes consederit oris
Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.
tum comitum uisu fruitur miseranda suarum
inplerique nequit; subitoque parentibus haeret
blandior et patriae circumfert oscula dextrae.
sic adsueta toris et mensae dulcis erili,
aegra noua iam peste canis rabieque futura,
ante fugam totos lustrat queribunda penates.
tandem etiam molli semet sic increpat ira.
'pergis,' ait 'demens, teque illius angit imago
curaque, qui profuga forsan tenet alta carina
quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
quid me autem sic ille mouet, superetne labores

an cadat et tanto turbetur Graecia luctu?
saltem, fata uirum si iam suprema ferebant,
iussus ad ignotos potius fuit ire tyrannos!
o utinam o tantum non hac moreretur in urbe!
namque et sidereo nostri de sanguine Phrixi
dicitur, et caram uidi indoluisse sororem;
seque ait has iussis actum miser ire per undas.
a, redeat quocumque modo meque ista precari
nesciat adque meum non oderit ille parentem.'
dixerat haec stratoque graues proiecerat artus,
si ueniat miserata quies, cum saeuior ipse
turbat agitque sopor: supplex hinc sternitur hospes,
hinc pater. illa noua rumpit formidine somnos
erigiturque toro; famulas carosque penates
agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes;
turbidus ut poenis caecisque pauoribus ensem
corripit et saeuae ferit agmina matris Orestes;
ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli;
adque iterum incestae se feruere caede Lacaenae
credit auens, falsaque redit de strage dearum
fessus et in miserae conlabitur ora sororis.
His ubi nequiquam nutantem Colchida curis
Iuno uidet necdum extremo parere furori,
non iam mentitae uultum uocemque resumit
Chalciopes. quando ardor hebet leuiorque pudore
mensque obnixa malo, tenues sublimis in auras
tollitur et fuluo Venerem uestigat Olympo.
'sum memor, ut sis hunc mecum partita laborem;
illa nimis sed dura manet conuersaque in iram
et furias dolet ac me nunc defecta reliquit.
i, precor, adque istum quo me frustratur amorem
uince tori, patriis ut tandem euadere tectis
audeat adque meum casu defendere ab omni
Aesoniden. quin illum atro, quo freta, ueneno,
illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
qui nemus omne suum quique aurea (respice porro)
uellera tot spiris circum, tot ductibus implet,

cantibus in somnos ingenti soluat ab orno.
haec tibi: nam Furiis adque ipsi cetera mando.'
Tum contra aligerum mater sic fatur Amorum:
'nec tibi, cum primos adgressa es flectere sensus
uirginis ignotaque animum contingere cura,
defuimus, data continuo quin cingula soli
nostra tibi, quis mota loco labefactaque cessit.
haut satis est, sed me ipsa opus, et cunctantia poscunt
pectora me dubiusque pudor: iam foedera faxo
Haemonii petat ipsa uiri metuatque morari.
tu face luciferae citus ad delubra Dianae
deueniat, sacras solita est ubi fundere taedas
Colchis et aequali dominam lustrare caterua.
nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
impediat ne coepta time. quin audeat opto:
continuo transibit amor, cantuque trilingui
ipsam flammiferos cogam conpescere tauros
amplexumque pati.' uolucrem Iuno arripit Irin
festinamque iubet monitis parere Diones
et iuuenem Aesonium praedicto sistere luco.
protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petiuit
Colchida; Caucaseis speculatrix Iuno resedit
rupibus, attonitos Aeaea in moenia uultus
speque metuque tenens et adhuc ignara futuri.
Uix primas occulta Venus prospexerat arces,
uirginis ecce nouus mentem perstringere languor
incipit; ingeminant commotis questibus aestus.
ergo iterum sensus uarios super hospite uoluens
maeret et absenti nequiquam talia fatur:
'si tibi Thessalicis nunc et tua forte uenenis
mater et heu, siqua est, posset succurrere coniunx!
quidne tuos uirgo possim nisi flere labores?
nec satis; ipsa etiam casus spectare supremos
adque iterum durae cogar comes ire sorori.
et nunc ille sua non quemquam sorte moueri,
non ullum meminisse putat, cumque omnibus odit
me quoque. siquando fuerit tamen ulla potestas,

illum ego, qui diris cinis ultimus haeserit aruis,
ossaque, quis tauri saeuusque pepercerit ignis,
conponam sedemque dabo. fas tunc mihi manes
dilexisse uiri tumuloque has reddere curas.'

Dixerat. ecce toro Venus inprouisa resedit,
sicut erat mutata deam mentitaque pictis
uestibus et magica Circen Titanida uirga.
ista, uelut lenti fallatur imagine somni,
sic oculos incerta tenet magnique sororem
paulatim putat esse patris; tum flebile gaudens
prosiluit saeuaeque ultro tulit oscula diuae,
ac prior: 'o tandem, uix tandem reddita Circe
dura tuis, quae te biiugis serpentibus egit
hinc fuga? quaeue fuit patriis mora gratior oris?
ante et Thessalicae Phasin petiere carinae
perque tot infelix frustra uada uenit Iason,
quam patriae te mouit amor.' tum cetera rumpit
occurritque Venus: 'tu nunc mihi causa uiarum
sola: tuae uenio (iam pridem gnara) iuuentae;
cetera parce queri neu me meliora secutam
argue; quippe (ut iam reputentur munera diuum)
omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
communes et crede deos. patriam inde uocato,
qua redit itque dies. nec nos, o nata, maligna
luserit hoc uno semper sub frigore messis.
fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.
et nunc Ausonii coniunx ego regia Pici,
nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris,
meque uides Tusci dominam maris. at tibi quinam
Sauromatae, miseranda, proci? cui uadis Hibero
(ei mihi!) uel saeuo coniunx non una Gelono?'

Illa deae contra iamdudum spernere uoces;
'non ita me inmemorem magnae Perseidos' inquit
'cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
i, precor, adque tuum pro me dimitte timorem.
sed magis his miseram, quando potes, eripe curis.'

unde metus aestusque mihi, quaeque aspera, mater,
perpetior dubiae iamdudum incendia mentis.
nulla quies animo, nullus sopor, arida membra.
quaere malis nostris requiem mentemque reponens
redde diem noctemque mihi, da prendere uestes
somniferas istaque oculos conponere uirga.
tu quoque nil, mater, prodes mihi; fortior ante
sola fui. tristes thalamos infestaque cerno
somnia, uipereos ipsi tibi surgere crines.'
talia uerba dabat conlapsaque flebat iniquae
in Veneris Medea sinus pestemque latentem
ossibus adque imi monstrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus et furialia figit
oscula permixtumque odiis inspirat amorem.
dumque illam uariis maerentem uocibus ambit
inque alio sermone tenet, 'quin hoc' ait 'audi
adque attolle genas' lacrimisque haec infit obortis:
'cum leuis aetheriis ad te modo laberer auris,
forte ratem primo fulgentem litore cerno,
qualem nostra suo numquam dimittere portu
callet, adhuc omnes quae detinet insula natos.
unus ibi ante alios qui tum mihi pulchrior omnis
uisus erat (longeque ducem mirabar et ipsa)
aduolat adque unam comitum ratus esse tuarum
"per tibi siquis" ait "morituri protinus horror,
ac quem non meritis uideas occurrere monstris,
haec precor, haec dominae referas ad uirginis aurem
ac fletus ostende meos; illi has ego uoces,
qua datur, hasque manus, ut possum, a litore tendo.
ipsae, quas mecum per mille pericula traxi,
defecere deae; spes et uia sola salutis,
quam dederit, si forte dabit. ne uota repellat,
ne mea; totque animas, qualis nec uiderit ultra,
dic, precor, auxilio iuuet adque haec nomina seruet.
ei mihi, quod nullas hic possum exsoluere grates!
ac tamen hoc saeua corpus de morte receptum,
hanc animam sciat esse suam. miserebitur ergo?

dic, ait, an potius?" — strictumque ruebat in ensem.
promisi; ne falle, precor. cumque ipsa mouerer
adloquio casuque uiri, te passa rogari
sum potius; tu laude noua, tu supplice digno 290
dignior es; sat fama meis iam parta uenenis. 291
si Pelopis duros prior Hippodamia labores 276
expediit totque ora simul uulgata procorum
respiciens tandem patrios exhorruit axes,
si dedit ipsa neci fratrem Minoia uirgo:
cur non hospitibus fas sit succurrere dignis 280
te quoque et Aeaeos iubeas mitescere campos?
occidat aeterna tandem Cadmeia morte
iam seges et uiso fumantes hospite tauri.' 283

Torserat illa graui iamdudum lumina uultu 292
uix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis
iret in ora deae; tanta pudor aestuat ira.
iamque toro trepidas infelix obruit aures 296
uerba cauens; horror molles inuaserat artus. 295
nec quo ferre fugam nec quo se uertere posset
prensa uidet; rupta condi tellure premique
iamdudum cupit ac diras euadere uoces.

Illa sequi iubet et portis expectat in ipsis. 300
saeuus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
deserit infectis per roscida cornua uittis,
cum tenet ille deum, pudibundaque tegmina matris
tympanaque et mollem subito miser accipit hastam:
haud aliter deserta pauet perque omnia circum 305
fert oculos tectisque negat procedere uirgo.
contra saeuus amor, contra periturus Iason
urget et auditae crescunt in pectore uoces.
heu quid agat? uidet externo se prodere patrem
dura uiro, famam scelerum iamque ipsa suorum 310
prospicit, et questu superos questuque fatigat
Tartara; pulsat humum manibusque inmurmurat uncis
noctis eram Ditemque ciens, succurrere tandem
morte uelint ipsumque simul demittere leto,

quem propter furit; absenti saeuissima poscit
nunc Peliae, tanta iuuenem qui perderet ira.
saepe suas misero promittere destinat artes,
dein negat atque una potius decernit obire;
ac neque tam turpi cessuram semper amori
proclamat neque opem ignoto uiresque daturam;
adque toro proiecta manet, cum uisa uocari
rursus et inpulso sonuerunt cardine postes.
  Ergo ubi nescio quo penitus se numine uinci
sentit et abscisum quidquid pudor ante monebat,
tum thalami penetrale petit, quae maxima norat
auxilia Haemoniae quaerens pro rege carinae.
utque procul magicis spirantia tecta uenenis
et saeuae patuere fores oblataque contra
omnia, quae ponto, quae manibus eruit imis
et quae sanguineo lunae destrinxit ab ore,
'tune sequeris' ait 'quidquam aut patiere pudendum,
cum tibi tot mortes scelerisque breuissima tanti
effugia?' haec dicens, qua non uelocius herba
pestifera est, toto nequiquam lumine lustrat
cunctaturque super morituraque colligit iras.
o nimium iucunda dies, quam cara sub ipsa
morte magis! stetit et sese miserata furentem est.
'occidis, heu, primo (potes hoc durare?) sub aeuo,
nec tu lucis' ait, 'nec uideris ulla iuuentae
gaudia, non dulces fratris pubescere malas?
hunc quoque, cui nunc es crudelis, Iasona nescis
morte perire tua? qui te nunc inuocat unam,
qui rogat heu nostro quam primam in litore uidit.
cur tibi fallaces placuit coniungere dextras
tunc, pater, atque istis iuuenem non perdere monstris
protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa uolebam.
testor cara tuas, Circe Titania, uoces,
te ducente sequor, tua me grandaeua fatigant
consilia et monitis cedo minor.' haec ubi fata,
rursus ad Haemonii iuuenis curamque metumque
uertitur; hunc solum propter seu uiuere gaudens

siue mori quodcumque uelit; maiora precatur
carmina, maiores Hecaten inmittere uires
nunc sibi, nec notis stabat contenta uenenis.
cingitur inde sinus et, qua sibi fida magis uis
nulla, Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucasei promit nutritum in gramine montis,
quem sacer ille niues inter tristesque pruinas
durat alitque cruor, cum uiscere uultur adeso
tollitur e scopulis et rostro inrorat aperto.
idem nec longi languescit finibus aeui
inmortale uirens, idem stat fulmina contra
saluus et in mediis florescunt ignibus herbae.
prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
intulit et ualidas scopulis effodit aristas;
mox famulae monstrata seges, quae lampade Phoebes
sub decima iuga feta metit saeuitque per omnes
relliquias saniemque dei; gemit inritus ille
Colchidos ora tuens; toto tunc contrahit artus
monte dolor cunctaeque tremunt sub falce catenae.
Talibus infelix contra sua regna uenenis
induitur noctique tremens infertur opacae.
dat dextram uocemque Venus blandisque pauentem
adloquiis iunctoque trahit per moenia passu.
qualis adhuc teneros insuetum pallida fetus
mater ab excelso produxit in aethera nido
hortaturque sequi breuibusque insurgere pinnis,
illos caerulei primus ferit horror Olympi,
iamque redire rogant adsuetaque quaeritur arbor:
haud aliter caecae per moenia deficit urbis
incedens horretque domos Medea silentes.
hic iterum extremae nequiquam in limine portae
substitit adque iterum fletus animique soluti,
respexitque deam paulumque his uocibus haesit:
'ipse rogat certe meque ipse implorat Iason.
nullane culpa subest? labes non ulla pudoris,
nullus ámor? nec turpe uiro seruire precanti?'
illa nihil contra uocesque abrumpit inanes.

et iam iam magico per opaca silentia Colchis
coeperat ire sono, montanaque condere uultus
numina cumque suis auerti collibus Amnes;
iam stabulis gregibusque pauor strepitusque sepulcris
inciderat; stupet ipsa graui nox tardior umbra,
iamque tremens longe sequitur Venus; utque sub altas
peruenere trabes diuaeque triformis in umbram,
hic subito ante oculos nondum speratus Iason
emicuit, uiditque prior conterrita uirgo;
adque hinc se profugam uolucri Thaumantias ala
sustulit; inde Venus dextrae delapsa tenenti.
obuius ut sera cum se sub nocte magistris
inpingit pecorique pauor, qualesue profundum
per chaos occurrunt caecae sine uocibus umbrae;
haut secus in mediis noctis nemorisque tenebris
inciderant ambo attoniti iuxtaque subibant,
abietibus tacitis aut immotis cyparissis
adsimiles, rabidus nondum quas miscuit auster.
Ergo ut erat uultu defixus uterque silenti
noxque suum peragebat iter, iam iam ora leuare
Aesoniden farique cupit Medea priorem.
quam simul effusis pauitantem fletibus heros
flagrantesque genas uidit miserumque pudorem,
has tandem uoces dedit et solatus amantem est.
'fersne aliquam spem lucis?' ait. 'miserata laborem
nempe uenis? an et ipsa mea laetabere morte?
ne, precor, infando similem te, uirgo, parenti
gesseris, haut tales decet inclementia uultus.
hascine nunc grates, haec expectata laborum
dona dari decuit? sic te sub teste remitti
fas me, uirgo, tuum? iustas da uocibus aures.
cur pater ille tuus tantis me opponere monstris
(quid meritum?) aut tales uoluit me pendere poenas?
an iacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus?
quodque meus uestris cecidit pro moenibus Iphis?
aut Scythiae tanta inde manus? iussisset abire
perfidus atque suis extemplo cedere regnis

spe sine. promissum per quae discrimina rursus
et reddat qua lege, uides. occumbere tandem
poscimus, idque sedet, quam non quaecumque subire
patris iussa tui; numquam sine uellere abibo
hinc ego, degenerem nec me tu prima uidebis.'
Haec ait. illa tremens, ut supplicis aspicit ora
conticuisse uiri iamque et sua uerba reposci,
nec quibus incipiat demens uidet, ordine nec quo,
quoue tenus, prima cupiens effundere uoce
omnia, sed nec prima pudor dat uerba timenti.
haeret et attollens uix tandem lumina fatur:
'quid, precor, in nostras uenisti, Thessale, terras?
unde mei spes ulla tibi? tantosque petisti
cur non ipse tua fretus uirtute labores?
nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,
occideras, nempe hanc animam fax saeua manebat
funeris. en ubi Iuno, ubi nunc Tritonia uirgo,
sola tibi quoniam tantis in casibus adsum
externae regina domus? miraris et ipse,
credo, nec agnoscunt haec nunc Aeetida siluae.
sed fatis sum uicta tuis; cape munera supplex
nunc mea; teque iterum Pelias si perdere quaeret
inque alios casus, alias si mittet ad urbes,
heu formae ne crede tuae.' Titania iamque
gramina Perseasque sinu depromere uires
coeperat; his iterum conpellat Iasona dictis:
'si tamen aut superis aliquam spem ponis *in istis*
aut tua praesenti uirtus educere leto
si te forte potest, etiam nunc deprecor, hospes,
me sine et insontem misero dimitte parenti.'
dixerat, extemploque (etenim matura ruebant
sidera et extremo se flexerat axe Bootes)
cum gemitu et multo iuueni medicamina fletu
non secus ac patriam pariter famamque decusque
obicit. ille manu subit et uim corripit omnem.
Inde ubi facta nocens et non reuocabilis umquam
cessit ab ore pudor propiorque inpleuit Erinys,

carmina nunc totos uoluit figitque per artus
Aesonidae et totum septeno murmure fertur
per clipeum atque uiro grauiorem reddidit hastam;
iamque sui tauris languent absentibus ignes.
'nunc age et has' inquit 'cristas galeamque resume,
quam modo funerea tenuit Discordia dextra.
hanc iace per medias, cum uerteris aequora, messes;
protinus in sese conuersa furoribus ibit
cuncta phalanx, atque ipse fremens mirabitur et me
respiciet fortasse pater.' sic deinde locuta
iam magis atque magis mentem super alta ferebat
aequora, pandentes Minyas iam uela uidebat
se sine. tum uero extremo percussa dolore
arripit Aesoniden dextra ac summissa profatur:
'sis memor, oro, mei, contra memor ipsa manebo,
crede, tui. quando hinc aberis, dic quaeso, profundi
quod caeli spectabo latus? sed te quoque tangat
cura mei quocumque loco, quoscumque per annos;
adque hunc te meminisse uelis et nostra fateri
munera, seruatum pudeat nec uirginis arte.
ei mihi, cur nullos fundunt tua lumina fletus?
an me mox merita morituram patris ab ira
dissimulas? te regna tuae felicia gentis,
te coniunx taedaeque manent; ego prodita obibo.
nec queror et pro te lucem quoque laeta relinquam.'
protinus hospes ad haec (tacitis nam cantibus illum
flexerat et simili iamdudum adflarat amore),
'tune' ait 'Aesoniden quicquam te uelle relicta
credis et ulla pati sine te loca? redde tyranno
me potius, recipe ingratos adque exue cantus.
quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
si non et genitor te primam amplectitur Aeson,
teque tuo longe fulgentem uellere gaudens
spectat et ad primos procurrit Graecia fluctus?
respice ad has uoces et iam, precor, adnue, coniunx.
per te, quae superis diuisque potentior imis,
perque haec, uirgo, tuo redeuntia sidera nutu

adque per has nostri iuro discriminis horas:
umquam ego si meriti, si noctis sum immemor huius,
si te sceptra, domum, si te liquisse parentes
senseris et me umquam non haec promissa tuentem,
tum me non tauros iuuet euasisse ferosque
terrigenas, tum me tectis tua turbet in ipsis
flamma tuaeque artes; siquid tum saeuius, istis
adicias meque in medio terrore relinquas,
ingrato queat et nullus succurrere contra.'
audiit atque simul meritis periuria poenis
despondet questus semper Furor ultus amantis.
  Haec ubi dicta, tamen perstant defixus uterque,
et nunc ora leuant audaci laeta iuuenta,
ora simul totiens dulcis rapientia uisus,
nunc deicit uultus aeger pudor et mora dictis
redditur. at rursus conpellat Iasona uirgo:
'accipe, perdomitis quae deinde pericula tauris
et quis in Aeolio maneat te uellere custos;
nondum cuncta tibi, fateor, promissa peregi.
saeuior ingenti Mauortis in arbore restat,
crede, labor; temptanti utinam fiducia nostri
sit mihi nocturnaeque Hecates uestrique uigoris.'
dixerat, utque uirum doceat, quae monstra supersint,
protinus immensis recubantem anfractibus anguem
turbat et Haemonii subito ducis obicit umbram.
ille, quod haud alias, stetit et trepidantia torsit
sibila, seque metu postquam sua uellera circum
sustulit adque omnis spiris exhorruit arbor,
incipit inde sequi et uacuas furit ore per auras.
'quis fragor hic? quaenam tantae, dic uirgo, ruinae?'
exclamat stricto Aesonides stans frigidus ense.
illa abiit ridens tandemque ait angue represso:
'hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
heu miser, heu tantis iterum carpende periclis.
o utinam o nullo te sim uisura labore
ipsam caeruleis squalentem nexibus ornum
ipsaque peruigilis calcare uolumina monstri,

contingat cui deinde mori!' sic fata profugit
seque sub extremis in moenia rettulit umbris.
Et iam puniceo regem spes uana sub ortu
extulerat, quantis nox una diremerit undis
Aesoniden, liberne freto iam uultus aperto
utque prius tutum sileat mare. dumque ea longe
explorare meat, contra uenit Arcas Echion
dicta ferens, iam Circaeis Mauortis in agris
stare uirum, daret aeripedes in proelia tauros.
'en uocor en ultro' dixit spesque addidit alas.
'uos mihi nunc primum in flammas inuertite, tauri,
aequora, nunc totos aperite et uoluite fluctus.
exeat Haemonio messis memoranda colono,
tuque tuum patri in Graium da, nata, draconem.
istius aspectu pereat, ne uellera et ipsa
aura mihi diros seruent infecta cruores.'
fatur et effusis pandi iubet aequora tauris.
pars et Echionii subeunt inmania dentis
semina, pars diri portant graue robur aratri.
at sua magnanimum contra Pagasaea iuuentus
prosequitur stipatque ducem; tum maxima quisque
dicta dedit saeuisque procul decessit ab agris.
fixerat ille gradus totoque ex agmine solus
stabat, ut extremis deserta sub orbibus arbos,
quam iam lassa dies austrique ardentis harenae,
aut quam Riphaeas extantem sursus ad arces
nix et caerulei Boreae ferus abstulit horror;
cum subito attoniti longissima Phasidis unda
Caucaseaeque trabes omnisque Aeetia tellus
fulsit et ardentes stabula effudere tenebras.
ac uelut ex una siquando nube corusci
ira Iouis torsit geminos mortalibus ignes,
aut duo cum pariter ruperunt uincula uenti
dantque fugam: sic tunc claustris euasit uterque
taurus et inmani proflauit turbine flammas
arduus; atque atros uoluunt incendia fluctus.
horruit Argoae legio ratis, horruit audax

qui modo uirgineis seruari cantibus Idas
flerat et inuito prospexit Colchida uultu.
non tulit ipse moras seseque inmisit Iason,
diuersos postquam ire uidet. galeamque minantem
quassat et errantem dextra ciet obuius ignem.

* * *

cunctatus paulum subito furit. aequora non sic
in scopulos irata ruunt eademque recedunt
fracta retro. bis fulmineis se flatibus infert
obnubitque uirum, sed non incendia Colchis
adspirare sinit, clipeoque inliditur ignis
frigidus et uiso pallescit flamma ueneno.
ilicet Aesonides dextram ad squalentia mittit
cornua, dein totis propendens uiribus haeret.
ille uirum adque ipsam tunc te, Medea, recusans
concutit et tota nitentem cornibus ira
portat iners; tandem grauius mugire residens
incipit et fesso uictus descendere cornu.
respicit hinc socios, inmania uincula poscens,
Aesonides, iamque ora premit trahiturque trahitque,
obnixusque genu superat, cogitque trementes
sub iuga aena toros. alium dehinc turbida Colchis
exarmat lentumque offert timideque minantem,
iamque propinquanti noctem inplicat; ille fatiscens
in caput inque umeros ipsa ui molis et irae
proruit; inuadit totusque incumbit Iason
desuper adque suis defixum flatibus urget.
utque dedit uinclis ualidoque obstrinxit aratro,
suscitat ipse genu saeuaque agit insuper hasta,
non secus ec medio quam si telluris hiatu
terga recentis equi primumque inuasit habenis
murmur et in summa Lapithes apparuit Ossa.
Ille uelut campos Libyes ac pinguia Nili
fertilis arua secet, plena sic semina dextra
spargere gaudet agris oneratque noualia bello.
Martius hic primum ter uomere fusus ab ipso

clangor et ex omni sonuerunt cornua sulco;
bellatrix tunc gleba quati pariterque creari
armarique phalanx totisque insurgere campis.
cessit et ad socios paulum se rettulit heros
opperiens, ubi prima sibi daret agmina tellus.
at uero ut summis iam rura recedere cristis
uidit et infesta uibrantes casside terras,
aduolat atque imo tellus qua proxima collo
necdum umeri uidere diem prior ense secanti
aequat humo truncos; rutilum thoraca leuantis
aut primas ec matre manus premit obuius ante.
nec magis aut illis aut illis milibus ultra
sufficit, ad dirae quam cum Tirynthius hydrae
agmina Palladios defessus respicit ignes.
ergo iterum ad socias conuertere Colchidos artes,
et galeae nexus ac uincula dissipat imae,
cunctaturque tamen totique occurrere bello
ipse cupit; spes nulla datur, sic undique densant
terrigenae iam signa duces, clamorque tubaeque.
iamque omnes subiere uirum, iamque omnia contra
tela uolant. tum uero amens discrimine tanto,
quam modo Tartareo galeam Medea ueneno
. . . .
in medios torsit; conuersae protinus hastae.
qualis ubi attonitos maestae Phrygas annua Matris
ira uel exectos lacerat Bellona comatos:
haud secus accensas subito Medea cohortes
implicat et miseros agit in sua proelia fratres.
omnis ibi Aesoniden sterni putat, omnibus ira
talis erat. stupet Aeetes ultroque furentes
ipse uiros reuocare cupit, sed cuncta iacebant
agmina, nec quisquam primus ruit aut super ullus
linquitur, atque hausit subito sua funera tellus.
Protinus in fluuium fumantibus euolat armis
Aesonides, qualis Getico de puluere Mauors
intrat equis hauritque grauis sudoribus Hebrum;
aut niger ex antris rutilique a fulminis aestu

ɪum fugit et Siculo respirat in aequore Cyclops.
'edditus ut tandem sociosque amplexus ouantes,
ɪaud iam mendacem promissa reposcere regem
lignatur; nec, si ipse sibi terga ingerat ultro
[uae pepigit, uelit in pacem dextramque reuerti
ɪmplius; ambo truces, ambo abscessere minantes.

C. VALERI FLACCI

ARGONAUTICON

LIBER OCTAVUS.

At trepidam in thalamis et iam sua facta pauentem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
patris habent; nec caerulei timor aequoris ultra,
nec miserae terra ulla procul; quascumque per undas
ferre fugam, quamcumque cupit iam scandere puppem.
ultima uirgineis tunc flens dedit oscula uittis,
quosque fugit conplexa toros, crinemque genasque
ante per antiqui carpsit uestigia somni,
atque haec inpresso gemuit miseranda cubili:
'o mihi si profugae, genitor, nunc mille supremos
amplexus, Aeeta, dares fletusque uideres
ecce meos! ne crede, pater, non carior ille est,
quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!
tu, precor, haec longa placidus mox sceptra senecta
tuta geras meliorque tibi sit cetera proles.'
dixit et Haemonio numquam spernenda marito
condita letiferis promit medicamina cistis,
uirgineosque sinus ipsumque monile uenenis
implicat ac saeuum super omnibus addidit ensem.
inde, uelut torto Furiarum erecta flagello
prosilit: attonito qualis pede prosilit Ino
in freta nec parui meminit conterrita nati,
quem tenet; extremum coniunx premit inritus Isthmon.

Iam prior in lucos curis urgentibus heros
uenerat et nemoris sacra se nocte tegebat,
tum quoque siderea clarus procul ora iuuenta.
qualis adhuc sparsis comitum per lustra cateruis
Latmius aestiua residet uenator in umbra,
dignus amore deae, uelatis cornibus et iam
Luna uenit: roseo talis per nubila ductor
implet honore nemus talisque expectat amantem.
ecce autem pauidae uirgo de more columbae,
quae super ingenti circumdata praepetis umbra
in quemcumque tremens hominem cadit — haut secus illa
acta timore graui mediam se misit; at ille
excepit blandoque prior sic ore locutus:
'o decus in nostros magnum uentura penates,
solaque tantarum uirgo haut indigna uiarum
causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro
uellera teque meae satis est quaesisse carinae.
uerum age et hoc etiam, quando potes, adice tantis
muneribus meritisque tuis; namque aurea iussi
terga referre sumus; socios ea gloria tangit.'
sic ait et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra uirgo nouis iterum singultibus orsa est:
'linquo domos patrias te propter opesque meorum;
nec iam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
uota sequor: serua hanc profugae, prior ipse dedisti
quam (scis nempe) fidem. di nostris uocibus adsunt,
sidera et haec te meque uident: tecum aequora, tecum
experiar quascumque uias, modo nequis abactam
huc referat me forte dies oculisque parentis
ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.'
Haec ait adque furens rapido per deuia passu
tollitur. ille haeret comes et miseratur euntem,
cum subito ingentem media inter nubila flammam
conspicit et saeua uibrantes luce tenebras.
'quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
sidus?' ait. reddit trepido cui talia uirgo:
'ipsius en oculos et lumina torua draconis

aspicis: ille suis haec uibrat fulgura cristis,
meque pauens non iam solam uidet, haud uocat ultro,
ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
dic age nunc, utrum uigilanti hostemque uidenti
exuuias auferre uelis, an lumina somno
mergimus et domitum potius tibi tradimus anguem?'
ille silet; tanta subiit ui uirginis horror.

Iamque manus Colchis uirgamque intenderat astris,
carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater. 'Somne omnipotens, te Colchis ab omni
orbe uoco inque unum iubeo nunc ire draconem,
quae freta saepe tuo domui, quae nubila cornu
fulminaque et toto quicquid micat aethere; sed nunc,
nunc age maior ades fratrique simillime Leto.
te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos,
tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
quem metuis me astante dolum? seruabo parumper
ipsa nemus; longum interea tu pone laborem.'
ille haut Aeolio discedere fessus ab auro
nec dare permissae (quamuis iuuet) ora quieti
sustinet; ac primi percussus nube soporis
horruit et dulces excussit corpore somnos.
contra Tartareis Colchis spumare uenenis
cunctaque Lethaei quassare silentia rami
perstat et aduerso luctantia lumina cantu
obruit atque omnem linguaque manuque fatigat
uim Stygiam, ardentes donec sopor occupet iras.
iamque altae cecidere iubae, nutatque coactum
iam caput atque ingens extra sua uellera ceruix,
ceu refluens Padus aut septem proiectus in amnes
Nilus et Hesperium ueniens Alpheos in orbem.
ipsa caput cari postquam Medea draconis
uidit humi, fusis circum proiecta lacertis
seque suumque simul fleuit crudelis alumnum.
'non ego te sera talem sub nocte uidebam
sacra ferens epulasque tibi, nec talis hianti
mella dabam ac nostris nutribam fida uenenis.

quam grauida nunc mole iaces! quam segnis inertem
flatus habet! nec te saltem, miserande, peremi!
heu saeuum passure diem! iam nulla uidebis
uellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
cede adeo inque aliis senium nunc digere lucis
immemor, oro, mei: nec me tua sibila toto
exagitent infesta mari. sed tu quoque cunctas,
Aesonide, dimitte moras, atque effuge raptis
uelleribus. patrios extinxi noxia tauros;
terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
corpus habes, iamque omne nefas, iam, spero, peregi.'
quaerenti tunc deinde uiam, qua se arduus heros
ferret ad aurigerae caput arboris, 'eia, per ipsum
scande age et aduerso gressus' ait 'imprime dorso.'
nec mora fit. dictis fidens Cretheia proles
calcat et, aeriam quamuis, perfertur ad ornum,
cuius adhuc rutilam seruabant brachia pellem,
nubibus accensis similem aut cum ueste recincta
labitur ardenti Thaumantias obuia Phoebo.
corripit optatum decus extremumque laborem
Aesonides, longosque sibi gestata per annos
Phrixeae monumenta fugae uix reddidit arbor
cum gemitu tristesque super coiere tenebrae.
egressi relegunt campos et fluminis ora
summa petunt. micat omnis ager, uillisque comantem
sidereis totos pellem nunc fundit in artus,
nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistrae.
talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
ibat, adhuc aptans umeris capitique leonem.
ut uero sociis, qui tunc praedicta tenebant
ostia, per longas apparuit aureus umbras,
clamor ab Haemonio surgit grege; se quoque gaudens
promouet ad primas iuueni ratis obuia ripas.
praecipites agit ille gradus adque aurea misit
terga prius; mox attonita cum uirgine puppem
insilit ac rapta uictor consistit in hasta.
Interea patrias saeuus uenit horror ad aures

fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque
uirginis. hinc subitis effulsit frater in armis,
urbs etiam mox tota coit, uolat ipse senectae
immemor Aeetes, complentur litora bello
nequiquam; fugit inmissis nam puppis habenis.
Mater ad hanc ambas tendebat in aequora palmas
et soror adque omnes aliae matresque nurusque
Colchides aequalesque tibi, Medea, puellae.
extat sola parens impletque ululatibus auras.
'siste fugam, medio refer huc ex aequore puppem;
nata, potes. quo' clamat 'abis? hic turba tuorum
omnis et iratus nondum pater; haec tua tellus
sceptraque. quid terris solam te credis Achaeis?
quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
istane uota domus expectatique hymenaei?
hunc petii grandaeua diem? uellem unguibus uncis,
ut uolucris, possem praedonis in ipsius ora
ire ratemque supra, claroque reposcere cantu
quam genui. Albano fuit haec promissa tyranno,
non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
Aesonide; non hoc Pelias euadere furto
te iubet aut ullas Colchis abducere natas.
uellus habe et nostris siquid super accipe templis.
sed quid ego quemquam inmeritis incuso querellis?
ipsa fugit tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti)
ex quo Thessalici subierunt *litora remi,*
quod nullae te, nata, dapes, non ulla iuuabant
te ioca. non ullus tibi tum color, aegraque uerba
errantesque genae; atque alieno ad gaudia uultu
semper eras. cur tanta mihi non prodita pestis,
ut gener Aesonides nostro consideret aula
nec talem paterere fugam? commune fuisset
aut certe tecum omne nefas, iremus et ambae
in quascumque uias; pariter petiisse iuuaret
Thessaliam et saeui qualemcumque hospitis urbem.'
sic genetrix, similique implet soror omnia questu

exululans; famulae pariter clamore supremo
in uacuos dant uerba notos dominamque reclamant
nomine; te uenti procul et tua fata ferebant.
Inde diem noctemque uolant. redeuntibus aura
gratior, et notae Minyis transcurrere terrae,
cum subito Erginus puppi sic fatur ab alta.
'uos' ait 'Aesonide, contenti uellere capto,
nec uia quae superet nec quae fortuna uidetis.
crastina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneasque uocat, meminique, o Tiphy, tuorum
saxa per illa, pater, memini, uenerande, laborum.
mutandum, o socii, nobis iter; altera ponti
eluctanda uia et cursu, quem fabor, eundum est.
haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri,
fundere non uno tantum quem flumina cornu
accipimus; septem exit aquis, septem ostia pandit.
illius aduersi nunc ora petamus et undam,
quae latus in laeuum ponti cadit; inde sequemur
ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
perferat inque aliud reddat mare. sint age tanti,
Aesonide, quaecumque morae, quam saeua subire
saxa iterum, quam Cyaneos perrumpere montes;
sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis.'
haec ait ignarus fixas iam numine rupes
stare neque aduersis ultra concurrere saxis.
reddidit Aesonides: 'et te, fidissime rector,
haud uani tetigere metus, nec me ire recuso
longius et cunctis redeuntem ostendere terris.'
protinus inde alios flexu regesque locosque
adsuetumque petunt plaustris migrantibus aequor.
Puppe procul summa uigilis post terga magistri
haeserat auratae genibus Medea Mineruae;
adque ibi deiecta residens in lumina palla
flebat adhuc, quamquam Haemoniis cum regibus iret,
sola tamen nec coniugii secura futuri.
illam Sarmatici miserantur litora ponti,
illa Thoanteae transit defleta Dianae.

nulla palus, nullus Scythiae non maeret euntem
amnis; Hyperboreas mouit conspecta pruinas,
tot modo regna tenens; ipsi quoque murmura ponunt
iam Minyae, iam ferre uolunt. uix alleuat ora
ad seras, siquando, dapes, quas carus Iason
ipse dabat, iam nubiferam transire Carambin
significans, iam regna Lyci, totiensque gementem
fallit ad Haemonios hortatus surgere montes.
Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae,
toruus ubi et ripa semper metuendus utraque
in freta per saeuos Hister descendit alumnos;
soluere in hoc tandem resides dux litore curas,
ac primum socios ausus sua pacta docere
promissamque fidem thalami foedusque iugale.
ultro omnes laeti instigant meritamque fatentur.
ipse autem inuitae iam Pallados erigere aras
incipit Idaliae numen nec spernere diuae.
praecipueque sui, siquando, in tempore pulcher
coniugii Minyas numquam magis eminet inter;
qualis sanguineo uictor Gradiuus ab Hebro
Idalium furto subit aut electa Cythera;
seu cum caelestes Alcidae inuisere mensas
iam uacat et fessum Iuno iam destinat Hebae.
adfuit unanimis Venus, hortatorque Cupido
suscitat adfixam maestis Aeetida curis;
ipsa suas illi croceo subtegmine uestes
induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam
donat et arsuras alia cum uirgine gemmas.
tum nouus impleuit uultus honor, ac sua flauis
reddita cura comis, graditurque oblita malorum.
sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
laetaque iam Cybele festaeque per oppida taedae,
quis modo tam saeuos adytis fluxisse cruores
cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri?
inde, ubi sacrificas cum coniuge uenit ad aras
Aesonides, unaque adeunt pariterque precari
incipiunt, ignem Pollux undamque iugalem

praetulit, et dextrum paterae uerguntur in orbem.
sed neque se pingues tum candida flamma per auras
explicuit, nec tura uidet concordia Mopsus,
promissam nec stare fidem, breue tempus amorum.
odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque,
et tibi iam nullos optauit, barbara, natos.
mox epulas et sacra parant; siluestria laetis
praemia uenatu facili quaesita supersunt;
pars ueribus, pars undanti despumat aeno.
gramineis ast inde toris discumbitur, olim
Hister anhelantem Peucen quo presserat antro.
ipsi inter medios rosea radiante iuuenta
altius inque sui sternuntur uelleris auro.
  Quis nouus inceptos timor inpediit hymenaeos
turbauitque toros et sacra calentia rupit?
Absyrtus subita praeceps cum classe parentis
aduehitur profugis infestam lampada Grais
concutiens diroque premens clamore sororem:
'heia agite, o siquis uobis dolor iraque, Colchi,
adcelerate uiam; neque enim fugit aequore raptor
Iuppiter, haut falsi sequimur uestigia tauri.
puppe (nefas) una praedo Phrixea reportat
uellera; qua libuit remeat cum uirgine; nobis
(o pudor!) et muros et stantia tecta reliquit.
quid mihi deinde satis? nec quaero uellera nec te
accipio, germana, datam; nec foederis ulla
spes erit aut irae quisquam modus. inde reuerti
patris ad ora mei tam paruo in tempore fas sit?
quinquaginta animae me scilicet unaque mersa
sufficiet placare ratis? te, Graecia fallax,
persequor adque tuis hunc quasso moenibus ignem;
nec tibi digna, soror, desum ad conubia frater.
primus et ecce fero quatioque hanc lampada uestro
coniugio, primus celebro dotalia sacra,
qui potui; patriae ueniam da, quaeso, senectae.
quin omnes alii, pariter populusque patresque,
mecum adsunt. magni uirgo ne regia Solis

Haemonii thalamos adeas despecta mariti,
tot decuit comitare rates, tot fulgere taedas.'
Dixerat atque orans iterat remosque uirosque,
perque ratis supplent regis uerba illa magistri.
illi autem intorquent truncis frondentibus undam,
quaeque die fuerat raptim formata sub uno
et tantum deiecta suis a montibus arbor
(quid dolor et ueterum potuit non ira uirorum?)
haud longis iam distat aquis, sequiturque uolantem
barbara Palladiam puppem ratis, ostia donec
Danubii uiridemque uident ante ostia Peucen,
ultimaque adgnoscunt Argoi cornua mali.
tum uero clamorem omnes inimicaque tollunt
gaudia, tum grauior remis fragor, ut procul Argo
uisa uiris, unamque petunt rostra omnia puppem.
princeps naualem nodosi roboris uncum
arripit et longa Styrus prospectat ab unda,
coniugio atque iterum sponsae flammatus amore.
iamque alii clipeos et tela trabalia dextris
expediunt, armant alii picis unguine flammas.
inpatiens tremit hasta morae, nec longius inter,
quam quod tela uetet, superest mare. uocibus urgent
interea et pedibus pulsant tabulata frementes.
Cum subitas uidere rates uibrataque flammis
aequora, non ulla Minyae formidine surgunt,
primus et in puppem deserta uirgine ductor
prosilit et summa galeam rapit altus ab hasta,
ense simul clipeoque micat; nec cetera pubes
segnius adreptis in litore constitit armis.
at tibi quae scelerum facies, Medea, tuorum?
quisue pudor Colchos iterum fratremque uidenti
quidquid et abscisum uasto iam tuta profundo
credideras? ergo infausto sese occulit antro,
non aliud quam certa mori, seu carus Iason
seu frater Graia uictus cecidisset ab hasta.
Haud ita sed segnis summo sedet aethere Iuno
aut sinit extrema Minyas decernere pugna,

nec numero quoniam Colchis nec puppibus aequos.
ergo ubi diua rates hostemque accedere cernit,
ipsa subit terras tempestatumque refringit
uentorumque domos. uolucrum gens turbida fratrum
erumpit, classem dextra Saturnia monstrat.
uidere, inque unum pariter mare protinus omnes
infesto clamore ruunt inimicaque Colchis
aequora et aduersos statuunt a litore fluctus.
  Tollitur atque intra Minyas Argoaque uela
Styrus adest; uasto rursus desidit hiatu
abrupta reuolutus aqua. iamque omnis in astra
itque reditque ratis, lapsoque reciproca fluctu
descendit. uorat hos uertex, hos agmine toto
gurges agit. simul in uultus micat undique terror,
crebra ruina poli caelestia limina laxat.
non tamen ardentis Styri uiolentia cedit.
hortatur socios media inter proelia diuum:
'transferet ergo meas in quae uolet oppida dotes
Colchis? et Haemonius nobis succedet adulter?
nec mihi tot magnos inter regesque procosque
profuerit prona haud dubii sententia patris?
an uirtus praelata uiri est et fortior ille,
quem sequitur? iungam igniferos sine carmine tauros,
saeuaque Echionii ferro sata persequar hydri.
hoc adeo interea specta de litore pugnas
amborum, uictoris eris; iam digna uidebis
proelia, iamque illud carum caput ire cruenta
sub freta, semiuiri nec murra corpus Achiui,
sed pice, sed flammis, set olentis sulphure crines.
uos modo uel solum hoc fluctus expellite corpus,
non te, Aeeta pater, generi aut, Sol magne, pudebit.
fallor? an hos nobis magico nunc carmine uentos
ipsa mouet diraque leuat maria ardua lingua?
atque iterum Aesonides, iterum defenditur arte,
qua solet? haut illi cantus et futtile murmur
proderit. ite, rates, et frangite uirginis undam.'
dixit et intortis socio cum milite remis

prosilit; at fluctu puppis labefacta reuerso
soluitur effunditque uiros ipsumque minantem
tunc quoque et elata quaerentem litora dextra.
ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem;
incipit et remos et quaerere transtra solutae
sparsa ratis, maestasque aliis intendere uoces
puppibus; ast inter tantos succurrere fluctus
nulla potest, quantum ille uelit; quotiensque propinquat,
tunc aliud rursus dirimit mare. iam tamen extat,
iamque abiit, fundoque iterum uiolentus ab imo
erigitur; sed fluctus adest; magnoque sub altis
turbine figit aquis, et tandem uirgine cessit.
  Absyrtus uisu maeret defixus acerbo.
heu quid agat, qua ui portus et prima capessat
ostia, qua possit Minyas inuadere, clausos
quos uidet agnoscitque fremens; maria obuia contra
saeuaque pugnat hiemps, totusque in uertice pontus.
adspectu tandem uanaque recedit ab ira
et tanta de clade ratis. latus inde sinistrum
aduersamque procul Peuces defertur in oram
cum sociis; gemino nam cingitur insula flexu
Danubii. hac tuta Minyae Pagasaeaque puppis
in statione manent; illinc Aeetius heros
obsidet aduersa tentoria Thessala classe
inpatiens, pugnaeque datur non ulla potestas.
noctes atque dies uastis mare fluctibus inter
perfurit, expediant donec Iunonia sese
consilia atque aliquem bello ferat anxia finem.
  At Minyae tanti reputantes ultima belli
urgent et precibus cuncti fremituque fatigant
Aesoniden. quid se externá pro uirgine clausos
obiciat, quidue illa pati discrimina cogat?
respiceret pluresque animas maioraque fata
tot comitum, qui non furtis nec amore nefando
per freta, sed sola sese uirtute sequantur.
an uero, ut thalamis raptisque indulgeat unus
coniugiis? id tempus enim! sat uellera Grais,

et posse oblata componere uirgine bellum.
quemque suas sinat ire domos, nec Marte cruento
Europam adque Asiam prima haec committat Erinys.
namque datum hoc fatis, trepidus supplexque canebat
Mopsus, ut in seros irent magis ista nepotes,
adque alius lueret tam dira incendia raptor.
  Ille trahens gemitum tantis ac uocibus inpar,
quamquam iura deum et sacri sibi conscia pacti
religio dulcisque mouent primordia taedae,
cunctaturque moramque cupit sociamque pericli

* * *

cogitat: haut ultra sociis obsistere pergit.
haec ubi fixa uiris, tempus fluctusque quietos
expectant: ipsam interea, quid restet, amantem
ignorare sinunt decretaque tristia seruant.
  Sed miser ut uanos, ueros ita saepe timores
uersat amor, fallique sinit nec uirginis annos.
ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit
non fidi iam signa uiri nimiumque silentes
iam comites. haut illa sui tamen immemor umquam,
nec subitis turbata minis, prior occupat unum
Aesoniden, longeque trahit, mox talibus infit:
'me quoque quin tecum Minyae, fortissima pubes,
nocte dieque mouent? liceat cognoscere tandem,
si modo Peliacae non sum captiua carinae,
nec dominos despecta sequor, consultaque uestra
fas audire mihi. uereor, fidissime coniunx,
nil equidem; miserere tamen promissaque serua
usque ad Thessalicos saltem conubia portus,
inque tua me sperne domo. scis te mihi certe,
non socios iurasse tuos. hi reddere forsan
fas habeant, tibi non eadem permissa potestas.
teque simul mecum ipsa traham; non sola reposcor
uirgo nocens, atque hac pariter rate fugimus ambo.
an fratris te bella mei patriaeque biremes
terrificant magnoque inpar urgeris ab hoste?

finge rates alias et adhuc maiora coire
agmina; nulla fides? nullis ego digna periclis?
non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
uellem equidem nostri tetigissent litora patris
te sine duxque illis alius quicumque fuisset.
nunc remeant, meque ecce (nefas), me reddere poscunt;
nec spes ulla super. quin tu mea respice saltem
consilia et nimio comitum ne cede timori.
credidit ardentes quis te tunc iungere tauros
posse? quis ad saeui uenturum templa draconis?
o utinam ergo meus pro te non omnia posset
adque aliquid dubitaret amor! quin nunc quoque quaere
quid iubeas. heu dure siles? magnumque minatur 463
nescio quid tuus iste pudor? mene, optime quondam 441
Aesonide, me ferre preces et supplicis ora
fas erat? haud hoc nunc genitor putat, hanc dare poenas
iam sceleris dominumque pati'. sic fata parantem
reddere dicta uirum furiata mente refugit
uociferans. qualem Ogygias cum tollit in arces
Bacchus et Aoniis inlidit Thyada truncis,
talis erat talemque iugis se uirgo ferebat
cuncta pauens: fugit infestos uibrantibus hastis
terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros.

* * *

si Pagasas uel Peliacas hinc denique nubes
cerneret et Tempe tenui lucentia fumo:
hoc uisu contenta mori. tunc tota querellis
egeritur questuque dies, eademque sub astris
sola manet, maestis ueluti nox illa sonaret
plena lupis quaterentque truces ieiuna leones
ora uel orbatae traherent suspiria uaccae.

* * *

procedit non gentis honos, *non gloria magni*
Solis aui, non barbaricae decor ille iuuentae,
qualis erat, cum Chaonio radiantia trunco

ra uexit ouans, interque ingentia Graium
na Palladia uirgo stetit altera prora.

* * *

et, et hinc praesens pudor, hinc decreta suorum
premunt. utcumque tamen mulcere gementem
tat et ipse gemens et lenit pectora dictis:
ie aliquid metuisse putas? me talia uelle?'

* * *

INDEX NOMINUM.

II.

Loci Vergiliani.

[Versus Vergilianos a Valerio expressos partim anteriores Argonauticorum editores, partim nostro saeculo Peerlkampius, W. Ribbeckius, J. Greiffius, C. Schenkelius, alii adnotarunt. quorum collectiones nos passim correximus auximusque. — uersibus Valerianis praepositis ita subiecimus Vergilianos ut nota non addita significentur Aeneidos libri.]

I.

1: I 1.
3: IV 361. VII 300.
4: X 372.
5: VII 41,
7: Ge. I 12.
10: VI 365.
13: VI 366.
15: I 416. IV 199. VIII 716.
34: XI 680.
51: V 397.
55: IX 311.
56: VI 546.
62: II 211.
68: IV 485.
70: Ge. I 8.
73 sq.: III 544.
82: III 194.
84: VI 463.
94: III 6.
100: VIII 151.
101: VII 162.
102: VIII 144. IX 720.
105: IV 358.
108: X 140.

II.

III.

VI.

VII.

VIII.

44

Stanford University Libraries

3 6105 005 377 648

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
CECIL H. GREEN LIBRARY
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004
(415) 723-1493

All books may be recalled after 7 days

DATE DUE

28D MAY 19 1994
MAY 24 1994